Herborn

# CONFUTATIO LUTHERANISMI DANICI

ANNO 1530 CONSCRIPTA

A

NICOLAO STAGEFYR SEU HERBORNEO

O. F. M.

NUNC PRIMUM EDITA

A

LUDOVICO SCHMITT S. I.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1902.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO

IOANNI BAPTISTAE VON EUCH,

VICARIO APOSTOLICO DANIAE

ET

EPISCOPO ANASTASIOPOLITANO,

HANC UNICAM IN DANIA SCRIPTAM ECCLESIAE CATHOLICAE

APOLOGIAM LATINAM

SIMULQUE FIDEI TUNC TEMPORIS IN EODEM REGNO

VIGENTIS TESTEM SOLEMNISSIMAM

NUNC PRIMUM PUBLICI IURIS FACTAM

SUMMA CUM DEVOTIONE ET REVERENTIA

OFFERT DEDICATQUE

EDITOR LUDOVICUS SCHMITT,

SACERDOS S. I.

# APPROBATIO.

Cum opus, cui titulus est: *Confutatio Lutheranismi Danici anno 1530 conscripta a Nicolao Stagefyr seu Herborneo, O. F. M., nunc primum edita a Ludovico Schmitt S. I.*, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Valkenberg, Colleg. S. Ignatii die 16. Iun. 1901.

L. ✠ S.

IOS. KNABENBAUER S. I.
*Vice-Provincialis.*

## IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 18. Februarii 1902.

Can. Maximilianus Novelli *Vic. Glis.*

# AD LECTOREM

## PRAEFATIO EDITORIS.

En, benevole lector, opus sui generis unicum tibi offertur. Est enim haec Confutatio non solum *Apologia latina* prorsus unica, quae in Dania contra id temporis novatores scripta sit, sed etiam, ut Chr. Thorn. Engelstoft[1] iure merito dicit, « opus omnium maximum et optimum a Catholicis conscriptum ». Quod quidem obiter inspicienti tibi forsitan ad solum Daniae regnum pertinere videbitur; — illustrat enim et solvit argumenta et obiectiones eorum, qui fidem et religionem in *Dania* a sancto Ansgario usque in annum 1530 regnantem labefactare et eradicare conabantur: — at, quod res est, non restringitur hoc ambitu, imo *finem* prosequitur *universalem, defendendi sc. astruendique, idque armis ex sacra scriptura potissimum depromptis, totam Ecclesiae catholicae doctrinam*. Quam vero luculenter et solide hoc praestiterit auctor, in decursu totius operis experieris. Lege e. g. tractatum *de nomine et vi Evangelii* (pp. 44-76), quo nescio, an quid clarius praestantiusve alibi reperturus sis. Iisdem virtutibus gaudent

[1] Reformantes et Catholici tempore, quo sacra emendata sunt, in Dania concertantes. Hauniae 1836. p. 25. n. 47.

tractatus de *Ecclesia* (pp. 88-98), de *fide* (p. 106. sq.), de *operibus* (p. 115 sq.), de *Eucharistia* (p. 162 sq. et p. 204 sq.), de *sacerdotio* (p. 169 sq.), et alii fere omnes.

Unde non miraberis, quod operae pretium putaverimus, hanc Confutationem nunc primum typis vulgare [1], postquam per annos fere 371 in bibliothecis sepulta iacuit; quin potius rem gratam omnibus ubique religionis et historiae studiosis nos fecisse arbitramur tam catholicis, quam aliter credentibus, quippe qui ex *hac Apologia* sine errore discere possint, *quid sit Ecclesia catholica, quibus mediis utatur, quo iure, qua doctrina incedat.* Accedit, quod haec Confutatio sit testis irrefragabilis fidei totius quidem Ecclesiae catholicae, speciatim tamen Ecclesiae Danicae, cum nomine et mandato Episcoporum huius regni elaborata et scripta sit.

*Titulum* in fronte suae Confutationis auctor ipse non posuit, videtur tamen ad finem primi Congressus (p. 76) innuere dicens: « Hac velitatione nostra quasi praeludentes ad maius aliquod certamen, praecipue *generalem quandam totius vestrae factionis confutationem instituimus* ». Unde merito a nobis, qui breves in titulo esse volumus, hoc opus inscribitur: **Confutatio Lutheranismi Danici.**

Taedet sane, in opere alioquin praeclaro tot *probra cavillosque,* quos omnino improbamus, contra concionatores Lutheranos inveniri, optaremusque, ut scriptor solis argumentis veritatem stabilire contentus fuisset. At minus forte irasceris illi, candide lector, si attenderis ad « plaustra conviciorum », quibus contra Ecclesiam catholicam eiusque defensores et asseclas uti non detractarunt *illius temporis* scriptores et concionatores heterodoxi, quemadmodum in « *Excusatione* » (p. 23) ab ipso auctore exponitur.

---

[1] Id nobis humanissime permisit Praefectus bibliothecae regiae Hafniensis, doctissimus vir *Chr. Bruun,* cuius benevolentiam toto tempore nostrae in ista urbe commorationis experti sumus.

*Adnotationibus* ex Herbornei scriptis potissimum desumptis, quibus ipse auctor eiusque scribendi modus et doctrina penitius cognoscantur, textum Confutationis illustravimus, et *Introductionis* loco disputavimus de eius historia, apographo et auctore. Demonstrato porro *Nicolao Herborneo auctore*, eiusque *aliis operibus*, quaecunque nobis innotuerunt, indicatis, adiunximus explicationem modi, quo haec editio a nobis adornata fuit (p. 22).

Deinde sequitur ipsa *Confutatio*. In cuius textu attentus lector observabit, numeros 1-231 singulos uncis inclusos et crassioribus typis expressos v. g. (18), (36) indicare paginas apographi veteris in forma folii, numeros quidem inscriptos non exhibentes, a nobis tamen numeratas. Ad quos numeros, ubicunque paginae huius editionis citari non possunt, lectorem remittimus, quo facilius quoslibet ipsius operis locos (etiam, si visum fuerit, in ipso apographo) inveniat.

Post *Confutationem* ponuntur ut

*Additamentum primum:* Revelationes B. Birgittae ad calcem Confutationis citatae (p. 259), ut

*Additamentum secundum:* Descriptio notarum Ecclesiae ex *Notis* et *Monade* Herbornei (p. 263).

Ad calcem inveniuntur *Indices tres:*

*Primus* exhibet *locos sacrae scripturae* in Confutatione adductos, indicatis *editionibus*, iuxta quas citantur (p. 269);

*Secundus* alphabetico ordine *res et vocabula* recenset eiusdem, ut qui voluerit, facile possit, quae quaerit, invenire et dictionem auctoris cum aliorum auctorum comparare (p. 273);

*Tertius* eodem ordine enumerat *nomina* in Confutatione et Additamentis contenta (p. 305). — Sequitur denique *Index totius voluminis* (p. 317).

In his Indicibus et alibi numeri typis ordinariis expressi et uncis carentes referunt utique ad paginas huius voluminis.

Reliquum est, ut Praefectis bibliothecarum (p. 20-22 nominatarum), imprimis Hafniensium, et omnibus, qui nos in hac editione adornanda iuverunt, itemque RR. Patribus Franciscanis, qui egregium hoc opus *Franciscanum* praelo donare voluere, *gratias agamus* quam *maximas*.

Scripsimus partim *Aarhusii* in Dania anno 1894, partim *Romae* in Collegio pio latino americano Idibus Ianuariis anno 1902.

A. M. D. G.

# INTRODUCTIO.

## § 1. Historia Confutationis et apographi descriptio.

Cum « virus Lutheranicae factionis », ut ait Chronicon Skibyense[1], ab anno circiter 1526 « per universam Cimbriam serpere » coepisset, anno vero 1528 Malmogiam et 1529 Hafniam quoque urbem totius Daniae primariam infecisset, agentibus pro munere suo Danicae Ecclesiae primoribus indicta sunt a rege Frederico I. comitia, quibus lis de religione componeretur. Succinctam horum comitiorum historiam ex laudato Chronico discat benevolus lector:

« Anno domini 1530 in festo Visitationis beatae Mariae virginis celebrata sunt Hafniae solemnia comitia, ad quae vocati fuerunt cum orthodoxis Episcopis et presbyteris etiam concionatores Lutherani, hoc animo, ut sub iudice vulgo res universa transigeretur, de qua tunc erat controversum inter orthodoxos et Lutheranos haereticos. Lutherani vero destituti solidis ac sinceris scripturis rationibusque efficacibus, graviter tamen imminebant orthodoxis, freti tyrannide ac favore principis, cuius praesidiis et protectione tuti erant et exemti ab omni iure, praevaluissentque indubie haeretici adversus universum clericorum ordinem, ni orthodoxi prudenti consilio diu fuissent tergiversati, non esse eos idoneos iudices, quos Lutherani delegissent, atque tandem provocassent ad generalis Concilii sententiam. Interea tamen fucum vulgo faciebant haeretici, se victores esse, se iactantes orthodoxos ad liberam disputationem toties provocasse, quod etiam revera faciebant, verum lege intolerabili, quia disputationem Danicam sub iudice vulgo insanissimis urgebant clamoribus, scientes hac ratione victoriam esse certissimam, quae maximopere pendebat ex populi

[1] *Dr. H. Rördam,* Monumenta historiae Danicae I. 76-77.

clamore atque sacrilegi principis et quorundam procerum favore non minus insano quam violento. Cleri namque odio excaecati ac bonorum Ecclesiasticorum cupiditate ardentes, neque ratione neque consilio aut prudentia regebantur, sed affectibus perversi ac armis potentes et validi una violentia totum Ecclesiasticum ordinem simul vastare et perdere conabantur, ni externi hostis metus obstitisset, nempe regis Christierni [1], qui tum erat toti regno formidabilis, sed praecipue satrapis ac proceribus. In eisdem comitiis, sacrilego principe non solum connivente, verum etiam instigante, ac adhortantibus quibusdam insanis proceribus sceleratisque civibus, tanta linguae petulantia debacchati sunt in Episcopos ac regni praelatos, ut omne conviciorum genus contra eos evomuerint. Nec tantum eos perstringebant sub luporum aut mercenariorum nomine in gratiam insanientis vulgi, sed perpetuo furore clamabant illos fures, latrones, seductores, proditores ac animicidas. Huius tantae insaniae rabiem nunquam impune tulissent princeps ac regni proceres, si in illis fuisset ulla mica pudoris; verum odio, avaritia ac impudentia pleni nihil non et ferebant et faciebant ».

Episcopi quidem prius regem scripto admonuerant iurisiurandi, quo Romanam Ecclesiam catholicam conservare, defendere, protegere, Lutheranis vero ne aditum quidem in regnum concedere et nihilominus ingressos severissimis poenis mulctare promiserat. Deinde cum nihil proficerent, concionatores Lutheranos literis ad regem datis haereseos accusarunt, 27 articulos haereticos eis obiicientes eosque, ut scripto tum Danice tum latine responderent, provocantes. Qui aliquanto tempore tergiversati, brevia Danico sermone dederunt responsa, latina autem non nisi biduo antequam a comitiis abeundum esset.

Hisce latinis concionatorum Lutheranorum responsis opposita est *Confutatio* latina, quam nunc primum publicamus. Opus hoc mense Augusto anni 1530 Aarhusii in Iutia, ut videtur, conscriptum et praeter Praefationem in tres Congressus divisum, hactenus typis vulgatum non fuit. Prodiit quidem anno 1533 Aarhusii aliqualis tertii Congressus versio Danica sub titulo: « Totius regni Daniae Episcoporum ac Praelatorum ad articulos Lutheranos responsum christianum orthodoxum [2] »; at hic libellus ne totum quidem tertium Congressum ne-

---

[1] Secundi, qui anno 1523 regno expulsus fuerat.

[2] « Menige Danmarkis Rigis Biscoppers och Prelaters christelige oc retsindige geenswar till the Lwtherianscke artickle. Paul Ræff. Aarhus. 1533 » 4°.

que accurate translatum continet: prius, quia non paucos articulos omittit alio opere Danico nunc perdito tractatos, cui titulus esset: « Explicatio et confessio fidei [1] »; posterius, quod non tam latina quam Danica concionatorum Lutheranorum responsa refutanda susceperat.

Quod vero ad ipsam *latinam Confutationem* attinet, omnium consensu non iam exstat ipsius auctoris autographum, sed duo tantum in bibliotheca regia Hafniensi apographa, unum vetus, et ut videtur contemporaneum, forma folio (Nova collectio N° 730), alterum recentius evidenter e priori transcriptum, forma quarta (Nova collectio N° 1141) [2].

De priori solo hic agimus. Est autem codex chartaceus constans 116 foliis nullo numero distinctis et involucro membranaceo ita insutis, ut partes Breviarii, quae in hac membrana veteri scripta sunt literis quadratis cum soni quibusdam signis — quae tamen duobus in locis desiderantur — non nisi libro inverso legi possint. In fronte eiusdem membranae supremo inveniuntur literis diversis et iam partim deletis scripta verba haec: « Doctor pouell Wendekaabe I mod the Lutherske », i. e. Doctor Paulus vertumnus contra Lutheranos. Putabatur enim Frater Paulus Heliae Carmelita, quem Lutherani contumeliose « vertumnum » appellitabant, aut auctor esse huius operis — quod falsum, — aut auctoris cooperarius operique ad impressionem praeparando praefectus — quod verissimum dici debet, maxime cum ipse Paulus Heliae in supra laudato « Episcoporum responso » anno 1533 ab ipso Danice edito dicat, etiam responsum latinum iam esse ita adornatum, ut edi in lucem possit.

De Confutatione latina eiusque historia et usu iam anno 1847 disputavit clarissimus vir Dr. theol. C. T. Engelstoft addiditque quatuor specimina longiora Commentationi suae [3], qua « praeluditur coe-

---

[1] « Wor christen trois vnderschede och bekiendelse ». — De hisce libellis cf. L. Schmitt, *Paulus Heliae* 89. 90. et *Verteidigung der kath. Kirche in Dänemark* (Paderb. 1899) 28. 29. 30-67.

[2] Nova collectio = Ny Samling N° 730. fol. — N° 1141, 4°. Hoc posterius apographum 502 paginas continet accurate a priori exscriptas cum omnibus mendis. Ex his diligens lector colliget, ne vetus quidem exemplar posse esse autographum, quin potius deberi scribae, qui imperfecte tantum calluit linguam latinam.

[3] Continentur haec in Programmate universitatis, quod hanc habet inscriptionem: « Ad sacrorum in Dania emendatorum memoriam pie recolendam... coetum Academicum indicit universitatis regiae Hauniensis Rector Adamus Oehlenschläger. 1847 ».

tui festo habendo in universitate » Hafniensi. Iuvabit sane pauca ex ista Commentatione depromere, dum agimus

## § 2. De indole auctoris Confutationis.

Descripto operis argumento eiusque divisione in tres Congressus — quae ex nostro Indice totius voluminis satis innotescere possunt — ita pergit laudatus Doctor Engelstoft:

« Quae ipsa libri oeconomia dexteritatem auctoris testatur, quippe quem non fugeret, non posse de articulis doctrinae singulatim disceptari, ubi in fundamentis tanta adesset dissensio; ideo in *primo Congressu* ideam Evangelicae et christianae doctrinae enucleavit, ut pateret, quantum in ea constituenda Evangelici, scripti verbi mordicus tenaces, a vero aberrarent, et tum demum ad certa placita refellenda festinavit, postquam in *secundo* Congressu legentium animos per auctoritatem Ecclesiae et horrorem haeresium priscarum adversus novos Ecclesiae hostes praeoccupasset.

« Eandem in disputando dexteritatem tota operis indoles egregie prodit: firmo pede ad metam sibi propositam tendit; plerumque solidis argumentis pro re sua... usus est; callide adversariorum concessiones sibi in usum convertit; ubique, si formam spectes, optime rem gessisse dicendus est.

« Ad has virtutes accedit stylus facillimus, purus et bene cultus, ornamentis oratoriis et classicis abunde distinctus...; omnia ingenium non vulgare testantur, praesertim si fides habenda est auctori affirmanti, se festinanter sermone prorsus extemporali ac propemodum neglecto usum esse.

« Philosophica eruditione excelluit: antiquarum scholarum graecarum nomina et placita in promptu habuit; logicas regulas in disputando et concludendo saepius in hoc opere licet quasi invitus... laudavit.

« Theologiam scholasticam plenis haustibus imbiberat: termini et definitiones et distinctiones scholasticorum scribenti adfuere; saepissime monuit, quid schola, quid theologorum coronae, quid Theologorum diatribae dicant, et vestigia eorum in doctrina de Ecclesia, fide, operibus, sacramentis, fidus pressit, ita ut systema Tridentinum iam hoc loco obveniat. Eam ob causam quoque nullus dubitavit fundamenta systematis Ecclesiastici aperte sua agnoscere, ubi in congressu primo de vera Evangelicae doctrinae notione disputabat. ,Per quos

velut organa locutus sit spiritus sanctus‘ expositurus decem fontes ceu partes doctrinae christianae recenset », quas lectori benevolo ex ipso opere pp. *(29-39)* cognoscendas relinquimus.

« Sed quum in tanta doctrinarum copia non abesse posset multum in eligendo dubium, ipse, quid verum et a spiritu sancto profectum sit, iudicio Ecclesiae distinguendum esse docet; de ea re enim ‚supremum atque certissimum iudicium penes unam solamque Ecclesiam Dei catholicam...‘ esse iubet. Alio quidem loco canonicae utriusque testamenti scripturae eandem auctoritatem tribuere videtur, ut ad eam ‚alia discuti, examinari et censeri debeant omnia, atque eatenus pro veris acceptanda, quatenus ei non refragentur, eatenus pro falsis abiicienda, quatenus eidem contradicant‘; sed aperte simul affirmat, eam ‚Ecclesiae iudicio subiectam esse‘, quae et scripturam sacram esse sola declaret et ‚optime eam interpretari possit‘. Quo fit, ut Ecclesiae soli demum ius doctrinam constituendi competat, quippe quae ‚omnia credenda proponat‘. Haec autem catholica Ecclesia ita cum Papatu connexa sistitur, ut ‚qui Papam, Christi Vicarium, Petri successorem et universalis Ecclesiae pastorem non agnoscat Patrem, nec Ecclesiam, Christi sponsam, habere possit Matrem‘.

« Quae cum ita sint, apparet, auctorem ad totum Ecclesiasticum systema defendendum paratum fuisse ». In eum finem « ex sacra scriptura, quam penitus cognovit, ubique locos probantes et formulas dicendi in promptu habuit; sed quum eam spiritu catholizante semper legisset, ea fidem Ecclesiastico systemati habitam non infringere, quin ubique stabilire visa est ».

Post tanta in auctorem eiusque argumentandi et ratiocinandi modum facta eloquia mirum sane est, quod laudatus vir Dr. Engelstoft dubitare possit, « an ipse (auctor) plena et viva fide id doctrinae systema amplexus sit, quod suum esse professus est ». Et dubii sui rationem hanc affert: « Probaturus, quid sit Evangelium, post longas ambages de lege spiritus non scripta, sed infusa per spiritum sanctum, desinit in eam definitionem, Evangelium esse ‚gratiam seu charitatem spiritus sancti vivificantem animam per Iesu Christi virtutem et meritum‘ — neglecta igitur fide, quam alibi in opere suo ita ab amore distinxit, ut eam perfectam esse posse sine amore affirmet. Porro fidem non nuntiari vult in Ecclesia veteri, dudum condita; sed amoris praeconium multo magis necessarium esse dicit ».

Respondemus, errasse clarissimum Doctorem dicendo, fidem ab auctore esse neglectam. Contrarium prorsus elucet ex toto opere, ma-

xime vero ex articulo tertio tertii Congressus de fide. Fidem enim prorsus necessariam dicit eamque a Christianis materno cum lacte simul imbibi; neque fidem nuntiari non vult, sed non « tot tantisque laudibus, maxime falsis, evehi », cum « potius charitas tum Dei tum proximi, ceu universae legis et abbreviatio et consummatio perpetuo inculcanda » sit [1]. Haec igitur charitas, auctoris iudicio, necessario supponit comprehenditque fidem, alioqui non tantopere cum ipsa sacra pagina commendaret *fidem* utique « non otiosam, sed operosam, non fictam, sed sinceram, non mortuam, sed vivam, non sterilem, sed foecundam, non Pharisaicam, sed Evangelicam, non denique informem, sed formatam, i. e. omni virtute et omnium denique virtutum officiis (data opportunitate) comitatam ». — Accedit, quod ipse praeclarissimus Doctor Engelstoft (p. 17) de Paulo Heliae nostroque auctore loquens aperte dicat: « Uterque etiam *fidem* Ecclesiae dogmatibus habendam (licet otiosam, ut videtur) *urgebat* ut primam (temporis ratione) virtutem, sine qua nullam aliam adesse posse statuebant, ad quam vero amor tanquam alia virtus accedere debebat ».

Deinde idem Dr. Engelstoft (p. 14) « a parte theoretica aliquem Rationalismum » conspicit; « nam non Ecclesiam », inquit, « et revelationem historicam fontem et matrem veri sistit, sed quum pro Ecclesia liberam spiritus sancti in quocumque homine operationem substitueret, veritati ipsi et rationi humanae plus tribuit, quam quod cum perfecta subiectiva in Papam et Ecclesiam fide facile constare possit, siquidem verum proprie subsistere dicitur, et Ecclesia tantum regula et norma probationis et reprobationis erit, cui sane docens omnem institutionem subiicere possit, sed non facile meditans omnem suam intelligentiam subiiciat ». — Et iam superius (p. 11): « Licet opinari », inquit, « eum, si intimum pectus aperuisset, non procul ab ea distinctione abfuisse, qua Scholastici recentiores philosophice et theologice vera ita distinguerent, ut hoc quidem professione, illud vero persuasione amplecterentur; id quod Theologiam eius inspicientibus nobis elucere videtur ».

---

[1] Fere idem postmodum Professor Universitatis Hafniensis Nicolaus Hemmingsen christianis inculcandum putavit. Nam in dedicatione libri sui (dat. 24. Dec. 1558): « Diligenter », inquit, « docendi sunt homines, quod debitores sint Dei, quod vocati sint non ad turpitudinem, sed ad sanctificationem, quod fides, quemadmodum Iacobus docet, mortua sit sine operibus ». *Rördam,* Kjöbenhavns Univers. Hist. I. 258 n. 1.

Tam grave et obiective iniuriosam insinuationem saltem non opinione tantum, sed demonstratione, ut nobis videtur, confirmare debuisset laudatus Doctor, id quod nullo modo praestitit. Et nos quidem, qui totam Confutationem transcripsimus et non perfunctorie identidem perlustrando examinavimus, nunquam ne vestigium quidem talis distinctionis observare potuimus; omnia potius quam clarissime testantur, auctorem omnem veritatem revelatam ab Ecclesia propositam persuasione aeque ac professione amplecti.

Quae autem praecedunt, laudati Doctoris praeiudicium protestanticum luce clarius manifestant. Sane qui aliquam Ecclesiam regulam et normam probationis et reprobationis *fallibilem* agnoscit, ut acatholici solent, potest fortasse docens omnem institutionem eidem subiicere, quin meditans omnem suam intelligentiam subiiciat; at longe aliter aget vere catholicus. Is enim dum Deum revelantem omnis veritatis revelatae fontem supremum et primarium, eos autem, per quos tanquam organa locutus est Deus, veri fontes derivatos credit, Ecclesiam regulam et normam *infallibilem* probationis et reprobationis admittit eique non solum omnem institutionem, sed omnem suam intelligentiam obedienter submittit, firmiter persuasus, eam divino spiritu assistente ab omni errore in rebus fidei praeservari.

Atqui talis catholicus fuit auctor Confutationis, quippe qui, ipso Doctore Engelstoft teste (p. 12), « quid verum et a spiritu sancto profectum sit, iudicio Ecclesiae distinguendum esse doceat », penes quam solam « supremum atque *certissimum* iudicium esse iubet ». Neque unquam *pro* Ecclesia liberam spiritus sancti in quocumque homine operationem substituit: nam spiritus quidem sanctus libere, sed in summa concordia cum Ecclesia ab ipso directa agit, quae in omni casu potestatem habet infallibiliter declarandi, « quid a spiritu sancto sit an non sit profectum ».

Quod autem idem Doctor clarissimus (p. 5) autumat, « unum deesse libro sic bene composito, scilicet *veritatem ipsam* », vere nobis nugari videtur.

Nam *veritatem ipsam* vocat doctrinam aut Lutheranam, aut biblicam, aut catholicam. At quomodo agnoscetur ut *veritas ipsa* doctrina Lutherana, de qua ipsis illis diebus sub iudice lis erat, de qua disceptabatur et disputabatur? et quodnam ius haberent Lutherani, inter quos Dr. Engelstoft, suam doctrinam vocandi *veritatem ipsam*, cum nemo iudex possit esse in propria causa et, quod gravius est, Lutherana doctrina nunquam sibi ipsi constiterit, dum e contra *veritas ipsa* est prorsus immutabilis?

Sin autem *veritatem ipsam* doctrinam dicit biblicam, en habes eam ab auctore nostro, ut ipse laudatus Doctor concedit, optime allegatam, clarissimeque et explicatam et applicatam.

Si denique doctrinam catholicam, quod non videtur, diceret *veritatem ipsam*, non est dubium, quin haec ab auctore et lucidissime exponatur et solidissime simul atque invictissime defendatur et adstruatur.

Quo igitur iure libro deesse veritatem ipsam praetendere potest?

## § 3. Quis sit auctor Confutationis?

Ignotus manserat ultra tria saecula huius egregii operis auctor, quippe qui personam suam pro viribus celaverit neque ab ullo alio scriptore proditus fuerit. At tot ac tanta nobis innotuerunt indicia, ut nostro saltem iudicio nostris tandem diebus e latebris suis prodire coactus sit. Neque Paulo Heliae Carmelitae neque ulli Dano, sed Germano Theologo opus adscribendum esse, ex ipso opere luce clarius cognoscitur, quemadmodum in commentatione supra laudata Dr. Engelstoft abunde probavit. Nos vero ulterius progressi hunc Theologum Germanum nullum alium esse asserimus, quam Nicolaum Ferber Herborneum vel Herbornensem, vulgo *Herborn* dictum, tunc temporis Regularis observantiae Ordinis Minorum Provinciae Coloniensis Ministrum et Ecclesiasten urbis Agrippinae Coloniae.

Hanc assertionem iam quidem demonstravimus lucubratione Germanica, cui titulus: « Theologus Coloniensis Nicolaus Stagefyr et Franciscanus Nicolaus Herborn [1] ». Attamen lectori, ut putamus, gratum erit, si hoc quoque loco saltem paucis argumentationis nostrae rationem reddiderimus.

I. *Ex ipsa Confutatione constant sequentia:* 1. Auctor fuit unus ex praestantissimis Theologis, in philosophia et Theologia scholastica perfectus atque in sacra scriptura ac patrum scriptis studiose et multum volutatus;

2. in scriptione latina aemulus Erasmi Roterodami, unde locis classicis orationem locupletavit citando Homerum, Aristippum, Socratem, Pythagoram; Salustium, Ovidium, Virgilium, Ciceronem, Tibul-

---

[1] « Der Kölner Theologe Nikolaus Stagefyr und der Franziskaner Nikolaus Herborn. Von Ludwig Schmitt S. I. » (67. Ergänzungsheft zu den « Stimmen aus Maria-Laach »). Freiburg im Breisgau. Herder. 1896.

lum, Horatium, Prudentium, Petrarcam, Senecam, Epicurum, Lucretium, Fabium Quintilianum; Lutheranos vocat Plautinos et Terentianos Theologos; Plautique et Terentii formis latinis frequenter utitur; etiam Aratum, Epimenidem, Menandrum poëtas allegat [1];

3. verbis et formis minus consuetis saepe utitur. Sic inveniuntur: Nomenclatura, offendiculum, plebecula, popellus, servator, servare, manifestarius, necessum est, et adverbium « sinceriter »; formis vero verborum frequentativis, ut factitare, appellitare etc. manifeste delectatur [2];

4. dictionem habet omni arte rhetorica, figuris, periodis, sententiis, metaphoris, similitudinibus ad rem quam optime comparatis exornatam simulque lucidissimam;

5. graecae linguae gnarus et amans libenter ad graecum scripturae textum provocat [3] et graecis vocibus ad illustranda argumenta utitur [4];

6. hebraicae linguae eruditus non fuit [5];

7. alios « novi instrumenti [6] », ut vocat, textus secundum Erasmi Roterodami versionem, alios utriusque testamenti locos modo e memoria, modo verbis editionis vulgatae affert [7];

8. summi Pontificis infallibilitatem clarissime profitetur [8], sacramentum *confirmationis* inter alia ex eo, quod Christus infantibus manus imposuit, *extremae unctionis* ex eo, quod Apostoli aegros oleo ungebant et sanabant, comprobari dicit [9], et quoad *communionem* curandum esse monet, « *non tam ut varie, quam ut digne* hoc venerabili sacramento » participemus [10];

9. abusus multos et magnos in Ecclesia non excusat, sed damnat et emendandos esse docet; attamen quae novatores inde concludunt, perperam concludi demonstrat [11];

10. severissime reprehendit concionatores Lutheranos, argumentis ad hominem, ut aiunt, comparatis et ironicis locutionibus reprimit, iamdudum ut haereticos condemnatos et excommunicatos esse probat passimque, excedens utique limites moderationis et modestiae — id quod,

---

[1] Quaere nomina ista in III. Indice.
[2] Inveniuntur ope II. Indicis.
[3] v. g. p. (184). De citatione pp. (184. 6. etc.) cf. infra p. 23.
[4] pp. (6. 24. 29. 41. 184)
[5] « Si quid », inquit, « hebraice peritis creditur » p. (184); cf. Engelstoft l. c. 11.
[6] pp. (145. 148)
[7] Cf. I. Indicem locorum sacrae scripturae.
[8] pp. (33. 158)
[9] p. (125)
[10] p. (135)
[11] pp. (7. 60. 56. 69. 75. 170)

ut iam dictum est, improbamus — nominibus contumeliosis et probris exagitat. Eos namque appellitat: ganeones, fures, latrones, helluones, temulentos, momos, nebulones, nothos, spurios, sycophantas, vipereas proles et soboles, canes, filios Belial, Thrasones, Veneri et Priapo deditos, reprobos, polypos etc.[1]. Saepissime eos dicit impudenter mentitos esse; eorum autem Ecclesiam Synagogam Satanae, factionem, faecem, meretricem, adulteram, notham vocitat[2];

11. opus se suum conscripsisse ait « in summa temporis angustia », et « ob temporis angustiam, pro temporis angustia, pro temporis ratione paucis[3] » tantum se agere profitetur;

12. « libello huic uni rei destinato » se ostendisse testatur, « omni iure vetitum esse totum hoc disputandi genus, quod collectis hominum turbis instituatur, maxime super iis fidei nostrae dogmatis, quae semel Ecclesiasticis patrum synodis definita sint[4] »;

13. « generalem » hanc suam « totius Lutheranae factionis Confutationem » « *velitationem*[5], *generalem* disputationem[6] » aut « disputatiunculam[7] » nominat, qua quasi praeludat « *ad maius aliquod certamen* », et se postmodum si quid obiectum acceperit, « *serio instaurata pugna a capite usque ad calcem omnia retexentem iusto volumine cum adversariis congressurum*[8] » vel « *pluribus atque gravioribus se acturum* esse promittit, ubi Lutheranorum responsa viderit discussione et examine digniora quam hucusque oblata[9] ».

II. Ex *traditione* quadam inter antiquiores et recentiores Daniae scriptores[10] constat, Germanos Theologos mense Iulio anno 1530 Hafniae degentes ex urbe *Colonia Agrippina* Hafniam venisse. Cui traditioni certe non minimum addunt robur, quae auctor Confutationis quasi per transennam scribit hisce verbis[11]: « Et nonnihil de rasura sacerdotalis verticis (legat) apud Rupertum olim Abbatem monasterii

---

[1] pp. (58. 167; 15. 18. 135; 167; 59. 157. 179; 135; 21. 47. 52. 216; 111; 21. 55. 204. 208; 7; 45. 47. 48; 197; 167. 171; 49. 104; 62)

[2] pp. (54. 215. 224; 13. 19 alibi; 49. 230; 52. 54)

[3] pp. (115. 7. 123. 188) [4] p. (6) [5] p. (42) [6] p. (44)

[7] p. (50) [8] p. (7); cf. p. (42) [9] p. (197)

[10] *Hvitfeldt*, Danmarks Riges Krönike 1652. Fol. p. 1322. — *Pontoppidan*, Kurz gefasste Reformationshistorie der dänischen Kirche, Lubek 1734. p. 207 ff. — *Danske Magazin* 1745. I. p. 93. not. (d). — *Karup*, Den kath. Kirke i Danmark. 1859. p. 208 (Deutsche Ausgabe, Münster 1863. p. 189). — *Hammerich*, Den kristne Kirkes Historie III. (1871) p. 132 et alii.

[11] p. (154)

Tuitiensis e regione *felicis Agrippinae Coloniae* in Rheni ripa siti, ordinis sancti Benedicti » etc. Nulla enim erat ratio commemorandi metropolim Rhenanam eamque felicem praedicandi, nisi auctor eam apprime caram habuisset.

III. *Ex testimonio concionatorum Lutheranorum, qui comitiis anni 1530 intererant,* haec colligimus: 1. Theologos Germanos fuisse « Aristotelicos et papisticos doctores et monachos, qui doctorum titulis gloriabantur, ut populum seducerent ».

2. Unius tantum ex eis nomen affertur, qui quidam doctissimus habitus fuisse dicitur. Appellatur autem modo *Dr. Stagefyr* [1], modo Dr. *Stagebrand,* modo *Nicolaus Stagebrand,* modo *Dr. Nicolaus Stagefyr,* ex qua inconstantia iam [2] concludere licet, non fuisse proprium ipsi hoc nomen *Stagefyr,* sed potius a Lutheranis inventum veroque nomini baptismali *Nicolao* additum, praesertim cum idem Theologus carmine famoso accusetur, quod « voluerit demonstrare nomen suum « Stagefyr » *expellendo* Lutheranos alios *igni,* alios aqua ». Significat namque *Stagefyr* vel *Stagebrand* in danica lingua *ignem* (*Fyr, Brand*) *in summa pertica* (*Stage, germanice Stange*) *positum* (Stangenfeuer, Zündstange, Brandfackel).

3. Idem per ludibrium perstringitur ut « *Dr. de Bombo, quid dico, de Bomberig* » et vocatur « pugnator aut gigas (Kæmpe) tam magnus et pius, qui gloriabatur de potestate, qua usus fuisset in Germania *igni comburendi* aut aqua frigefaciendi eos, qui papistarum auctoritati resisterent, qua eadem potestate ipse tunc in Dania uti volebat [3] ».

---

[1] Simili modo vocatur *Lector Paulus Heliae,* Carmelita, ab iisdem concionatoribus « *Lector vende Kobe* », i. e. Lector versipellis; et, ut supra p. 3 diximus, in fronte involucri apographi invenitur inscriptio: « *Doctor pouell Wendekaabe* » i. e. Doctor Paulus versipellis vel vertumnus. In ipsa vero hac *Conf.* p. (69-70) idem ab iisdem concionatoribus vocatur « *lector Paulus* » tantum. Cf. p. (74).

[2] Extant etiam aliae plures rationes a nobis in lucubratione iam nominata expositae. Cf. supra p. (8. n. 1).

[3] Concionatorum Lutheranorum testimonia supra allata eruimus ex libellis: 1. « Danmarks christelige Prædikanters Gjensvar paa Prælaternes Klagemaal förte over dem paa Herredagen i Kjöbenhavn 1530 » ; 2. « Malmöberetningen om Religionsartikler og Forhandlinger paa Herredagen i Kjöbenhavn 1530 », qui libelli editi sunt a Holger Fr. Rördam 1885 et 1889; 3. ex carminibus probrosis in Paulum Heliam et in Dr. Stagefyr impressis Malmogiae anno 1530 iterumque publicatis a *Chr. Bruun* in libello, cui titulus: « Viser fra Reformationstiden »

*Assumptio supradicti triplicis testimonii.*

Atqui omnia, quae numeris I. II. III. attulimus, suo modo in unum solumque Nicolaum Herborneum conveniunt. Ergo hic est auctor laudatae Confutationis.

Et quantum ad numerum I: Nicolaus Herborneus

1. citra dubium unus fuit ex praestantissimis Theologis, philosophus perfectus, scientia scripturae sacrae non vulgari praeditus, in scriptis patrum optime versatus — id quod libros eius inspicienti manifeste patebit;

2. eosdem, quos supra nominavimus, in scriptis suis citat auctores classicos, Plautique et Terentii formis latinis frequenter utitur; etiam Aratum, Epimenidem, Menandrum poetas allegat;

3. nec minus quam auctor Confutationis formis et verbis supra enumeratis orationem ornat: id quod vel maxime observatur in constanti usu adverbii « sinceriter » et formarum frequentativarum quoad verba;

4. dictionem habet eodem prorsus ornatu instructam, nonnunquam maiori cultu expolitam, quod mirum non est; nam auctor Confutationis ex professo dicit, se « in praesentia » acturum « sermone prorsus extemporali, ac propemodum neglecto », ideoque « non tam verborum flores, quam rerum pondera curae » habiturum [1];

5. eodem modo quo auctor Confutationis etiam Nicolaus Herborn graecam callet linguam et inter alias duas easdem cum eadem significatione voces graecas adhibet: ἀσύστατον sc. et δὶς διὰ πασῶν [2];

6. de hebraica lingua eodem modo tacet;

7. utriusque testamenti textus frequentissimos alios e memoria, alios Vulgata tenus, aliquos secundum Erasmi versionem « novi », ut vocat, « instrumenti » citat [3];

8. de summi Pontificis *infallibilitate*, de sacramentis *confirmationis* et *extremae unctionis* eandem prorsus cum supra memorata doctrinam

---

1864 pp. 29-34; 25-28 (Cf. *L. Schmitt,* Paulus Heliae p. 140 ubi prius carmen Germanice versum invenitur); 4. ex carmine item probroso in missam aegrotam, impresso in *Danske Magazin* (II. 54-64; 84-95; 103-107) et nuperrime (1893) iterum publicato a *S. Birket Smith:* « Nicolaus Manuels Satire om den syge Messe ».

[1] p. (7) [2] pp. (41. 24) *Herb. Mon.* 1b; C 8b et *Ench.* G 6b.

[3] Ratio, cur in *Confutatione tot* textus secundum Erasmi versionem citentur, nobis videtur potissimum esse adornatio editionis Paulo Heliae commissa, qui Erasmi fuit studiosissimus laudator, exscriptor et imitator.

profitetur; de communione vero sub una specie, « Id magis curandum », inquit « *ut digne, quam ut varie* communicemus [1] »;

9. item abusus non aliter quam iste diiudicat;

10. Lutheranos iisdem prorsus nominibus probrosis appellitat;

11. « temporis angustiam » ut minister Provincialis Herborneus accusat, dum 5. Febr. 1531 scribit: « Quanquam me publicum, quo suffectus sum nolens, munus hoc ministerialus sic sibi porro mancipaverit, ut vix per transennam quippiam in bonos auctores otii impendere liceat »; suffectus autem fuerat die 8. Augusti 1529;

12. quanquam « libellum » istum, qui tempore comitiorum scriptus regique oblatus fuisse videtur [2], nullibi invenimus; tamen non dubitamus, quin Nicolaus Herborneus apprime aptus fuerit ad eum conscribendum: id enim abunde probant omnia eius scripta, in quibus citat ius Pontificium et Caesareum itemque ius naturae, maxime vero inter 326 « Assertiones » eius 323ᵃ et 324ᵃ sub inscriptione: « Assertiones aliae, quibus excusatur Guardianus Marpurgensis, quod in Hombergiana congregatione disputare noluerit neque respondere Francisco Lamberto haeretico »;

13. quod denique ad opus istud maius attinet, quod auctor Confutationis se, si quid obiectum acceperit, scripturum esse promittit; clarissime idem Herborneus tale *maius aliquod certamen iusto volumine* conscribendum sibi anno 1529 proposuerat. In sua namque « *Methodo praedicandi* (V 8ᵇ): « Proinde », inquit, « lector, quo tuis et omnium, praecipue vero verbi concionatorum studiis consulatur, quove *omnia* habeas ceu ad *congressionem bellici tumultus iamiam instantem ad manum arma exposita*, obvia, instructa, propediem evulgemus (sic!) concordantiarum farraginem, et ut ita dicam, sacram quandam *areolam* ad quodlibet thema deducendum, in qua quisquis, si modo volet, comperiet materiam et tempori et personis et causis opportunam ». Prodiit hic liber eodem anno 1529 Coloniae apud Petrum Quentel, concinnatus a P. Antonio Königstein sub titulo: *Concordantiae breviores rerum optimarum... ex sacris Bibliorum libris collectae et in ordinem redactae alphabeticum* ». Praemissa Herbornei Praefatio clare enuntiat librum hunc esse « concordantiarum farraginem » in *Methodo praedicandi* promissam. Inspicienti hoc opus liquebit, quam facile fuisset Nicolao Herborneo, arma necessaria omnia *ad maius istud certamen* inde depromere. Sed cum ab adversariis nil obiectum esset, neque Herborneus istud suum *iustum volumen* conscripsit.

---

[1] *Ench.* G 7ᵇ. [2] Cf. infra p. 33.

Hisce addendum est, plurimos esse locos parallelos in Confutatione nostra et variis scriptis Fratris Nicolai, quos partim saltem citabimus in annotationibus huius voluminis. Id vel maxime observabit attentus lector in iis, quae Confutatio habet de notis Ecclesiae, comparatis cum laudati Minoritae « *Tractatu de generalibus notis verae Ecclesiae Christi et Satanae Synagogae sive adulterae* ».

Eiusdem « *Haereticorum catalogus, ex quibus Lutherani prodierunt* », satis superque probat, vix meliorem aptioremque auctorem Nicolao potuisse inveniri, qui id quod Confutatio sibi proposuerat, luculentissime commonstraret, Lutheranos sc. esse haereticos, non solum quod unam saltem prorsus novam doctrinam, de missa nempe, pertinaciter docerent, sed etiam quod multos antiquorum et damnatorum haeresiarcharum errores recoquerent.

Ad numerum II. si accesserimus, nemo est, qui possit ambigere, quin Fr. Nicolaus Herborneus illo tempore Coloniae Agrippinae degerit [1], ut concionator Ecclesiae cathedralis magno in honore habitus istique urbi maxima cum charitate addictus fuerit. « Amici eius [2] », inquit Nebe [3], maximi eum faciebant aestimabantque ut eloquentissi-

---

[1] Coloniae ex aedibus... Doctoris Ioannis Rhinck anno 1529 Kal. Iun. scripsit praefationem alterius editionis Enchiridii sui, in cuius fronte se appellat « apud Agrippinam Coloniam Ecclesiasten ». Et anno 1530 Coloniae item paucis verbis laudavit « Postillas... congestas a V. P. Antonio a Konigsteyn Guardiano Brulensi. Coloniae 1530 ».

[2] Unus ex his amicis erat Georgius Skodborg, archiepiscopus Lundensis, tunc temporis exul Coloniae commorans, quem Nic. Herborneus literis Monsoria ex Hispania 11. Dec. 1534 datis salutat scribens: « Saluta omnes RR. Dnos Archiepiscopos Col. *Lundensem* »... Nec mirum; Georgius Skodborg enim non solum Hafniae a. 1522 (teste Hamfortio apud *Rörd.* Ny kirkeh. Smlgr. 2. R. II. 501) vestem sumpsit Franciscanorum, sed etiam primo tempore suae commorationis Coloniensis in antiquo *Franciscanorum* hospitio, in aedibus sc. Doctoris iur. Ioannis Rinck, susceptus et « humanitate incredibili tractatus » fuerat. Testatur hoc F. Laurentius Surius Carthusianus (Commentar. brev. rerum... gestarum ab anno 1500-1568. Colon. 1568 p. 125 ad an. 1517), qui ipse « aliquandiu, cum Coloniae literis operam daret, in aedibus » dicti archiepiscopi Lundensis « habitaverat ». Herborneus autem toto tempore, quo Coloniae degebat, in domo Dr. Ioannis Rinck habitabat. — De Georgio Skodborg cf. *Otto Braunsberger* S. I. Beati Petri Canisii S. I. Epistulae et Acta. Frib. Brisg. 1896 I. p. 79. ubi habetur epistola Canisii dedicatoria archiepiscopo Lundensi inscripta et editioni germanicae operum Tauleri praefixa.

[3] Denkschrift des kgl. preuss. ev.-theol. Seminars zu Herborn für 1868... von August Nebe, Professor, Dekan, Schulinspector und erstem Pfarrer zu Herborn. Ibidem pp. 1-38: « Nikolaus Herborn ». Locum supra citatum invenies p. 15.

mum et ardentissimum fidei veteris defensorem; quare libenter eum promovebant, et ubicumque periculum Ecclesiae imminere putabant, obiiciebant ». Ipse vero Nicolaus noster, quibus laudibus celebraverit suam « *catholicissimam* et *felicissimam Agrippinam Coloniam* », cuivis, qui obiter opera eius inspexerit, indubium erit. Quid quod in praefatione secundae editionis Enchiridii sui hoc suum propositum profert: « Omnia haec », inquit, « eduntur in hac nostra, imo Christi et omnium *felicissima Colonia Agrippina, cuius ego laudes, dum fata hos artus regunt, non cessabo resonare* ». Quae verba quam accurate pulchreque consonent laudi eiusdem urbis ab auctore Confutationis prolatae, nemo cordatus non videt. — His adde, quod in catalogo omnium virorum doctorum Coloniae Agrippinae addictorum nemo prorsus invenitur, cui omnia signa conveniant praeter laudatum Nicolaum [1].

Restat numerus III. continens testimonia concionatorum protestantium in Dania. Et quidem

1. monachus fuit Herborneus regularis observantiae ordinis minorum quique ab istis iure merito dici potuit Aristotelicus et papisticus doctor, quidquid tandem sit de titulo doctoris, quo utrum ab universitate ulla insignitus fuerit necne, prorsus nescimus. Ceterum constat isto ipso tempore a multis Lutheranis titulum doctoris nauci non factum nonnullisque viris ut nomen contumeliosum additum fuisse [2].

2. Cum Nicolaus Stagefyr vel Stagebrand doctissimus a catholicis habitus fuisse dicatur ideoque inter doctores Germanos a Lutheranis solus nominatus et cantione quoque contumeliosa sugillatus sit, non dubitamus, quin ipse ab Episcopis Daniae iussus fuerit Confutationem scribere eamque revera etiam saltem ut auctor principalis composuerit [3]. Atqui Confutationis dictio est, ut supra ostensum, Nicolai Hernornei, cuius nomen Nicolaus cum nomine auctoris Confutationis concordat, discordi cognomine. Quoniam vero cognomen *Stagefyr*, vel *Stagebrand* inventio est concionatorum Lutheranorum, nihil impedit, quominus Minorita noster hoc cognomine ab istis notatus sit, eo ma-

[1] In hunc finem accurate perlustravimus totam « Bibliothecam Coloniensem P. Iosephi Hartzheim. Coloniae 1747. folio. — Item Fr. Ios. von Bianco, Die alte Universität Köln. Köln 1855. 2 vol.

[2] Cf. *I. Ianssen,* Geschichte des deutschen Volkes VII. 173. — Ipsi etiam Malmogienses Lutherani in Dania cum contemptu de talibus titulis loquebantur. *Malmöbogen* Fol. 52 (N. 4), et alibi.

[3] Eidem Dr. Nic. Stagefyr Confutationem adscribit etiam Dr. Engelstoft in « *Reformantes et Catholici* » p. 20. 47.

gis quo constat, Herborneum non semel tum voce tum scriptis declarasse « tollendos esse e medio sectarios », curandumque, ut « cadant seu ense, seu *igne* seu aquis, qui divexant ac interturbant tranquillitatem christianae reipublicae [1].

3. Unde satis explicatur exaggerata sine dubio Lutheranorum exprobratio, quod ut pugnator aut gigas magnus et pius gloriatus fuerit de combustis aut aqua frigefactis haereticis in Germania volueritque idem agere in Dania. Ut « doctor *de Bombo*, quid dico, *de Bomberig* » vero perstringitur laudatus Minorita, quia protestantium iudicio et cavillatione dicebatur insigniter victus fuisse in disputatione cum Francisco Lamberto, apostata Minorita, dum iussu Landgrafii Philippi diebus 21. et 22. Octobris 1526 *Hombergae* in Hassia synodus quaedam haberetur [2]. Unde mirum non est, concionatores Daniae Lutheranos nomine Hombergae contracto et corrupto ipsum suum adversarium exosum per ludibrium appellasse « doctorem *de Bombo*, quid dico, *de Bomberig* ».

Quod autem ista Hombergensis disputatio tunc temporis in Dania cognita fuerit, tum ex libris *Francisci Lamberti* et ex *Monade* Herbornei, quae in bibliothecis Hafniensibus inveniuntur, tum ex Manuscripto contemporali Pauli Heliae, Carmelitae Dani, colligitur, in quo imitando initium Evangelii secundum Matthaeum, « Zwinglius autem »,

---

[1] Citatur a *I. Janssen*, Geschichte des d. Volkes. 15. Aufl. III. p. 61. — In *Assertionibus* 326 saepius eodem modo loquitur Herborneus, item in *Enchiridio*, ubi capite XLVI. ex professo describit, « quid principes ac magistratus seculi agere debeant tempore schismatis ». — Cf. *Confut.* p. (59): « Longius aut brevius resipiscatis, *in ignem mittendi*, si non hic in *temporalem*, certe post in aeternum ».

[2] Ipse Herborneus dicit *Ass.* 188: Non semper verbum domini confiteri oportet coram iis qui exigunt, quod margaritae non sunt porcis obspergendae neque sanctum dandum est canibus, quandoquidem Christus coram Herode et Pilato quasi agnus coram tondente se obmutuit. Ex eadem causa *Frater Nicolaus Herborn. Guardianus Marpurgensis coram Lutheranis obmutuit Hombergiae.* — Et *Ass.* 326: Eat nunc Franciscus Lamberti meque glorietur victum, confusum, denique Hombergiae obmutuisse; eat et in suis conventiculis me anathematizet, excommunicet, seque victorem, me victum adclamitet; *aggratulentur et illi Lutherani omnes cum literis tum libris editis, tum vocibus stentoriis,* meque damnent, *et sibilent* exulemque faciant, modo me Christus inter suos agnoscat, modo christianis placeam, qui, spero, una mecum defendent non meas solum, sed Christi Ecclesiaeque suae assertiones, quas ego ita assero, ut nullos praeter eos, qui in una Ecclesia catholica sunt, censores iudicesque admittere velim. Solius enim Ecclesiaę catholicae iudicium subire volo, cuius et filius et alumnus esse volo, modo mihi Christi adsit gratia.

inquit, « genuit *Lambertum*. *Lambertus* autem genuit Brunpheltium » etc. [1]

Satis igitur disputatum esse putamus, ut sine errore hoc factum historicum asserere possimus: Minorita Nicolaus Ferber, oriundus ex urbe Herborn, unde vulgo dictus est Nicolaus Herborn, comitiis Hafniensibus a 2. Iulii ad 2. Augusti 1530 in negotio religionis habitis interfuit et iis finitis Aarhusii [2], ut videtur, Confutationem saepe laudatam conscripsit.

## § 4. Brevis conspectus vitae Nicolai Herbornei.

Natus circa annum 1480 in urbe Herborn Nassoviae, primum nobis occurrit ut Guardianus Minoritarum Marpurgensium. Ex hoc suo conventu Landgrafium suum Philippum literis 10. Ian. 1525 datis instanter monuit et rogavit, ut maiorum suorum vestigia premens exemplumque imprimis sanctae Elisabethae sequens omni novatione seposita sanctam fidem catholicam et retineret et defenderet. Sed oleum et operam perdidit. Nam iubente Landgrafio 12. Kalendas Novembres (21. Oct.) et sequentibus diebus 1526 Hombergiana Hessorum congregatio habita est, in qua apostata ordinis Minorum Franciscus Lamberti Avenionensis « Paradoxa », quae vocabat, sua doctrinae et disciplinae Ecclesiae opposita ex sacra scriptura conatus est demonstrare. Ad eandem congregationem cum « ad consultandum, non ad disputandum » ipse etiam Guardianus Marpurgensis accersitus esset, quantumvis provocatus, in disputationem cum illo intrare prorsus detrectavit, protestatus, « iuxta dietae Spirensis tenorem nihil esse immutandum ac innovandum, sed differenda omnia usque ad futurum generale vel nationale concilium », cum praesertim iudices disputationis competentes ac legitimos neque Lambertus, neque princeps eiusque consiliarii vellent admittere. Quare centum tantum assertionibus Lamberti Paradoxis oppositis doctrinam disciplinamque catholicam proposuit et paratum se esse dixit « ad probandam earum cum sacris literis consonantiam sub iudicibus competentibus per pontificiam seu

---

[1] Scripta varia (*Vermischte Schriften*) Pauli Heliae (Gammel kongelig Samling Nr. 1551. 4°) Nr. 19. — Impressum est hoc « Inicium noui euangelii Secundum Manicheum » apud Dr. Rördam, Monumenta historiae Danicae I. p. 129.

[2] Rationes huius asserti in commentatione nostra germanica attulimus (*Nikolaus Stagefyr*, p. 50).

caesaream in futuro generali vel nationali conciliis designandis auctoritatem ».

Hanc vero ob causam iam tunc a Lamberto probris et contumeliis affectus, cum Landgrafii veniam abeundi petiisset, in Werlensi oppido coram notario publico protestationem suam repetivit eodemque anno mense Decembri « *Assertiones 326 veras orthodoxas adversus Fr. Lamberti Paradoxa impia* »... Coloniae typis mandavit.

Anno 1527 Nicolaus noster, monasterii Brulensis nominatus est Guardianus eodemque anno Coloniae publicavit « *Epistolam ad Coloniensem felicissimam urbem* », qua respondebat Francisci Lamberti mendaciis prolatis in epistola ad Colonienses 15. Febr. 1527 data; item Germanico idiomate imprimi fecit commentationem de tribus clericorum votis, cui addidit rationem, cur iudicibus Lutheranis scripta sua neque vellet neque deberet subiicere.

Non obstante munere Guardiani Brulensis mox Ecclesiastes urbis Agrippinae Coloniae factus, cum ordinarie in templo cathedrali tum etiam aliis hinc inde locis eiusdem archidioecesis concionabatur orthodoxam in omnibus fidem explicans adhortansque ad exercitium virtutum christiano homine dignarum. Dum Coloniae morabatur, « *Enchiridion* » suum edidit prima vice anno 1528, secunda anno proxime sequenti; huic vero secundae editioni adiecit « Tractatulum de *notis Ecclesiae* uno die vix integro confectum, *Methodumqne praedicandi* concionatoribus » utilissimam.

Haec opuscula eodem anno secuta est « *Monas Evangelicae doctrinae* », opus apologeticum aeque ac asceticum dictione elegantissima elaboratum, attamen cavillis probrisque in novatores coniectis plus aequo refertum. Addita est pulchra « Epistola ad Minoritas *de emendatione vitae* ».

Dominica 2ª (i. e. die 8.) Augusti 1529 a Capitulo provinciali promotus est Herborneus in Ministrum provinciae Coloniae regularis observantiae ordinis Minorum. Nihilominus ut plurimum residebat Agrippinae Coloniae in aedibus Ioannis Rinck, iuris utriusque Doctoris, unde « 4° nonas Iulias 1529 » scripserat dedicationem Monadi praefixam.

Coloniae ergo inventus est anno 1530 a nuntio Episcoporum Daniae *Georgio Samsing*, Cantore Aarhusiensi, eorumque invitationem secutus mense Iunio cum alio, ut probabile videtur, sui ordinis monacho Hafniam profectus est. Ubi postquam a 2. Iulii usque ad 2. Augusti comitiis in negotio religionis habitis interfuit libellumque *de*

*non agenda disputatione religiosa coram populo iudice* regi offerendum scripsit, cum Episcopo Aarhusiensi, Ove Bilde, et comite Aarhusium navigasse censendus est. In hac urbe aut solus aut adiutus a Paulo Heliae Carmelita, quod improbabile nullo modo videtur « in summa temporis angustia » laudatam exaravit *Confutationem*, qua ad finem brevi perducta ineunte aut medio forte Septembri fugiens « inclementiam hiberni frigoris sub hoc aquilonari coelo propediem imminentis, quod iamiam praesentiscebat imbecille corpusculum, ad hypocausta Germanica [1] remeavit.

Teste Waddingo [2] « in capitulo generali Tolosae celebrato in vigilia Pentecostes (i. e. 18. Maii) 1532 electus est Nicolaus Herborneus Commissarius Generalis Ultramontanus » (i. e. Cismontanus quoad nos); curam qua talis gerendam accepit 29 provinciarum sequentium: Franciae, Franciae Parisiensis, Castellae, Saxoniae s. Crucis, Saxoniae s. Ioannis Baptistae, Turoniae, Turoniae pictaviensis, Arragoniae, Argentinae, Aquitaniae s. Iacobi, Coloniae Agrippinae, s. Bonaventurae (seu provinciae provinciae), Portugalliae, s. Ludovici, Hiberniae, Scotiae Conceptionis *Daciae*, Britanniae, Angliae, Granatae Indiarum insularum, s. Crucis Brugen., Maioricarum, Angelorum, Pietatis, s. Gabrielis, Carthaginiensis, Flandriae, Thuringiae, inferioris Alemanniae [3]. Clemens vero papa VII. die 23. Maii 1533 « Dilecto filio Nicolao Herborno, Commissario generali » etc. Breve Pontificium destinavit.

Eodem anno « 1533 ad Aram-coeli in conventu a Clemente convocato Ministro Generali Pissoto inane dumtaxat relinquebatur nomen Generalis: electi sunt eius loco Vicarii generales: pro Cismontana familia Benedictus Genesius, pro Ultramontana Nicolaus Herbornus [4] ».

Ardentissimo cum zelo assiduus munere suo tam amplo fungebatur, huc illuc decursans, quocunque necessitas aut opportunitas eum vocabat. Quin si Nebe [5] non fallitur, non obstante tantis laboribus Lutheranismo archidioecesim Coloniensem invadenti tanquam murum se obiecit populumque concionibus vehementibus in fide fir-

---

[1] p. (43)

[2] Annales minorum, XVI. 310.

[3] *Simon Grinaeus,* Novus orbis regionum ac insularum. Basil. 1555. fol. p. 667.

[4] *Wadding.,* l. c. 342.

[5] Denkschrift des... ev.-theol. Sem. zu Herborn, 36.

mavit. Praeclarum sui zeli monumentum reliquit fratribus suis in « *Epitome convertendi gentes Indiarum* [1] », quam anno 1532 conscripsit misitque in omnes suae iurisdictionis provincias. Hisce literis non solum omnibus maxime commendat excellens convertendi animas infidelium opus, sed imprimis necessarias describit viri Apostolici virtutes modumque exponit, quo barbarae istae et incultae nationes optime Christo conciliari possint.

De Ecclesia, archidioecesi Coloniensi et suo ordine optime meritus in conventu Tolosano die 15. Aprilis 1534 hanc vitam caducam cum immortali mutavit.

Paucis at gravibus verbis laudatus est Nicolaus Herborneus a parocho et professore Lutherano Nebe [2]: « Studium », inquit iste, « Ecclesiae suae, quam ardenter amabat, quam verbis vehementibus defendebat, frequenter abripuit eum ad concitatum fervorem, ad iras flagrantes contra Evangelicam Ecclesiam. Nihilominus laude ipsum eximia illustrare debeo. Vires enim omnes suo amori devovit, et zelus domus domini comedit eum ».

## § 5. Opera omnia Nicolai Herbornei cum abbreviationibus titulorum a nobis adhibitis.

*Epistola* (germanica) ad Philippum, Hassiae Landgrafium (exstat
1.) 1525. 10. Ian. in variis bibliothecis).

*Ass.* = *Assertiones trecentae ac viginti sex* fratris Nicolai Her-
2.) 1526. Dec. bornei Guardiani Marpurgensis, verae Orthodoxae, adversus Francisci Lamberti exiticii monachi paradoxa impia ac erroris plena, in Hombergiana Hessorum congregatione proposita, ac plus quam haereticissime deducta et exposita. Col. — In his continentur numeris 323-326 *Assertiones aliae*, quibus excusatur Guardianus Marpurgensis etc. (Exemplar habetur in Collegio Wilhelmitano Argentorati, Nr. 252; Amstelodami etc.).

*Ep. ad Col.* = *Epistola ad Coloniensem* felicissimam urbem,
3.) 1527. Nov. qua hortatur eandem, uti pergat maiorum suorum inhaerere vestigiis, ... qua item paucis respondet impudentissimis Francisci Lamberti seductoris Hassiae mendaciis. Col. (exempl. in bibl. Paulina Monasterii Guestf.).

[1] *Wadding.*, l. c. 311-12.

[2] Denkschrift, 37.

Eyn kurzer Berycht von den *dreien gelobten* der Geystlichen u. s. w. Item Vrsach, warum ich Bruder Niklas Herborn meine Schrifften den lutherischen Richtern Lehre vnd Urtheil nicht vnterwerffen wil vnd sol. Col. 4.) 1527.

*Ench.* = Locorum communium adversus huius temporis haereses *Enchiridion*, autore Nicolao Herborn. Minoritano, apud Agrippinam Coloniam Ecclesiaste. Col. (exstant complura exemplaria). 5.) 1528.

Eiusdem *altera* editio (Col.), cui addita sunt:

*Not.* = Tractatulus eiusdem de *notis verae Ecclesiae* ab adultera dignoscendae, et 6.) 1529.

*Meth.* = *Methodus praedicandi* verbi divini concionatoribus cum utilis tum accomoda (exstat haec 2. ed. in bibl. Univ. Argentoracensis, et aliis in locis). 7.)

*Mon.* [1] = *Monas* sacrosanctae Evangelicae doctrinae, ab orthodoxis patribus in haec usque saecula, veluti per manus tradita. Authore fratre Nicolao Herborn. Abstersae sunt foeculentiores Francisci Lamperti Aven. apostatae aspergines, quibus immaculatam Christi sponsam impudentius foedare admolitus est. Col. (Huic adiecta est): 8.) 1529. 12. Iul.

*Ep. ad M.* = Eiusdem *epistola ad Minoritas* quod optima apologia est veteris vitae emendatio.

*In psalmum 78. enarratio lamentatoria* pro miseranda populi Christiani depopulatione instituta ac edita. Col. (exemplar in collegio S. I. Feldkirchii, aliud Monachii, tertium Vindobonae). 9.) 1529.

*Ob eyne weltliche Oberkeyt* bynnen eren Landen vnd Stetten *es moege halten* oder machen in ordenung der hilligen Kyrchen, *wie sie* nach erem gewyssen *bedunket zu verantworten vor Gott* vnd Keyserlich Maiestat (a nobis nullibi repertum). 10.) 1529.

*Conf.* = *Confutatio* Lutheranismi Danici (apographum in bibl. reg. Hafn. Ny kgl. Samling 730. folio). 11.) 1530. (Augusto.)

*De validitate matrimonii regis Angliae* (Henrici VIII). — Teste Waddingo exemplaria sunt rarissima, unde mirum non est, quod nullum offendimus. 12.) 1531.

*Oratio extemporalis* coram clero *Groningensis* oppidi. Colon. Quentel, ultima Maii (exemplar, unicum? in biblioth. imperiali Vindob.). 13.) 1531. 31. Maii.

---

[1] Exemplar pulcherrimum exstat in bibl. regia Hafniensi; aliud in coll. S. I. Feldkirchii, tertium Vindobonae, quartum Stuttgardiae.

*Ep.* = *Epitome* convertendi gentes Indiarum ad fidem Christi
14.) 1532. adeoque ad Ecclesiam sacrosanctam catholicam et Apostolicam, Autore R. P. T. Nicolao Herborn. regularis observantiae ord. Min. Generali Commissario Cismontano (exstat apud Wadding., Ann. Min. XVI. 311-12; primo impress. Colon. Sept. 1532 apud Melchiorem Novesianum; exemplaria Berolini, Bonnae, Monasterii).

*En.* = *Enarrationes* latinae Evangeliorum quadragesimalium.
15.) 1533. Antverpiae apud Michaëlem Hillenium (et 2ª vice Paris. 1843). Additum est *Monotessaron* passionis Domini nostri Iesu Christi (exemplaria Amstelodami bibl. Univ. et in coenobio S. Trondonis).

*Paradoxa* theologica seu theologicae assertiones divinis eloquiis
16.) 1534. contra Neotericos Haereticos roboratae. Parisiis apud Hieronymum Gormontium. Paris (exemplar unicum (?) Amstelod.).

17.) 1534? Commentarii aliquot in Psalmos (in Gallia impressi).

18.) Variae epistolae MS.

19.) Relatio de novis insulis (MS. in Biblioth. Trevirensi. Codex Nr. 1374).

20.) Opus tripartitum de conversione gentium (cuius primum librum se perfecisse scribit auctor).

## § 6. Describitur modus, quo hanc editionem adornavimus.

Ante omnia curavimus, ut textus apographi quam accuratissimus lectori proponeretur. Nihilo minus *evidentes* calami lapsus sine nota correximus; ad alias vero correctiones lectionem apographi asterisco * notatam sub textu adiecimus.

Abbreviatas etiam voces complete scripsimus usique sumus *consequenti* per totum orthographia, quae in apographo non semper sibi constat. Multas enim voces inibi invenies modo maiusculis, modo minusculis in initio literis scriptas; item alias nunc literam « e », nunc « æ » continentes, ut « praelium, precium; praesbyteri, presbyteri ». Nos igitur, cum hodiernum scribendi modum sequi voluerimus, mutavimus

| | |
|---|---|
| av (avdio) in *au,* | œ (coecus coelebs) in *ae,* |
| e (fex, questio) in *ae,* | œ (coeterum) in *e,* |
| e (fedus) in *oe,* | c (precium, ocium) in *t,* |
| ev (sev, cev) in *eu,* | gv (lingva, sangvis) in *gu,* |
| ij (gladij) in *ii,* | qv (qvis) in *qu.* |

*Omisimus h* in « Bernhardus, Iohannes, Protheus, Tholosanus », idemque adiecimus in « ancora, carta, corda, cronica, Renus ».

Nomina *librorum sacrorum* in margine Confutationis citatorum *eodem* semper *modo* a nobis abbreviata, *versuum numeri*, cum ab ipso auctore more illius temporis sola capita fuerint citata, adiecti, textusque, quos non auctor, sed *nos* in eodem margine posuimus, distinctionis causa *uncis inclusi sunt.*

Sacros textus omnes, qui *ad verbum* afferuntur typis, ut aiunt, *italicis* imprimi curavimus.

Ubi sensus id videbatur postulare, *novam incepimus lineam*, quamvis in autographo eadem linea pergatur; item *distinctionem per virgulas, puncta* aliaque signa in apographo satis neglectam emendavimus.

Numeri in ipso textu Confutationis occurrentes et uncis inclusi, ut (10), (15), (66), (203), (231), innuunt paginas apographi a nobis numeratas, etsi a scriptore positi non fuerint.

## EXCUSATIO AUCTORIS (Nicolai Herbornei)

*E Monade (Epist. dedicatoria ad Ioannem Rinck, iuris utriusque doctorem,* A 4$^b$ — A 5) *desumpta.*

De sese confitetur:

Atqui dum cupio esse gratus, metuo ne maiore te ignominia afficiam, utpote si non id rependam, quod tantis nominibus dignum, sed quo etiam multi abhorrent: nempe invectivas et adversus haereticorum morsus instructas apologias: quod in alteris ingenium, vitam moresque adversariorum insectamur, alteris ita sententiam nostram astruimus, ut et crimen nobis falso impositum depellamus et alterius causam, quoad fieri potest, vel elevemus vel extenuemus, aut porro confutemus. Id quod etsi cum decoro fieri possit, vix tamen comperies, qui aequo animo utrumque feret. Qua re factitatum est, ut aliud mihi argumentum obtigisse... vellem, quam hoc ipsum quod tractare coepi. Quis enim vel non invitus rixatur? Imo quis non malit blandiuscule omnia exequi? Et tamen hoc promiscue tractare, partim superiorum iussu, partim fidei zelo adigor. Patienti igitur animulo ferendum, si quidem importunius Lutheranae factionis professores adorior, si intempestive interpello, si amarulentius obiurgo. Quandoquidem et ipsi nemini cedunt, ne diis quidem hominibusque. Neque enim ulla gens est aut natio aut regnum, cui sese non insinuent, cui

non imponant, nisi si qui lano oculatiores sint aut circumspectiores. Quem non rident, non exsibilant, non tentant mortalium, quamlibet virtute praeditum, quamlibet orthodoxae fidei alumnum? Quem non separant a Deo adeoque in haereticorum catalogum relegant, quamvis Christianum et Christo inauctoratum? Neque igitur graviter neque molestius ferendum, siquidem meo officio non respondeam, hoc est, si stulto iuxta stultitiam suam respondeam. Cui haec acerbiora videntur, iubeat ea silere, donec aliquando lectio iucundior arrideat. Interim tamen ex omnibus humanitatis iure expostulamus, ut non prius damnent nostrum officium nostramque hanc opellam, quam cognoverint universa. Nam si maleficis, si sortilegis, si sicariis defendendi sui potestas datur, cur non dabitur id ipsum orthodoxis? cur non optimis? cur non iis, qui adversus Christi Ecclesiam nihil vel meditantur vel perperam tentarunt unquam? Imo qui tam huic addicti sunt, ut mallent mille oppetere mortes, quam vel latum digitum in transversum ab hac movere?

(A 7) Discat prudens lector, nihil adeo nos execrari atque sectas;.... sciat vulgo receptum esse: Si pergis dicere quae vis, audies etiam quae non vis... Respondimus pro veritate non solum quae in buccam primus calor ingessit, sed quae debemus Christo, quae debemus fidei, quae religioni toti.

# CONFUTATIO
# LUTHERANISMI DANICI.

# PRAEFATIO

**Comitiorum in negotio Ecclesiae acta summatim perstringens, ad pium lectorem.**

Legimus apud beatum Lucam in sacra Actorum historia, candide ac christiane lector, primos illos domini nostri Iesu Christi Apostolos, quos in hoc elegerat, vocaverat et miserat in universum mundum, ut Evangelii semen, primo quidem a se in Iudaea iactum, deinceps ab eis ubique gentium iuxta prophetarum oracula spargeretur, simul atque spiritu sancto ad hoc muneris rite obeundum ipso pentecostes die imbuti fuissent, ita linguarum varietate loqui coepisse, ut quotquot Hierosolymis tum agebant Iudaei viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est, eos sua quisque lingua Dei magnalia praedicantes et audirent et intelligerent. At vero non minoris industriae semper atque virtutis habitum est viris sapienti- **Salustius.** bus parta tueri, quam nova quaerere. Imo, mea quidem sententia, tanto maioris id laudis censendum, quanto maius est dedecus, teste Crispo[1], parta amittere, quam omnino non paravisse. Itaque non possumus non demirari, quamobrem Iesus Christus *Dei virtus* **1. Cor. 1, 24.** *et sapientia* (cuius certe non est abbreviata manus) donum illud linguarum, quod primis Apostolis suis spiritus sancti beneficio contulit, ad plantandum suum in terris Evangelium, non item hodie impartiatur pro Evangelio suo ab interitu asserendo novis istis (si Deo placet) Evangelistis et Apostolis, spiritum alioqui, plenis (ut aiunt) buccis ubique crepantibus, si (quod isti iactitant) in hoc divinitus electi, vocati et missi sint, ut Evangelicam veritatem iam

[1] *Salust.*, Bell. Iugurth. c. 31. n. 17.

plus mille annis sepultam, nobis in lucem revocent, maxime vero cum tanti Christo suum constiterit Evangelium, quippe cuius gratia nihil in hoc mundo non fecerit atque tulerit.

Quorsum haec, inquies? Horsum sane, ut intelligas, quam parum Evangelice ac Apostolice nobiscum egerint in Hafnianis Comitiis novi isti scilicet Evangelistae et Apostoli, quamque re ipsa minime praestiterint, quod videri, haberi, dici et audiri maxime cupiunt. Nam Christus in Evangelio vetuit suis[1] ad reges praesidesque (2) tractis, ne praemeditarentur defensionem neve soliciti essent, quid essent responsuri; futurum enim, ut spiritus sanctus eos doceret in eadem hora, quidnam dicto opus foret. Princeps quoque Apostolorum Petrus in priore nobis epistola praecepit, ut semper parati simus ad satisfaciendum cuilibet petenti rationem de ea quae in in nobis est spe. At cum Reverendi patres Episcopi ceterique Danicae Ecclesiae primores vix post primam hebdomadem ad causam Ecclesiae proponendam regias aures nacti, pro munere suo regiam M.[2] officii gladii et iurisiurandi Ecclesiae praestiti admonuissent, querela proposita de plurimis atque gravissimis contumeliis, iniuriis et damnis prorsum intolerabilibus, quae Christo, Ecclesiae, sibi, gregique dominico, fidei suae concredito, aliquot iam annos impune per concionatores istos, scilicet Evangelicos et Apostolicos, quotidie irrogarentur, idque septem et viginti articulis oblatis, hic postea subscriptis[3], in quibus potissimum haereseos accusarentur: isti ad obiectos articulos a R. M. respondere iussi, posteaquam omnes defensionem complusculos dies una meditati essent, tergiversando plane ac tempus eximendo, tandem fidei suae, aut potius perfidiae rationem declarantes, nescio quas nugas Danice nobis praeclari operis quidpiam exspectantibus obtruserunt. Verum nos, qui tum e Germania comitiis intereramus, cum aliquoties istos ad populum deblaterantes — lapsus sum[4], declamantes sentiebam — audissemus, neque linguarum illud munus Aposto-

Accommodatio.

Matth. 10, 19. 20. Luc. 12, 11. et 21, 14.

1. Petr. 3, 15.

Tergiversatio adversariorum vix tandem Danice respondentium.

---

[1] Cf. *P. Heliae* in Chron. Skibyensi (*Rördam*, Mon. hist. dan. I. 92): « vetuisse plebi accessum templi divae virginis ».

[2] i. e. regem Fredericum I. (1523-1533).

[3] in tertio Congressu p. (51-221).

[4] *Meth.* Y: Audivi a fide dignis, quendam pro suggesto Clamatorem, *lapsus sum*, dicere volui, Praeconem... intulisse, neminem posse sine periculo damnationis... sine sui parochi nutu alteri peccata sua detegere...

licum in eis comperissemus, utpote praeter sonos vocesque nihil accipientes, futurum existimavimus, ut nec Danice disputantes possemus intelligere. Itaque cum Evangelistis et Apostolis istis tum Evangelica Christi promissione, tum Apostolico linguarum munere destitutis, in Danicam conflictationem nullo pacto nobis consentiendum rati, diu multumque apud regiam M. urgebamus, quo iussu regio adigerentur ipsi latine nobis reddere, quae Danice responderant, ne (alio interprete ea vertente) calumniari possent (id quod nobis in accusatione prima obvenerat, quemadmodum postea intelliges), aliter nos atque scripsissent, traduxisse. Isti contra supplicabant regi (quid enim sic dicam: quando se ipsi palam in supplicatione appellabant concionatores regios), et iam aperte latinam disputandi rationem deprecabantur. Sed quo tandem (3) colore? nempe causantes, hoc animo velle nos Sophistas latine rem agi, quo vulgus hominum et laicos quoque illiteratos veritatem celaremus, idque Germania nostra in exemplum adducta, in qua Evangelium (sic enim loquuntur) felicem non habuisset successum, ubi Ioannes Eccius cum suis Evangelii negotium latinis disputationibus agitare coepisset. Egregiam scilicet rationem atque literatis Evangelistis et Apostolis istis dignam. Quis, oro, nisi Tiresia caecior [1]

**Adversariorum technae deteguntur plebem in iudicem quaerentium.**

non viderit, quorsum istiusmodi technae spectarent: nimirum (id quod eodem exemplo ab istius sectae asseclis ubique fieri audivimus), ut populo spectatore et iudice disputatio ceu fabula [2] transigeretur, utpote quem ita popularibus istis suis dogmatibus — verbi causa (ut de multis praecipua capita proferam): unum solumque Christum pro nobis satisfecisse omnia, nos ab omnibus praeceptis operibusque bonis liberos esse, sola nos fide tum iustificari tum servari, ad summam, licere quicquid libet — adeo iam pridem sibi devinctum et obnoxium norint, ut hoc iudice quidlibet se facile consecuturos minime diffidant.

**Non esse disputandum de sacris, populo iudice.**

Sed enim quam id iniquum sit atque ab omni prorsus ratione, doctrina et exemplo Christi Apostolorumque dissentaneum, vel mediocriter eruditorum opinor ignorare neminem. Principio namque — ut ne dicam in omni semper gente

---

[1] ***Mon.*** G 7: Quod paulo ante *Tyresia* nostra audet negare. M 4 b: Nam stabit illa (Rom. Ecclesiae auctoritas), velit nolit *Tyresia* nostra. C 7 b. Porro tam pellucentissimam veritatem Hispea *caecior* Gallus et (quod dici solet) homo triobolaris videre non potuit.

[2] ***P. Heliae*** Chron. Skib. p. 91: « Acta est *fabula* adversus eundem Ioannem Taussōn ».

Religionis mysteria non esse passim evulganda. nefas esse habitum, abdita sacrae religionis cuiusque mysteria temere profanum in vulgus edi, id quod compluribus gentilium historiarum exemplis haud magno negotio commonstrare possemus — Exod. 24, 13. nonne Moses cum ministro suo Iosua solus in montem Dei ascendit, relictis interim ad regendum in campo vulgus Aaron et Hur, Luc. 6, 12. 17. donec rediret? Nonne Christus item Apostolos suos iam tum recens electos docturus in montana cum eis subiit, turbas vero docturus ad campestria rediit, praeclare videlicet indicans, neutiquam convenire in promiscuam multitudinem sublimiora coelestis doctrinae sacramenta? Quam rem alibi, tum facto tum verbo palam ostendens, ubi separatim a turba discipulis suis propositam seminis parabo- Matth. 13, 11. lam explicaturus esset: *Vobis,* inquit, *datum est nosse mysteria regni coelorum, illis autem non est datum.*

Paulus quoque Apostolus optimus docendi artifex, eandem se- 1. Cor. 2, 14. 15. et 3, 1. 2. Hebr. 5, 12. cutus normam, habet perfectos et spirituales, quorum sit solidus cibus, inter (4) quos loquitur sapientiam; habet item parvulos et carnales, quibus lacte sit opus, apud quos tanquam spirituales se non potuisse loqui testatur: *Animalis* enim *homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. Spiritualis autem iudicat omnia* etc.

Iam vero ut nefas non sit evulgari passim arcana religionis Multo minus vero ea vulgi subiacere iudicio. mysteria et omnibus indiscriminatim prodi, tum qui consentaneum esse potest, ut ea profani vulgi iudicio subiiciantur? Nam sane cum omnibus in rebus poëtarum, oratorum, historicorum et philosophorum testimoniis, quibus licet brevitatis gratia supersedeamus, Nihil iudicio vulgi vanius. nihil sit vulgi iudicio vanius, nihil stultius, nihil contemptius, nihil denique sapienti peraeque fugiendum, quam ut inde pendeat: tum in sacris divinisque rebus ambiguitates, controversiae et lites obortae, quo tandem iure non profanae modo, sed etiam rudis indoctaeque plebis cognitioni permittentur? Quis idoneum egerit iudi- Act. 26, 2. cem, in eo quod nunquam didicit? Paulus apud regem Agrippam pro se causam dicturus, beatum se putat, quod apud eum se defensurus esset, qui longo iam usu Iudaeorum consuetudines et Deut. 17, 9. quaestiones omnes probe teneret. Num Moses in difficilibus ambiguisque causis ad universam populi multitudinem, an potius ad Malach. 2, 7. sacerdotes Levitici generis eundum praescripsit[1]? Num Malachias

[1] *Mon.* M 7[b]: Audis hic quorum consilio et auctoritate res dubiae adeoque controversiae omnes inferiorum iudicum finiendae sint, nimirum *sacerdotum levitici generis.* (Sic postquam verbotenus citavit Deut. 17, 8. 9).

docuit, sacerdotibus ex ore populi, an contra potius e sacerdotum ore populo legem Dei requirendam? Num Christus praecepit, ut Scribae et Pharisaei indoctae plebeculae, an potius e diverso, ut indocta plebecula Scribis et Pharisaeis in cathedra Mosi sedentibus, id est, legem tenentibus, obediret, quo tempore dixit: *Quaecunque iusserint vobis servare, servate et facite?* Num Christus voluit, ut Apostoli et discipuli sui in negotio Evangelico popularium sententiis obtemperarent? An e contrario potius, ut populares Apostolorum discipulorumque suorum, quos e tota multitudine selegerat, dicto audientes essent, quo loco dixit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit?* Num denique Paulus et Barnabas et quidam alii Hierosolymam ascendentes in quaestione super observatione legalium ceremoniarum ad universam multitudinem, an magis ad Apostolos et presbyteros retulerunt? Atque hunc sane morem ex traditione legis, doctrina Evangelii et Apostolorum exemplo acceptum ab Ecclesiae incunabulis ad haec usque tempora (5) semper observatum esse, veterum monumenta quam locupletissime contestantur, nimirum ut in causis ad Ecclesiam religionemque pertinentibus omnis iudicandi, decernendi et constituendi auctoritas penes Ecclesiasticos proceres solos exstiterit[1], adeo etiam ut imperatores aliquot Christiani, testibus fide dignis historiis, ut Constantinus et Valentinianus, ut Marcianus, ut Basilius[2] aliique principes, qui priscis Ecclesiae synodis interfuere, vel oblatum dicendae sententiae locum recusantes, omne iudicium Episcopis aliisque primoribus Ecclesiasticis detulerint, ingenue confitentes, suarum esse partium, non tam Ecclesiae decreta praescribere, quam praescripta tueri.

Matth. 23, 2. 3.

Matth. 10, 40. Luc. 10, 16.

Act. 15, 2.

**Imperatores recusarunt dare sententiam in Ecclesiasticos.**

Ceterum ut demus etiam, profanis aut indoctae plebis aut saecularis praetorii suffragiis Ecclesiae ac fidei negotia transigi vel

**Locum comitiorum fuisse corruptissimum.**

[1] *Mon.* L 5: Ceterum, nostrum calculum non adiungimus iis, quibus Gallus *penes quemlibet credentem vult esse potestatem diiudicandi verbi.* Quandoquidem popellus ille iners adeoque rudis existit, ut vix queat vel pinguissima intelligere, deinde quod oves sint, adeoque dirigendi atque per legitimos ministros arcendi, ne sese data opera in fauces luporum, quos ex fructibus dignoscent, stulte praecipitent... Nam si fides adhibenda est Actis Apostolicis, *non* passim *omnibus iudicium* de omni verbo, si quando controversum est, committitur, sed *primoribus* (Act. 15, 6).

[2] *Constantinus* (312-337) in concilio Nicaeno (325); *Marcianus* (450-457) in concilio Chalcedonensi (451); *Basilius* (867-886) in concilio Constantinopolitano quarto (869).

posse vel debere, qua tamen ratione potuimus adduci, ut in eius loci (quo tum agebantur comitia) populum ceu futurae disputationis iudicem neque corruptum, neque suspectum compromitteremus, quem iam pridem haeresi ista corruptissimum invenimus, et adversae factioni tam impense faventem, et parti nostrae tam atrociter infensum, ut non tam iudicem sincerum, quam manifestum hostem se declaraverit? Quis porro sapiens adversarium sibi iudicem unquam elegit? Nam ut de occultis taceam affectibus, quos alioqui iracundiam et ferociam miram prae se ferentes non obscure indicabant (daemones, non homines dixisses), quamquam ob evidentia pericula non absque frequenti satellitio armato, si quando necessitas evocaret, prodibamus in publicum, tamen ne sic quidem a probris minisque temperabant; neque vero satis habebant id a se clara luce interdiu fieri, nisi et nocte diversoria nostra praetereuntes omne conviciorum genus e plateis in nos iactitarent: scilicet ita verbum Dei, quod semper in ore habent isti viri Evangelici, vita moribusque exprimunt, nempe quo tantopere nobis benevolentia, amor et charitas in peregrinos, advenas et hospites commendatur. Nos contra, praecepto Christi et Apostolorum exem-
Matth. 5, 12. Act. 5, 41. plo instructi, qui *gaudebant se dignos habitos pro nomine Iesu contumeliam pati,* ea non gravate pro Christo suscipiebamus, feliciter nobiscum agi existimantes, si linguam tantummodo laxantes, manus continerent. Quis oro inter homines ita affectos recto iudicio, quis inquirendae (6) veritati, quis legitimae disputationi locus? ubi nulla spes profectus appareret, contra, pro verbis certo verbera nobis expectarentur? Quid verbis et verberibus[1]? Quid argumentis et armis? Quid scripturis et gladiis? Ne quid interim dicam de praesentissimo seditionis atque tumultus periculo, non sine discrimine capitis Ecclesiasticorum omnium, id quod scioli quidam minus animadvertentes (nihil enim inscitia arrogantius) mirum quam ad ineundam disputationem urgebant, minimum fortassis, ubi opus fuisset, praestaturi. Taceo totum hoc disputandi genus, quod collectis hominum turbis instituatur, maxime super iis fidei nostrae dogmatis, quae semel Ecclesiasticis patrum synodis definita sint,

---

[1] *Mon.* S. 5: Huc omnes conatus convertamus, ut... pax redeat, ut... post longas et *verberum* et *verborum* pugnas Deo opt. max... inserviamus.

omni iure vetitum esse [1], quemadmodum alio quodam libello huic uni rei destinato, fusius uberiusque ostendimus.

Haud scio, num satis hic tutum nobis fuerit, ascendere nunc ex oppido in arcem regiam, atque deinceps referre, quam parum aequos ibi quoque iudices invenerimus. Nam puer olim in ludis Pythagorae symbolum audivi: Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν id est: Ignem gladio ne fodito. Non est namque facile in eum scribere (ut ille dicebat), qui potest proscribere. Scimus enim longas regibus esse manus. Illud unum modo dixerim, eos sane non esse inventos, qui nobis expectati fuerant. Neque tamen ego tam ipsos principes culpandos existimarim, quam aulicos quosdam canes assidue latera eorum ambientes, qui principum innata bonitate abutentes, eamque vindemiam sibi facientes ac quaestum, perpetuis adulationibus nonnunquam ex stultis insanos reddunt, ita ut non temere a veteribus in quaestionem versum esse videam: Num ea melior respublica sit atque tutior, in qua princeps ipse malus est, an in qua sint amici principis mali.

Quales in arce regia inventi?

Ovidius.

Itaque desperatis rite disputandi legibus a nobis regiae Maiestati propositis atque omnino necessariis, si quid inde fructus expectandum foret, nempe ut amota vulgi turba res in secessu calamo transigeretur, idque compromissione in quoscunque legitimos iudices utrinque facta, qua conditione sola, tum a nobis petita, tum a praelatis promissa, nos Germani comitia ea accesseramus (non enim videre potuimus, quid Ecclesiae contulerint his temporibus nonnullorum disputationes alia (7) ratione institutae): cum, toto mense adversariorum tergiversationibus exempto, comitiorum finis iam appeteret, omnesque se ad discessum accingerent, non sine multis magnisque et importunis sollicitationibus vix tandem latinas utcunque * responsiones eorum ad obiectos a nobis articulos de manu ipsorum propria, ne quid calumniae nobis intentari posset, ab eis extorsimus, idque non nisi biduo, priusquam illinc nobis abeundum esset. Nimirum ut, cum praesentes ob temporis angustiam respondere non possemus, interim apud suos gloriosi triumpharent, non ante victoriam modo, verum etiam ante omnem

* utrumque.

---

[1] *Ass.* 39:... Consequens erit, et in hac Hombergiana congregatione decreta servare Ecclesiae orthodoxae, Pontificum imperatorumque obtemperare edictis, quibus vetant, ne quid innovetur, nisi futuri concilii generalis vel nationalis accesserit auctoritas, neque coram laicis et haereticis de causis fidei disputetur.

congressum. Ut enim canes in sterquilinio suo latrant audacius, foris vero sunt timidiores: ita quoque haeretici fortissimos semper victores inter suos agunt, inter alios vero timidissimi conspiciuntur.

Canes foris timidiores.

Ceterum uti scriptum est: *Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritae instar puncti;* veritas autem filia temporis ab antiquis dicta, vel invitis quibuslibet tyrannis, tandem aliquando sub iusto iudice vincet. Quamobrem, ut quod praedictas ob causas coram fieri non licuit, absentes nunc quoquo modo praestemus, responsuri primo quidem accusationis nostrae articulos ordine proponemus. Deinde subiicientur ad singulos responsa adversariorum. Postremo singulis eorum responsionibus singulas itidem ex adverso confutationes nostras opponemus, ita defensuri fidem, Ecclesiam, sacramenta, sacerdotium, et omnino statum ordinemque Ecclesiasticum, ut abusibus, seu vitiis (si quae sint) ministrantium in Ecclesia sacerdotum patrocinari haudquaquam velimus[1]. Porro in praesentia quidem ceu velitari quodam certamine quam brevissime simul et clarissime agemus omnia, praesertim ubi ad singulos articulos perventum fuerit, idque sermone prorsus extemporali, ac propemodum neglecto, non tam verborum flores, quam rerum pondera curae habituri. Siquidem in rebus Ecclesiasticis (teste Hieronymo) non verba, sed sensus quaeruntur. Postea vero si quid his obiectum acceperimus, tum serio instaurata pugna a capite usque ad calcem omnia retexentes, iusto volumine cum adversariis nostris congrediemur. Constabit autem haec nostra velitatio triplici congressu. *Primus* inscriptionem seu titulum responsionis adversariorum protinus invadet. *Secundus* vero paucis quibusdam axiomatis tanquam in aciem instructis omnem simul istorum doctrinam oppugnabit in universum ostensurus eam pravam, infidelem et haereticam esse. *Tertius* denique cum unoquoque singulatim colluctabitur. Ut igitur (quod felix faustumque sit) instituto operi manus admoliamur, prodeat in medium titulus responsionis adversariorum ita habens:

Iob 20, 5.

Ordo institutae disputationis.

Hieron. ad Damasum.

Totius libri partitio.

(8) Haec sunt responsa[2] ad articulos quos Episcopi et praelati in regno Daniae Evangelicis concionatoribus obiecerunt.

---

[1] Idipsum protestatur Herborneus in omnibus suis operibus.

[2] Hactenus *Praefatio* impressa invenitur in *Commentatione* Doctoris *Engelstoft* de ipso hoc opere (in Programmate Universitatis Hafniensis 1847 pp. 39-47).

# PRIMUS CONGRESSUS.

Circumferebatur olim, Christiane lector, adagium in medicos nescio an tam vere quam false dictum: Tituli medicorum remedia habent, pixides venena [1]. At quanto iustius veriusque meo quidem iudicio, illud quis in haereticos ita versum torserit: Tituli haereticorum remedia habent, libelli venena. Nam uti negotiatores mercis suae elegantius quoddam specimen proferre solent, quo reliqua mercis vitia incautis facile divendant, atque adeo quotquot alium fallere volunt, id specie quadam recti ac ementita virtutis umbra omnino factitant: ita et haeretici tum sibi tum libris quoque suis admodum speciosos inscribere solent titulos, quibus ceu melle praelito, praesentanea dogmatum suorum venena simplicium animis instillent. Notum est enim illud: Venena non dantur nisi melle circumlita [2]. Proinde magister ac dominus noster Iesus Christus, posteaquam coelesti illo ac plane divino sermone ad suos in monte habito, universae doctrinae suae compendium et summam eis proposuisset, nimirum pro aeterna, qua Deus erat, sapientia praesciens futurum, ut post suum ab illis discessum magistri mendaces ac falsi doctores exorirentur, qui salutarem ipsius doctrinam subdole corrumpentes, praetextu simulatae veritatis et iustitiae animas im-

**De fallacibus haereticorum titulis.**

[1] Est *Senecae* dictum, ut scribit in *Methodo* T 4: Quos non aliter intueri decet, inquit *Seneca*, quam *medicos*, quorum *tituli remedia habent, pyxides venena*.

[2] Est, teste Bernardo Lutzenburgo (*Catal. haereticorum* D 5[b]), Sancti Hieronymi (ad Oletum), qui scribit: Venena non dantur nisi melle circumlita, et vitia non decipiunt nisi sub specie umbraque virtutum. — Cf. *Ench.* Q[b]: Procul abesto ab horum conviviis, procul a concionibus, quae *mellito veneno* plenae sunt. — *Not.* V 2[b]: Latent enim *mellita venena*.

prudentium pestiferis haeresibus caperent, mactarent et perderent, Math. 7, 15. omnes praemonuit adiiciens: *Cavete,* inquit, *vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, at intrinsecus sunt lupi rapaces.* Neque vero id (si Paulo Apostolo credimus) mirum 2. Cor. 11, 14. videri oportet, *quandoquidem ipse Satanas transfiguratur in angelum lucis;* non magnum igitur, si et ministri eius haeretici, illius personam in se transferunt, quasi sint ministri iustitiae, quorum finis erit iuxta opera eorum.

Quapropter ut inter veteres olim haereticos alii se Angelicos, alii se Apostolicos, alii se ab excellentia scientiae Gnosticos appellantes, alii denique aliis nescio quibus praeclaris eiusmodi titulis doctrinam suam populo venditantes, sese pectoribus hominum fraudulenter insinuarunt, ita nostrae tempestatis haeretici, cum initio tantum * non Deus esset illis Lutherus, se quidem ab eo Lutheranos (9) dici sustinuerunt. At ubi Deus optimus maximus [1] improbos istorum conatus, opinionum inter se dissidentia perinde Gen. 11, 4. ac quondam temeraria illorum molimina, qui (ut sacra refert Geneseos historia) turrim ad coelum usque pertingentem erigere conabantur, linguarum varietate confudit, ita ut iam de certis quibusdam thematis ab eo nonnulli dissentirent, mutato titulo et priori nomine repudiato, Evangelicos se communiter appellitare coeperunt. Quid porro hac voce blandius? quid sanctius? quid salubrius? At contra quid nocentius? quid execrabilius? quid virulentius iis erroribus impiis, qui fuco huius tam pii nominis praedicantur, docentur et evulgantur? Illa namque veritas, gratia, pax, salus et vita promittitur; his autem diversa continentur omnia, ut non abs Virgilius. re quis hoc loco cum poëta exclamaverit: Frigidus (o pueri fugite hinc) latet anguis in herba.

Quin penitius inspectanti mihi titulum istum et expendenti In duobus tituli verbis totidem errores gravissimi. accuratius, duo in totidem verbis occurrunt errores, iique profecto quam gravissimi ac latissime patentes, utpote ceu fontes quidam infinitarum haereseum, ne dicam pene omnium: *unus* quidem, liberam patere cuivis divini verbi praedicationem, quae et olim fuit Valdensium, Viclevicorum et Hussianorum; *alter,* qui et ipse quondam fuit Arianorum, Lollardorum, aliorumque quam plurium haereticorum: nihil praeter evidentem veteris et novi testamenti scri-

* tm; cf. infra p. (20)

---

[1] Haec locutio saepissime occurrit in omnibus Herbornei operibus.

pturam nobis esse recipiendum. Quamobrem, o vos Evangelici concionatores, ut egregiam istam responsionis vestrae inscriptionem, plus in recessu veneni habentem, quam fronte prae se ferentem, quamlibet [1] in speciem lectori adblandiatur, radicitus aliquando convellamus, primo quidem, vos ne legitimos quidem **concionatores** esse docebimus, priorem illum errorem una eademque opera confutaturi; deinde vero posteriorem simul errorem improbaturi, multo minus **Evangelicos** vos esse ostendemus.

Nam dicite: Quis tandem vos ad concionandum elegit? quis ad evangelizandum vocavit? quis verbi ministros instituit? quis denique ad praedicandum misit? Num legistis in veteris testamenti libris Mosen, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, aliosque Dei prophetas divinitus ad hoc officium electos, vocatos, institutos et missos? At e contrario de pseudoprophetis, quod apud Hieremiam legimus: *Falso prophetae vaticinantur in nomine meo; non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos; visionem mendacem et divinationem fraudulentam et seductionem cordis sui prophetant.* Et item: *Non mittebam prophetas et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.* Et alibi rursus: *Non misi eos (ait dominus), et ipsi prophetant in nomine meo* (10) *mendaciter, ut perealis tam vos quam prophetae.* Apud Ezechielem quoque similem ad modum legimus: *Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident.* Et paulo post: *Vident vana et divinant mendacium, dicentes: Ait dominus, cum dominus non miserit eos.* — Num in novo testamento itidem legistis, et Ioannem Baptistam, legis et Evangelii confinium, a Deo et ad id muneris missum fuisse, et Christum ipsum a patre coelesti ad id muneris electum, vocatum, institutum et missum: sibi quoque ad hoc ipsum elegisse, vocasse, instituisse et misisse Apostolos atque discipulos, ipso apud Ioannem attestante: *Sicut,* inquit, *me misit vivens pater, et ego mitto vos.* Quare, ne quis vestrum ad eos in fidelium omnium persona dictum calumniari posset, audite quid apud eundem Evangelistam dicat: *Nonne ego*

**Quod ne legitimi quidem sint concionatores.**

Hier. 14, 14. — Hier. 23, 21. — Hier. 27, 15. — Ez. 13, 3. 6. — Io. 1, 6. — Io. 20, 21. — Io. 6, 71.

[1] Saepissime apud Herborneum occurrit istud: « Quamlibet », e. g. in *Mon.* L 4 b: *quamlibet* ingenio, *quamlibet* eruditione ac sanctimonia polleat. O 7 b: *quamlibet* iactent. Sine verbo A 5 (praefatio): Quem non rident *quamlibet* virtute praeditum, *quamlibet* orthodoxae fidei alumnum. I 2: *quamlibet* probos, *quamlibet* sanctitate praeeminentes. Et in *Meth.* X 8 b: qui quicquid in buccam venerit, *quamlibet* vanum, *quamlibet* insulsum, quamvis confictum... effutiunt.

*vos duodecim elegi?* Sed ad quodnam opus apud hunc ipsum
Io. 15, 16. Evangelistam alibi exprimens: *Ego,* inquit, *elegi vos de mundo, ut eatis et fructum afferatis,* docendo videlicet et praedicando. Electio autem est paucorum a multitudine separatio. Tria porro reliqua, ut interim complura Evangelistarum loca brevitatis studio praetereani, in quibus mentio fit vocationis, institutionis seu designationis et missionis Apostolorum et discipulorum Christi, beatus
Mar. 3, 13. 14. Marcus uno loco simul complexus est, quo loco in haec verba scribit: *Ascendens,* inquit, Iesus *in montem vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum;* ecce vocationem. *Et fecit duodecim, ut essent secum:* en institutionem. *Et ut emitteret eos ad*
Matth. 8, 19. 20. Luc. 9, 57. 58. *praedicandum:* ecce missionem. At e diverso, scriba ille, qui non vocatus a Christo venit ad eum, ultro se ipsum ingerens, repulsam passus esse fertur. Deus enim iuxta parabolam Evangelicam
Matth. 25, 14. haudquaquam nisi vocatis dona sua impartitur. Matthaeus enim ita habet: *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos et*
Luc. 19, 13. *tradidit illis bona sua.* Lucas autem: *Vocatis,* inquit, *decem servis suis dedit eis decem minas.* Num denique vel a Paulo scriptum
Hebr. 5, 4. meministis, Paulini scilicet Theologi: *Nemo sibi ipsi usurpet honorem, sed qui vocatur a Deo, quemadmodum et Aaron.* Et ite-
Rom. 10, 15. rum: *Quomodo,* inquit, *praedicabunt, nisi missi fuerint?* Quod si res adeo vilis est praedicandi officium et ministerium verbi Dei, ut promiscue omnibus pateat, cur tam accurate Paulus ferme in frontispiciis epistolarum, se Apostolum Iesu Christi scribit, et quidem vocatum ad munus Apostolicum, et segregatum in Evangelium Dei, non ab homine neque per hominem, sed per Iesum **(11)** Christum, et Deum patrem, sive per voluntatem Dei, sive iuxta delegationem Dei et Iesu Christi? Cur toties inter scribendum exspatiatur ad Apostolicam sibi auctoritatem vindicandam cum alibi, tum maxime in posteriore ad Corinthios epistola et ad Galatas tot argumentis hanc in rem adductis? Cur tam acriter Corinthios et Galatas obiurgat, quod post acceptam a se fidem pseudoapostolos admisissent? Contra vero Philippenses et Colossenses tantis effert laudibus, quod eos non recepissent? Quid multis? Interpretamini (si tamen potestis) ista quibus tantopere gloriamini, nòmina Evangelistae et Apostoli, an non utrumque nuntii et legati significationem graeca origine tenet? Sed cuius vos tandem estis nuntii?
Quod non sint a Deo vocati ac missi. cuius legati? a quo electi? a quo vocati? a quo designati? a quo denique missi? At a Deo, inquietis, cuius spiritu huc agitamur et

impellimur. Quis credit? ubi signa? prodigia et miracula, quibus, ut olim prophetae et Apostoli, huius rei fidem mundo astruatis?

Verum, ut haec interim a vobis etiam non exigamus, tametsi difficilius negotium agatis, et multo durius, quam olim prophetae et Apostoli; primum agite, constituamus ob oculos et diligenter intueamur eum beati Iacobi locum, qui duplicem sapientiam ceu penicillo depingit, cuius verba non pigebit vel altius paulo repetere, utpote, mea quidem opinione, vel sola incorrupto lectori * abunde ostendentia, num vestra doctrina sit a Deo patre luminum, an a principe tenebrarum diabolo. Sic enim ait: *Quis sapiens et scientia praeditus inter vos? ostendat bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiae. Quod si aemulationem amaram habetis et contentionem in corde vestro, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia e supernis descendens a patre luminum, sed terrena, animalis et daemoniaca; ubi enim aemulatio et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem e supernis est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, absque diiudicatione, sine simulatione, fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.* Haec ille. — Deinde consimilem ad modum ea divi Pauli verba expendamus, quibus itidem ex adverso, hinc veri et Apostolici praedicatoris, inde pseudoapostolorum mores non minus graphice delineat, e quibus non minus deprehendi poterit, Dei an Satanae angeli seu nuntii et ministri sitis. Nam de legitimo verbi Dei ministro loquens: *Porro* (inquit) *servum Dei non oportet litigare, sed* (12) *placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt, si quando det illis Deus poenitentiam ad agnoscendum veritatem, et resipiscant e diaboli laqueo capti ab eo ad ipsius voluntatem.* At de pseudoapostolis et haereticis ita subdit: *Illud autem scito, quod in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, sine pace, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, protervi, inflati, voluptatum amantes, potius quam amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegarint.* — Postremo,

[Margin notes: **Ex tribus scripturae locis. Primus est beati Iacobi de sapientia duplici.** — Iac. 3, 13-18. — **Secundus est beati Pauli Apostoli de moribus boni praedicatoris et pseudoapostoli.** — 2. Tim. 2, 24-26. — 2. Tim. 3, 1-5. — **Tertius eiusdem est de fructibus carnis et spiritus.**]

* lectore.

quandoquidem dominus noster Iesus Christus post verba superius
Matth. 7. de pseudoprophetis adducta, continenter admonuit, eos a fructibus esse dignoscendos, non gravemini, quaeso, eundem audire Paulum fructus carnis et spiritus quam luculentissime distinguentem, quo ex loco non minore negotio deprehendere licebit, num iuxta spi-
Gal. 5, 19-23. ritum an carnem ambuletis. *Porro* (inquit) *manifesta sunt opera carnis, quae sunt haec: adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, simulacrorum cultus, veneficium, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, concertationes, seditiones, sectae, invidiae, caedes, ebrietates, comessationes et his similia, de quibus praedico vobis, quemadmodum et praedixi, quod qui talia agunt, regni Dei haeredes non erunt. Contra fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia, castitas.* Parce mihi, quaeso, pie lector, si praeter institutum his tribus in locis referendis prolixior forte, quam velis, fuerim, ut quod in gratiam tui factum sit. Nam videbantur mihi ad rem imprimis pertinere. Dispeream [1] namque, si non solum haec tria simul loca, verum etiam singulus quisque non faciat satis (modo affectu posito expendas) ad censuram peragendam, de universa hac nostrae tempestatis doctrina nova. Sed nimis quam longus fuero, si tria haec loca verbis nostris amplificare velim. At id tuo ipsius iudicio relinquens, tantummodo paucis attingam.

Principio qua fronte doctrinam istam vestram a patre lumi-
Horum trium locorum accommodatio. I. num e coelis profectam iactare non veremini? quae non est iuxta divi Iacobi sententiam pudica, pacifica, modesta, tractabilis, et bonis consentiens; sed tanquam terrena, animalis, diabolica, aemulationis contentionisque plena, tantum abest a benevolentia, amore, concordia, et pace totius Evangelii, atque adeo scripturarum omnium fine ac scopo, ut non solum excitarit inobedientiam, rebellionem, dissidia, (13) seditiones et tumultus omnibus in locis, quibus venenata doctrinae vestrae pestis afflavit, verum etiam in Germania, unde primum virus istud diffusum, inaudita propemodum strage plus-

[1] *Mon.* C 2: Quae universa, *dispeream,* si non quadrant in eos. G 5: *Dispeream,* si non id in animum induxit sicarius. N 2: *Dispeream, si non* competunt haec in... universos Lutheranos. — Et in *Not.* Q 8 b: *Dispeream,* nisi reipsa ita comperiet, uti praefati sumus. — In *Ep.:* Id si effecerint, *dispeream,* si non manibus pedibusque in eorum sententiam eam.

quam centena rusticorum millia [1] intestino bello, idque brevissimo tempore, ad inferos transmiserit. *Non est dissensionis Deus* (inquit Apostolus), ***sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis doceo.*** Atque haec quidem renascentis Evangelii vestri praeclara sunt auspicia; quid immineat, nemo vel mediocriter sapiens non divinarit. *Oportet enim haec omnia fieri, at non statim finis.* 1. Cor. 14, 33. Matth. 24, 6.

Deinde qua fronte vos Evangelistas et Apostolos Christi appellare praesumitis? qui nec ad exemplum magistri humiles et mites, nec ad praescriptam Evangelici concionatoris a Paulo formulam, placidi erga omnes, propensi ad docendum errantes, mansueti ad tolerandum malos; at more pseudoapostolorum immites, elati, procaces, maledici, criminatores, perpetuis conviciis apud populum sacerdotes, Episcopos, aliosque proceres Ecclesiasticos traducitis, mordetis et laceratis, idque ceu camino oleum adiicientes [2], plebem alioquin nobis iam pridem plus satis infestam adversus clerum exstimulantes, ne quid scilicet desit ad omnem seditioni fenestram aperiendam, quibus tamen non modo maledicere lex olim vetuit, verum et Christus et Petrus vel improbis obediendum esse praeceperunt. Nam quantulum in concionibus vestris superest, si quis probra in sacerdotes iacta tollat? adeo ut hoc quisque in ista factione vestra concionator haberi soleat praestantior, quo conviciator fuerit impudentior. II. Exod. 22, 28. Matth. 23, 3. 1. Petr. 2, 13. 14. 18.

Ad extremum, qua fronte spiritum Dei vobis arrogare non pudet, quando (ne quid interim de vestra ipsorum vita dicam), iuxta Paulinam hanc operum carnis et spiritus distinctionem, in plerisque auditoribus vestris opera carnis nusquam non apparent, fructuum autem spiritus nullum plane vestigium. Porro sicut profectus auditorum laus est praeceptorum, ut ait ille [3], ita e diverso vitia discipulorum sunt opprobria magistrorum. Quin illud mihi dicite: Quis unquam vidit in concionibus vestris quemquam pro peccatis suis fundentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Aut quis unquam ad bonam frugem vestris concionibus rediit? Quis contra non multis etiam partibus evasit deterior [4]? Haeccine cum III.

---

[1] *Mon.* P 3 b: Quid enim mali hoc imprudens consilium peperit, fatalis *rusticorum* lamentatio, qui ad *centena milia* fere extincti sunt (proh dolor) edocuit.

[2] *Mon.* E 5: Sed (proh dolor) nos *oleum igni iniicimus.*

[3] sc. Cicero.

[4] *Not.* R 8 b: Certe quales sint (nothae synagogae filii), nobis nondum vidimus meliores, qui ex hac prodierunt.

aetherea, spirituali et divina sapientia, cum moribus Evangelicis et Apostolicis, cum spiritu Dei conveniunt? Qua igitur temeritate ac impudentia vos a Deo electos, vocatos, institutos et missos in verbi Dei ministerium non reformidatis asserere?

Quorum sit vocare ac mittere divini verbi concionatores.

At audire mihi videor: A regibus, a principibus, ab aulicis proceribus, ab oppidanis magistratibus Dei ministris, et ab ipso grege Christi, populo verbum Dei sitiente, huc electi, accersiti et designati et missi sumus. — Fatemur quidem principes (14) et magistratus Dei ministros, verum non in hoc, ut ipsi aut verbum Dei praedicent, aut ministros eius instituant, sed ut gladium gestent in verbi ministrorumque ipsius defensionem; populum quoque Christi gregem esse haud quaquam diffitemur. At ovium non est, quem velint sibi pastorem constituere, sed constitutum a domino admittere, sequi et audire [1]. Christus enim Apostolos discipulosque suos, ut modo diximus, elegit, accersivit, designavit, et emisit ad Evangelii praedicationem, ceteris autem quibuscumque principibus, magistratibus et plebeis sub gravissima interminatione Matth. 10, 14, 15. mandavit, ut eos acciperent, foverent et alerent. Is ergo tanquam a Deo electus, accitus, destinatus et missus ad evangelizandum indubie haberi debet, non qui tyrannide principum, aut violentia magistratuum, aut procerum favore, aut populi suffragiis, at (ut 1. Cor. 14, 40. *omnia honeste et secundum ordinem fiant* atque a summis una pendeant) qui auctoritate superioris Ecclesiasticae iurisdictionis potestatem habentis huic officio legitime praeficitur, ut a concilio Ecclesiam referente, ut a summo Pontifice Christi vicario, ut a propriis Episcopis Apostolorum successoribus, ut denique a propriis pastoribus discipulorum vice fungentibus verbi ministerio destinati. Exod. 28 et 29. Sic Aaron cum filiis suis a Mose in sortem domini designatus est. Num. 27, 18. Sic Iesus Nave ab eodem in ducem populi constitutus est. Act. 1. Sic Mathias ab Ecclesiae concilio auctoritate Petri coacto numero Aposto- Act. 6. lorum cooptatus est. Sic item septem diaconi ab Ecclesiae concilio Apostolica auctoritate convocato designati sunt. Sic Paulus, tametsi Act. 13. iam prius a Deo vocatus, et Barnabas a prophetis doctoribusque Antiochenae Ecclesiae in opus Evangelii segregati sunt. Sic Timotheus Ephesiorum, et Titus Cretensium Episcopi a Paulo instituti sunt. Quod vero omnes huiusmodi legitima superiorum potestate Ecclesiastica ad ministeria Ecclesiastica vocati, ab ipso Deo accersiti

[1] Cf. supra 34 n. 1.

sunt, divinae palam literae testantur. Quid enim de Pauli et Barnabae designatione scriptura commemorat[1]? *Ministrantibus autem* Act. 13, 2.
*illis domino et ieiunantibus dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, ad quod accersivi eos.* En designationem utriusque ad munus Apostolicum hoc loco spiritui sancto tributam. Quid, quod Paulus ipse, tum aperte, tum generaliter Deum ait dedisse ac posuisse in Ecclesia, *alios quidem Apo-* 1. Cor. 12, 28. Eph. 4, 11. 12. 13.
*stolos, alios vero prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores et doctores.* Quod ne de primis tantum Apostolis et Evangelistis dictum quis asserere possit, ac non potius de omnibus eorum successoribus et Ecclesiae ministris ad seculi usque consummationem, mox inibi continenter adiecit: *Ad instaurationem sanctorum* (15) *in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, donec perveniamus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei* etc. — Sed quorsum tam multa in re manifestaria, et iuxta proverbium, in re non dubia testes non dubii. Nam ut lege divina id non sit prohibitum, promiscue quemlibet verbum Dei disserere, an non in ceteris artibus, scientiisque omnibus, et quidem non ingenuis modo, verum etiam mechanicis, id aut civili iure, aut decreto municipali cautum servatumque videmus, ut nemo nisi primorum artis cuiusque calculis in ea probatus magisterii nomen

---

[1] *Ench.* F: Mitti non est nisi ab alio, qui legitima autoritate et potest et debet. Autoritas legitima non in Sergium, non in centurionem, non in Cornelium, non in Eunuchum Candacis reginae, sed in Petrum, in Paulum, in *Episcopos,* in concilium, denique in *summum* competit *Pontificem.* Qui igitur *tyrannide principum,* aut infimae multitudinis *suffragiis* introducitur, non est pastor ovium. Cf. infra p. (147).

Ib. G 8ᵇ: Quo modo Aaron per *Moysen in sortem domini designatus est,...* sic Apostolorum et consilio et auctoritate *Mathias* sorte electus est. *Sic septem diaconi,* viri spiritu sancto pleni, *designati* sunt. *Sic* quanquam *Paulus a Deo accersitus* esset, nihilo tamen minus et ab Apostolis *segregatur...* Accedit quod Paulus *Timotheum* et *Titum instituit.*

*Mon.* c. 4. § 3: Duae sunt notae, quibus veros ministros dignoscas. *Principio* si legitima autoritate designentur... Sic Aaron a Deo vocatus est, sic et Apostoli et Paulus... sic et Mathias ab hominibus quidem accitus est, sed iis quorum intererat conventum indicere alterumque praevaricatoris in locum surrogare. Ad quem modum et Paulus Titum ac Timotheum misit, iisque iniungens, uti et ipsi per Ecclesias ordinarent ministros, presbyteros videlicet, diaconos et alios item, qui Ecclesiae moderandae sufficerent etc....

§ 5: *Altera nota...* signum est promissionis divinae seu obsignatio praedicati verbi, quae fit portentis et ad Dei gloriam editis miraculis (Marc. ult.)

officiumque usurpet, ne ab ignaris et imperitis res ipsa non commode tractata evilescat, vituperetur et in contemptum abeat. Hoc enim non modo philosophi, medici, iurisconsulti, Theologi, et si qui sunt alii bonorum artium professores, obervant, verum etiam fabri aerarii, ferrarii, murarii, lignarii, vascularii, item sarcinatores, calceolarii, laniones et omnino sordidissimi quique opifices. Divini autem verbi dispensationem et ministerium (quae ars artium est et scientia scientiarum, utpote imprimis animarum saluti necessaria) temere citra delectum et approbationem eorum, quos Deus Ecclesiae suae praefecit, quibuscunque permittemus? Ut igitur hanc aliquando partem concludamus, certe prolixiores quam exigebat institutum, at minime quam rei necessitas postulabat, nempe quod mea quidem opinione ex hac praedicandi licentia omnis prope malorum nostri seculi tempestas profluxerit: cum vos, Evangelici scilicet concionatores, ab Ecclesiasticis proceribus ad Evangelii praedicationem non sitis electi, accersiti, designati et emissi, ideoque nec a Deo, nec a Christo, sed vel tyrannide principum, vel magistratuum violentia, vel favore aulicorum, vel popularium suffragiis ipsi sponte veneritis, ultro cucurreritis et vos ingesseritis, idque non solum Ecclesiasticos proceres ad unum contemnentes, verum etiam contra fas et ius perpetuo coram plebe insectantes, traducentes atque diffamantes, vultis dicam qui sitis: Non Apostoli et Evangelistae, sed pseudoprophetae et pseudoapostoli; non concionatores, at seductores, imo iuxta parabolam Evangelicam fures et latrones, non pascentes gregem domini, at mactantes et perdentes, ut qui non per ostium in stabulum ovium sitis ingressi, sed aliunde irrumpentes.

Quod multo minus Evangelici concionatores sunt.

Nunc, ut alteram partem nobis initio propositam aggrediamur, vos longe minus **Evangelicos** esse commonstrabimus. Initio dicite, quaeso, mihi, quodnam sit istud vestrum Evangelium, a quo profectum, per quem allatum, a quibus traditum, apud quos receptum, quo tempore orbi declaratum, quo tandem ordine in mundo propagatum, unde prae ceteris omnium seculorum mortalibus vos solos ab heri (ut aiunt) et (16) nudiustertius Evangelicos appellare coepistis; ad summam, idemne an diversum (nihil enim est tertium) nostro Evangelio, quo iam mille ac quingentis ferme annis in Ecclesia catholica per universum orbem terrarum diffusa etiamnum in hanc usque aetatem utimur. Quod si unum idemque sit a Deo patre missum, per Iesum Christum annunciatum, ab Apostolis prae-

dicatum, apud omnes paulatim creditum, post Christum in coelos reversum praedicari coeptum et legitima patrum interpretatione ad nos usque deductum: qua tum impudentia et scribendo et praedicando mentiri non pertimescitis, Evangelium aliquot iam seculis absconditum, suppressum, proculcatum, atque neglectum iacuisse? Cur istiusmodi strophis mendaciisque impudentibus communem omnibus Evangelii gloriam vobis solis arrogare non pudet? Cur sub tam salutari nomine tot calamitatum plaustra [1] in orbem quoquo versum invehitis? Vetustissimum est, sub praetextu rerum optimarum fallere, at idem sceleratissimum. Sin vero aliud sit atque diversum, vobis habete vestrum istud Evangelium, nobis cum suis auctoribus ex Apostoli praescripto anathema est ac maledictum. Audite Paulum ad Galatas suos hunc in modum acriter obiurgantem: *Miror* Gal. 1, 6-8.
*quod a Christo, qui vocavit vos per gratiam, adeo cito transferamini in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi quod quidam sunt, qui turbant vos et volunt invertere Evangelium Christi. Ceterum etsi nos, aut angelus e coelo praedicaverit vobis Evangelium, praeter id quod praedicavimus vobis, anathema sit, quemadmodum ante diximus et nunc iterum dico: Si quis vobis praedicaverit Evangelium praeter id quod accepistis, anathema sit.* Sed et in posteriore ad Corinthios epistola: *Metuo* 2. Cor. 11, 3. 4.
(inquit), *ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Evam decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quae erat erga Christum. Nam si is qui venit alium Iesum praedicat, quem non praedicavimus, aut si spiritum alium accipitis, quem non accepistis, aut Evangelium aliud, quod non accepistis, recte sustinuissetis,* nimirum praeclare significans unum esse Christum, unum spiritum, unum Evangelium. — Quin ut altius paulo repetam: *Sicut unus est Deus, ita unus est Iesus Chri-* 1. Tim. 2, 5.
*stus, mediator Dei et hominis,* (non enim *divisus est Christus*). 1. Cor. 1, 13.
Sicut Christus unus est, ita unum Evangelium, utpote Christi legatio, et totum hoc mysterium, quod hic in carne patravit. Sicut unum Evangelium, ita fides una (*fides* enim *ex auditu est*). Sicut Rom. 10, 17.
fides una, ita una quoque Ecclesia, nempe congregatio fidelium, et una fide constans. Denique sicut Ecclesia una, sic unus (17) item

[1] Cf. p. (82): tota *plaustra* testimoniorum. — *Mon.* H 4[b]: tam onusta *plaustra* maledictis. — *Ass.*: *plaustra* conviciis onusta. — *Meth.* X 6: Quidam... poenarum *plaustra* minitantur.

spiritus sanctus, quippe quem Deus pater coelestis ceu praeceptorem atque consolatorem per filium suum Iesum Christum coelitus emiserit. Haec omnia, tanquam aurea illa Homeri catena * e coelo pendente, sese quam venustissime comitantur et quam tenacissime cohaerent [1], ut si unum quodvis horum tollas, illico sustuleris omnia. Quocirca si aliquot iam seculis Evangelium (ut dicitis) in mundo esse desiit, neque fuit fides totidem seculis. Quod si non fides, neque fuit interim Ecclesia; quod si non Ecclesia, neque quisquam intra tot annos servatus [2] est. Quodsi per tot secula nemo servatus est, frustra pro tot annorum circulis fuerit Christus a patre missus ad spiritum sanctum Ecclesiae promerendum, adeoque totum illud summum et ineffabile mysterium incarnationis,.passionis et mortis Christi, patri et filio et spiritui sancto commune, nequicquam susceptum. Vana fuerit Christi ad patrem oratio, tum pro
Io. 17, 11. 20. universa Ecclesia: *Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi* etc.; et aliquanto post inibi: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me* etc.; tum pro vicario suo totius Ecclesiae suae Episcopo
Luc. 22, 32. Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* etc. Quando
Io. 11, 42. tamen et ipse Christus de se ad patrem ait: *Ego sciebam quod*
Hebr. 5, 7. *semper me audis.* Et Paulus de ipso ait: *Exauditus est pro sua reverentia.* Mendax item fuerit Christi promissio tum ad omnem
Matth. 28, 20. Ecclesiam: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* tum ad Petrum universae Ecclesiae praesidem
Matth. 16, 18. vicarium: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo meam Ecclesiam, et portae inferorum non valebunt adversus illam.* Atque mendax, inquam, fuerit Christi promissio, non tantum de sui praesentia, sed etiam de spiritus sancti tum consolatione tum instructione, toties in extrema oratione ab eo repetita, veluti cum
Io. 14, 16. 17. 27. ait: *Ego rogabo patrem, et alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis;* et rursus inibi: *Paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia*

* cathena.

---

[1] *Mon.* C: Hac enim coniunguntur ceu *Homerica* quadam *catena.* — *Ench.* C 4: Hac ceu *homerica catena* copulantur fideles.

[2] *Servare, servator* (loco: salvare, salvator) adhibetur fere exclusive in operibus Herbornei.

*quaecunque dixi vobis.* Et alibi: *Adhuc habeo multa quae vobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cum autem venerit ille, qui est spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem;* cum tamen et ab ipso Christo de se ad suos dictum sit: *Ego sum via, et veritas, et vita,* et a Ioanne visus fuerit sedere super equum album, et vocari fidelis (18) et verax. Quis porro sit vel guttam Christiani sanguinis habens, qui ad tantas in patrem et filium et spiritum sanctum blasphemias vel referens vel audiens non perhorrescat, Deum patrem non exaudisse filium, filium non servasse promissa, spiritum sanctum Ecclesiam destituisse — quae tamen omnia eveniunt, si Evangelio seculis aliquot sepulto, id quod vos dicitis, et fides et Ecclesia communiter simul intermortuae fuerint. Io. 16, 12. 13. Io. 14, 6.

**Quod germanum verumque Christi Evangelium apud patres nostros fuerit.**

At respondebitis, opinor: Idem fatemur quidem, hactenus Evangelium fuisse inter homines, verum neque fideliter neque sinceriter [1] vel intellectum a plebeis, vel a doctoribus traditum, sed erroneis impurisque hominum commentis et additionibus vitiatum et quasi dilutum lymphatiusque factum, nativam vim et splendorem genuinum amisisse.

Bona verba. Principio, quid hic dicam aliud, quam illud Apostolicum, quod ad Corinthios ait: *Quod si adhuc velatum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt velatum est, in quibus Deus huius seculi excaecavit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei,* hoc est in vobis vestrisque similibus. Nam ista elusio vestra differt modo, non etiam aufert, quae iam obiecimus incommoda. Non enim in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis; non in verbis scripturarum, sed in sententiarum mysteriis; non in vocibus, sed in rebus; non in oratione, sed in sensu; non in litera, sed in spiritu, Evangelii vis consistit [2], dicente Christo: *Verba, quae ego loquor, spiritus et vita sunt.* Quo fit, ut tantumdem sit periculi, ne dicam plus etiam, et Evangelio prorsus carere, et Evangelium non veraciter intelligere, aut non recte profiteri. Quamobrem si aliquot iam seculis (uti dicitis) mortales vero germanoque Evangelii sensu ac intelligentia destituti crassissimis errorum tenebris pressi oberrarint, ita ut Evangelium nec vere nec pure aut a ma- (2. Cor. 4, 3, 4). Io. 6, 64.

[1] Hac semper forma hoc adverbium in omnibus Herbornei operibus occurrit.

[2] *Ench.* E 2[b]: Quo quisquis caruerit, frustra de verborum *foliis* gloriatur, frustra sibi *literam* arrogat... quandoquidem non *verborum foliis, sed in medulla consistit.*

ioribus propositum sit, aut a minoribus acceptum; nonne protinus sequuntur, quae modo colligebamus, nempe ut interim tota fides desierit, ut omnis Ecclesia defecerit, homines ad unum perierint, ut frustra pater Ecclesiae conservator sit positus, ut frustra filius pro ea natus, passus et mortuus sit, ut frustra spiritus sanctus Ecclesiae praeceptor [1] sit datus, maxime vero, quod in hoc potissimum spiritus sanctus iuxta Evangelicas Christi promissiones, quas modo retulimus, in Ecclesiae magisterium missus est, ut omnia doceret, quaecunque dixerat Christus, explicaret et nos in omnem veritatem humani generis saluti necessariam adduceret.

**Lege sequentia de unitate Ecclesiae catholicae servanda.**

**Quod unus communis sit Evangelii sensus in Ecclesia.**

(19) Deinde, quod unum est (quemadmodum ostendimus) Evangelium, idque non in litera, at spiritu positum, una quoque communis Evangelii intelligentia spiritualis et vera sit, necessum est [2], quandoquidem et veritas ipsa, quae creditur, una est et indivisa, quam spiritus sanctus Ecclesiae suggesserit in iis certe, quae ad fidem attinent, utpote quae una sit in Ecclesia, sicuti modo dicebamus, et Apostolus in Ephesiis attestatur. Hinc Christus Evangelii auctor Ecclesiam patri suo extrema oratione illa commendans, nihil aeque atque unum hunc communem Evangelii sensum identidem ei precatur: *Pater*, inquiens, *sancte, serva eos per nomen tuum quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* Et haud multo post inibi: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro iis qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quod tu me miseris; et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum.* Paulus itidem Evangelii praeco et buccinator praecipuus, ad eundem unum communem Evangelii sensum, nulla non pene sua epistola nos * cohortatur, veluti quo loco postquam Romanos membrorum humani corporis quam elegantissima similitudine ad unanimitatem exhortatus esset; haec tandem verba subiecit: *Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Et alibi tanquam donum Dei eis imprecatur: *Deus*, inquit, *patien-*

Io. 17, 11. 20-23.

Rom. 12, 16.

Rom. 15, 5. 6.

* non.

---

[1] Cf. 51. n. 1.

[2] Saepissime occurrit forma: *necessum* est, v. g. *Mon.* E 3b. E 4b. E 5. F 4. Hb. H 3b. H 4. H 6. Q 5.

*tiae et consolationis det vobis idem mutuo inter vos sentire secundum Iesum Christum, ut unanimiter uno ore glorificetis Deum et patrem domini nostri Iesu Christi.* Ad Corinthios autem scribens: 1. Cor. 1, 10.
*Obsecro,* inquit, *vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, et non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eodem sensu, eadem sententia.* Atque hunc in modum alibi saepius. At quis vel Oreste insanior credat, maioribus nostris, nempe orthodoxis patribus et doctoribus sacris per multos annorum centenarios hoc vero germanoque Evangelii sensu ad unum destitutis, eum nunc demum in vestram factionem istam coelitus a spiritu sancto delapsum esse, idque his extremis pene mundi diebus, quibus Christus vix fidem se in terris inventurum praedixit, Luc. 18, 8.
atque tum Evangelicae, tum (20) Apostolicae literae plurimos pseu- Marc. 13, 6. Matth. 24, 11.
doprophetas, pseudochristos, magistros mendaces et id genus alia 1. Tim. 1, 19.
pessima quaeque futura vaticinantur. Quod si quis tamen vestrum 2. Tim. 4, 3.
eo furoris et vesaniae progrediatur, ut id vel dicere vel cogitare ausit, nonne confestim ei obvenient omnia, quae iam semel atque iterum adduximus incommoda, nimirum, ut nec fides nec Ecclesia tantisper in orbe fuerint, ut nullus mortalium interea sit ad aeternam vitam ingressus, ut denique totum illud admirandum dominicae incarnationis mysterium in Ecclesia salutem a benedicta et sancta Trinitate ante secula praedestinatum atque in temporis plenitudine consummatum tot seculis inane, cassum et absque omni fructu praeterierit. Cuius, oro, piae aures ad huiusmodi non perhorrescant?

Quid? quod ne unus quidem Evangelii sensus in ista factione vestra habetur? quo igitur pacto germana veraque Evangelii sententia, quam oportere unam esse in his, quae sunt fidei, diximus, a ceteris omnibus ad vos solos transfugerit? Nonne inter vos, qui nuper vobis Evangelicorum nomen usurpare coepistis, primarii duces super aliquot Evangelii locis, et de certis quibusdam thematis non dissentiunt modo, verum etiam acerrime tanquam pro aris focisque depugnant? Nam ut de multis unum exempli causa producam, an non ex his pene tribus Evangelii verbis: *Hoc est corpus meum,* tres istius vestrae factionis primipili Lutherus, Carolstadius et Oecolampadius totidem sensus non modo diversos, verum etiam inter se ex diametro pugnantes [1] accipiunt, eosque omnes quidem

[1] *Ench.* F 4[b]: Ceterum et illud roborat nostram fidem et Lutheranorum dogmata stirpitus eradicat, quod *inter se ex diametro* in fide *pugnant,* Luthe-

errores, utpote ab uno communi Ecclesiae sensu vero dissidentes? Quid? quod unusquisque vestrum non satis perpetuo sibi constat? Nam, ut ne dicam interea de proletariis istius vestrae conspirationis, nempe de vulgari concionatorum genere, quod non solum diversis in concionibus, verum etiam in eadem secum crebro pugnant, id quod facile cordatus auditor observat; nonne classici quoque ipsi editis passim libellis et ritus et dogmata subinde novant? Audivimus enim a fide dignis, Martinum Lutherum olim vobis tantum non Deum [1], nunc certe Apostolum et Evangelistam longe illuminatissimum, Vittembergae septies aut novies mutasse missandi (ut ita loquar) formulam. Sed ut nec inter vosmetipsos, nec unicuique vestrum secum per omnia convenit, ita multo minus, neque vobis cum aliis veteribus haereticis, neque ullis omnino haereticis diversis inter se convenit per omnia. Nam etsi vestrae factionis (21) doctrina (quod Evangelium haud scio impiene, an mendaciter appellatis) a Valdensibus, Viclevicis et Hussianis maiori ex parte instar pallii pauperis Iri Homerici emendicata, corrogata atque consuta est, tamen ne cum illis quidem in unam de omnibus itis sententiam. Valdenses liberum hominis arbitrium ingenue confitebantur, at vos contra omnibus modis refragamini. Viclevici Christianam iustitiam operibus constare docebant, at vos in sola fide sitam esse contenditis. Hussiani Pontificem Romanum divino iure totius Ecclesiae Monarcham profitebantur, at vos atrociter reclamatis, ut hic dominicum illud, in aliis iam haereticis completum, vobis, eorum
Matth. 12, 25. vipereae soboli [2], non iniuria vaticinari liceat: *Omne regnum in se divisum desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit.* Verum maiores nostri, Ecclesiae catholicae patres atque doctores, in rebus ad fidem attinentibus uno semper eodemque modo Evangelium interpretati sunt, idem senserunt, idem crediderunt, idem professi sunt, idem docuerunt, atque hunc unum

---

rus Zwinglio, Zwinglius *Luthero,* sic et *Carolostadio,* sic *Oecolampadio,* sic fidifrago Francisco Lamberto, nusquam enim constant, nusquam non haerent, nusquam non pugnant.

[1] Cf. supra 36.

[2] Cf. p. (55) *Vipereae proles* et *Mon.* Q 6: Ceu *vipereae proles* Vuitenbergiae nuper prodierunt; p. (204) *Progenies viperarum,* p. (208) *viperea progenies.* — *Mon.* I 3ᵃ R 7ᵇ: *viperea germina,* K 8: *serpentina soboles,* D 8: *serpens* ac *vipera* illa Avenionensis.

communem Evangelii sensum ex temporibus Apostolorum ceu per manus traditum in haec usque tempora servamus.

Postremo dicite, oro, in quorum iudicio tandem haec quatuor Evangelia, quibus utimur, Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis tanquam γνήσια et vera recepistis, aliis interim ceu nothis et supposititiis (Evangelia enim modo quatuordecim in exordio nascentis Ecclesiae circumferebantur) a vobis repudiatis? An non maiorum nostrorum iudicio freti, orthodoxorum scilicet Ecclesiae patrum? Quod si eorum statis et acquiescitis iudicio, quo haec quatuor Evangelia a ceteris adulterinis secreverunt, cur non item sententiae eorum interpretationique creditis et adhaeretis, qua haec ipsa quatuor Evangelia posteris enarrarunt? Nam si praeceptor Ecclesiae spiritus [1] sanctus eos in hoc illustravit, ut haec quatuor Evangelia ceu vera ex tot aliis potuerint seligere, cur non similiter eum ipsos in hoc quoque illustrasse crediderimus, ut ea nobis rite et fideliter explicare possent? Quorsum enim profuerit Ecclesiae data esse quatuor Evangelia, ad quorum praescripta vitam componat, at ea postmodum, non ut oportet, intellecta? quandoquidem (ut etiam ante diximus) tantumdem periculi sit aut plus etiam, et Evangelium omnino non recipere, et receptum depravare. Quapropter (mea quidem sententia) ille citra omne dubium germanus ac verus Evangelii sensus haberi ab omnibus debet in rebus ad (22) fidem spectantibus, quem unum atque communem a temporibus Apostolorum ex patrum interpretatione ceu per manus sensim traditum in haec usque tempora ubique catholica tenet Ecclesia. Nam ut possit unus aut alter in errorem fortassis excidere, ac nonnullos etiam in quibusdam lapsos esse fateamur, quemadmodum saepius in explanatione scripturarum inter se dissentiunt, tamen ut simul hallucinentur, ubi omnes inter se consentiunt idque in rebus seriis ad humanam salutem pertinentibus, adduci non possum ut credam, tum ob veram Christi promissionem de fide nunquam defectura,

Quis verus Evangelii sensus.

[1] *Not.* R 6[b]: Ad hoc enim datus est *Christi spiritus Ecclesiae* in **praeceptorem**, ut hanc a dubiis eximat, ne perpetuo... fluctuet. Cf. pp. (17. 18). — *En.* (fer. V. p. II. Dom. Quadr. Antv. Fol. 96): Infracta Ecclesiae auctoritas, qua sic nitendum, ut ea omnibus evangeliis per homines scriptis praeferenda sit. *Si*, inquit Christus, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Ecclesiae enim auctoritate innotuit, quod Evangelium Matthei, quod Thomae, quod Petri, quod Pauli, denique quae apogrypha, quae agiographa. Audi igitur Ecclesiam orthodoxam; sic Christum audies.

tum ob spiritus sancti in hoc dati benignitatem, qui est perpetuus Ecclesiae custos, dux atque magister. Consentiunt autem ubique iis in rebus, quae ad fidem spectant, ut quae una sit et totius nostrae salutis fundamentum. Quapropter, ut in huiusmodi rebus universi patres Evangelium interpretantes hallucinati sint aliquot centenariis annorum, fieri non potest. Taceo plurima et quidem eximia miracula, historiis fide dignis prodita, quibus patrum et eruditioni et sanctimoniae Deus optimus maximus partim in vita partim a morte ad fidem posteritatis confirmandam saepe testimonium perhibuisse

**Miracula et fructus novi istius (ut vocant) Evangelii.**

narratur. At nihil huiusmodi factionis vestrae doctrinam in hanc certe horam commendavit unquam, nisi forte miracula vocentur vestri istius Evangelii flores atque fructus [1] multo uberrimi, blasphemiae et contumeliae in Christum divorumque statuas et imagines, probra in Deiparam virginem Mariam, convicia in sanctos, nefarius sacrae Eucharistiae abusus, profanatio sacramentorum, divinarum literarum adulteratio, neglectus precum horariarum, votorum transgressiones, monachorum scortationes publicae, sponsarum Christi sanctimonialium aperta stupra, Ecclesiae Ecclesiasticorumque omnium insectatio et depraedatio, ieiuniorum violatio, contemptus superiorum, inobedientia, rebellio, discordia, inimicitiae, contentiones, rixae, obtrectationes, maledicentia, sectae, bella, bre-

---

[1] Hos *fructus* in *Not.* (R 8 b) ita describit Herborneus: *Nothae Synagogae filii* adeo non imitantur Christum, ut ad quamvis potius sectam, quam ad christianorum rempublicam spectare dixeris. *Certe quales quales sint, nobis nondum vidimus meliores, qui ex hac prodierunt. Nisi hoc sit esse Evangelium, rapere aliena, evertere sacra, rescindere omnis humanae societatis foedera, stuprare virgines Deo devotas, perque nefas perque tyrannidem suum dogma inculcare, exulari probos, intra moenia fovere fidei hostes.* Atqui ad hunc modum, et Turcae et quilibet tyranni iactare possunt Evangelium. Quotus enim ex iis non meditatur bella? Non cruentas faces moenibus immittit? Qui olim ad fidei sacramenta sese contulerunt principes, erexere Ecclesias, donariis multis, censu sufficienti, privilegiis munificentissimis collegia instruxerunt, roborarunt ac firmarunt. Contra qui sese iisce temporibus iactant verbi divini defensores, atque ad id omnibus insinuandum praecones quosdam insignis loquacitatis circumvehunt, diripiunt vasa sacra, spoliant divorum imagines, et quod omnium scelestissimum, sacram Eucharistiam rident, (S) exsibilant. Et quas non tragoedias moliuntur? Quas non *technas* exordiuntur, ut corrasis undique pecuniis, ac gregariis quibusdam militibus coactis, alios vi, alios metu, aliis item artibus alios sibi subiiciant? Itaque nihil hic agnoscis, quod spiret Christum, nihil, quod spiritum pacis et concordiae magistrum. Ipsi se suis perperam factis produnt, adeoque ostendunt ad Antichristi regnum pertinere. Sunt enim charactere bestiae insigniti et notati.

viter omnium scelerum atque flagitiorum copia et impunitas, id est sentire, docere ac facere, quid cuique lubitum est.

Istiusmodi certe fructibus, si ea sunt miracula, vestrum istud Evangelium apprime commendatur; at cuiusmodi sint hi fructus et unde profecti, ab Apostolo Paulo iampridem praemoniti sumus. Quamobrem, ut etiam male tractarint Evangelium maiores nostri, tamen videre non possum, cur eis desertis in castra vestra fugiamus et relictis assuetis nova suscipiamus. Quid enim a vobis profertur melius? quid Evangelio Christi dignius? Quae contra non longe deteriora? quae non multo indigniora protulistis? Moriar, si vel unum mihi possitis ostendere, quem vestrum istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico (23) reddiderit verecundum. Quot non ostendere possumus, qui sui prorsus iam dissimillimi, seipsis quanto, bone Deus, intervallo facti sunt deteriores. Stultum est igitur, mala mutare malis; dementia etiam mala mutare deterioribus. At sapientissimus ille Salomon patres audiendos sequendosque admonens: *Ne transgrediaris*, inquit, *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*[1]. Quin beatus Ioannes, dilectus Iesu Christi discipulus, qui sacrae doctrinae fluenta e fonte dominici pectoris in coena potavit[2], spiritum veritatis et erroris hinc internoscere docet, quod eum, ait, habere spiritum veritatis, qui patres audit, contra vero spiritum erroris, qui eosdem spernit, in haec verba scribens: *Qui novit Deum, audit nos *; qui non est ex Deo, non audit nos *; per hoc cognoscimus spiritum veritatis et erroris.* Neque enim illud de solis Apostolis Christi tum viventibus dictum accipere oportet; alioqui post Apostolorum tempora quo pacto spiritum veritatis et erroris Ecclesia discernere posset? verum etiam de Apostolorum discipulorumque Christi legitimis successoribus, cuiusmodi maiores nostri, nempe orthodoxi patres et doctores sacri fuere. — Qua igitur fronte per maiores nostros, (quorum interpretationi et doctrinae

Prov. 22, 28.

1. Io. 4, 6.

* vos.

[1] *Ench.* F 3: ... providendum, ne tam temere *patres* sanctos, quos Christi spiritus adflavit, a tergo relinquamus, praecipiente *Salomone* (Prov. 22, 28): Ne transgrediaris etc.

[2] Est locutio desumpta ex Responsorio VIII. Officii in festo s. Ioannis Ev. (27. Dec.), ubi legitur: « Fluenta Evangelii de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit ».

tum sensus tum miracula veritatis testimonium ferunt locupletissimum) vos et utroque destituti, et collecti ne uni quidem eorum matulam porrigere [1] digni, seu quis eruditionem, seu pietatem spectet, effutire audetis, Evangelium Christi aliquot iam seculis erroneis hominum commentis esse vitiatum? Ceterum illud quid sibi volebat, quod ibidem a vobis effutiebatur, Evangelium superioribus aliquot centenariis annorum impuris hominum additionibus quasi dilutum et lymphatius factum, nativam vim et nitorem genuinum perdidisse? Nihilne prorsus addendum Evangelio? Nihil praeterea recipiendum? Num repudianda cetera praeter id unum omnia? Num abiiciendum non modo vetus instrumentum, nempe lex cum prophetis, id quod olim Marcion, Basilides, Manichaeus, et aliae nescio quae haereticorum pestes factitasse leguntur, verum etiam bona pars novi testamenti, ut Apostolorum Acta, ut epistolae Paulinae et Catholicae, ut denique revelatio beati Ioannis Evangelistae, quandoquidem haec omnia ab Evangelio aliena videntur?

**Multa Evangelio addere oportet.**

At Evangelii nomine (dicetis) omne verbum Dei et totam canonicam utriusque testamenti scripturam intelligimus, tanquam in qua sint prora (ut aiunt) et puppis, atque praeter canonicam huiusmodi scripturam ceu unicam fidei nostrae amussim et normam nihil, nisi pro nostro delectu atque iudicio nobis recipere oportere profitemur. — Nunc demum intelligere mihi videor, quid sibi vellet in responsionis fronte (24) praefixa Evangelicorum concionatorum inscriptio, nempe vos praeter sacra biblia in disserendo admittere nihil. Verum quo illud ceu erroris universi atque haereseos quoddam * seminarium funditus extirpetur, ostendamusque simul, quam toto (ut aiunt) coelo erretis [2] ab Evangelii scopo, ita ut non modo non habeatis ipsum Evangelium, utpote germano veroque eius sensu destituti, quemadmodum (ni fallor) hactenus satis superque ostendimus, verum etiam ne nominis quidem vim ac proprietatem intelligatis, cuius rei alioqui vindices assertoresque videri ac haberi cupitis, utpote crassissima ignorantia verbum Dei, scripturam et Evangelium confundentes, atque res δὶς διὰ πασῶν [3] (ut est

**Quia vel praeter omnem scripturam multa recipere necessum est.**

* quod.

---

[1] Occurrit apud Erasmum Rot. Op. omnia (Lugd. Bat.) II. 217.

[2] *Paradox.* fol. 10b: Toto coelo (quod dici solet) aberrabis.

[3] Idem proverbium occurrit in *Mon.* C 8b:... Ubi non addetis ad verbum meum? nimirum humana figmenta, quae δὶς διὰ πασῶν adversantur. Et in *Ench.*

in musicorum proverbio) dissitas nullo discrimine separantes, deinceps iam primo quam luculentissime docebimus, Evangelium iuxta germanam veramque rationem suam nulla in litera situm esse, nullo scripturae genere contineri, denique nullam esse legem scriptam.

Principio, nonne passim Evangelii mentionem factam esse legimus, nullo etiamnum in tabulis, vel in membranis, vel alia quavis materia exarato? Quoties Christus ipse adhuc praedicando circumiens Evangelii meminit? veluti (quo pauca de multis exempla proferam) cum ait: *Poenitentiam agite, et credite Evangelio.* Et iterum: *Qui perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.* Rursus: *Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur quod haec fecit in memoriam eius.* Et alibi: *Euntes in universum mundum praedicate Evangelium omni creaturae,* aliisque locis quamplurimis. Quoties Apostolorum Acta commemorant, passim illos evangelizasse ac praedicasse Evangelium per civitates? Quoties Evangelii tuba Paulus, nomen hoc suavissimum personat, quam frequenter ore verbum hoc bonum eructat, quod semper in corde gestabat? quam in nulla fere non epistola in huius mellitissimi nominis appellatione creber ac multus est? Sed de quo tandem Evangeliorum his in locis verba sunt? Num Matthaei? num Lucae? num Ioannis? At praedicante in terris Christo nullum adhuc scriptum exstabat Evangelium. Quippe cum aliquot annis post ascensionem dominicam scribi coepta sunt Evangelia, maturius aliud, aliud serius. Verum et si Apostolis quidem adhuc praedicantibus forte conscripta sunt, et edita Evangelia, quibus hodie utimur omnia, tamen eos ad praescriptas illorum angustias non docuisse ac praedicasse Christi Evangelium, vel inde liquido constat, quod nondum ullo horum quatuor vel condito vel edito, Apostoli iam ad Evangelii

**Quod Evangelii ratio nulla in litera consistat.**

Marc. 1, 15.

Marc. 8, 35.

Matth. 26, 13.

Marc. 16, 15.

---

G 6[b] (latinis quidem characteribus impressum): Qui simul atque verba protulit, palinodiam occinit, dicens se non sensisse quod prae se ferunt, id est carnem et sanguinem Christi praesentissimum, sed aliud ab iis *dis dia pason* diversum. — Audi *Erasmum Roterodamum:* Hoc proverbio, inquit, discrimen ingens ac longissimum intervallum [*duas* nempe *tonorum octavas* verbotenus innuit] significabant; unde quae pugnantissima inter se viderentur totoque dissidere genere, ea διὰ πασῶν discrepare dicebant (Erasm. Adag. Chil. I. Cent. 2. N. 63. pp. 81-83). Et K. F. *Hermann* (in Lucian. de hist. conscr. VII. p. 48): Proverbio, inquit, a re musica desumpto significantur ea, quae *toto coelo differunt.* (Cf. *Herm. Wedewer,* Iohannes Dietenberger. Freib. 1888. p. 372. n. 1).

praedicationem et piscaturam mundi in suam quisque regionem duce ac magistro spiritu sancto digressi fuerant praedicaturi Evangelium, prout spiritus sanctus unicuique (25) suggereret. Cui rei argumento fuerit locupletissimo, quod Apostoli, qui scriptas reliquerunt epistolas, nusquam de his quatuor Evangeliis testimonia proferunt, nisi Paulum intelligas Lucae discipuli ac comitis sui Evangelium citare, quoties suum Evangelium appellare solet. At Paulus, qui palam asserit Evangelium a se praedicatum non esse se-
Gal. 1, 12. cundum hominem, seque illud ab homine nec accepisse nec didicisse, sed per revelationem Iesu Christi, non a Luca Evangelium accepit didicitque. At contra Lucas, Pauli sectator assiduus omnisque peregrinationis ipsius comes assiduus, iuxta Pauli praedicationem Evangelium conscripsit, quemadmodum praedicatum a Petro Evangelium Marcum literis mandasse ferunt. Quid, quod auctor et conditor novae legis (quod Evangelium dicimus), dominus noster Iesus Christus, nec scripsit ipse quicquam, nec Apostolorum ulli quicquam scribere iussit, sed ut docerent omnes gentes ac praedicarent omni creaturae suum Evangelium, id tantum Apostolis suis iam tum ab illis e terris ad patrem in coelos ascensurus extrema
Matth. 28, 19. 20. voce mandavit. Nam sic apud Matthaeum ait: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecunque praecepi vobis.* Apud
Marc. 16, 15. Marcum sic inquit: *Ite in mundum universum et praedicate Evangelium omni creaturae* etc. Quo factum, ut Apostolis iuxta mandatum domini ad Evangelii praedicationem digressis, qui ante separationem in solis fidei articulis convenisse feruntur, bona pars vasti orbis Evangelium voce prolatum audierit, susceperit atque crediderit, priusquam scripto mandaretur [1]. Videtis ergo vos, scilicet Evangelici concionatores, quam longe ab Evangelii scopo aberretis, qui mordicus literae adhaerentes non animadvertitis, ne plane dicam, ignoratis, Evangelium hoc scriptum iuxta germanam et veram Evangelii rationem, ne esse quidem Evangelium.

At obstrepet mihi fortassis hoc loco quispiam: Cur igitur, re-
Quod Evangelium sit lex spiritus. probatis (ut ante dictum fuit) aliis, haec tantum Evangelia quatuor, si vera non sint, a maioribus nostris approbata sunt atque recepta?

---

[1] *Ass.* 13. Reformavit... tum Christus, tum Apostoli fere omnem Ecclesiam, quin etiam universum orbem sine aliquo scripto Evangelio, quum antea Evangelium divulgatum sit, quam literis concreditum.

— Absit procul a nobis, procul, inquam, a nobis absit ea impietas,
ut dubitemus esse vera, nedum ut vera esse negemus; nihil his
verius, verissimam complectuntur * historiam, verissime Iesu Christi
tum dicta tum facta recensent; at germanam veramque ipsius
Evangelii rationem, hoc est illud ipsum, quod est summa, finis atque scopus omnium, quae verissime iuxta et sanctissime quatuor
Evangeliorum historia describit, quoque tum dicta tum facta Christi
illic exarata referuntur omnia, dicimus nulla in litera consistere,
nullam esse scripturae genus, nullam denique legem esse scriptam.
Cuius tamen rei sacratissima (26) horum quatuor Evangeliorum
historia, quibus Ecclesia utitur, sit nobis tanquam signum, imago
et monumentum. Nam haec lex nova (quam Evangelii nomine significamus) a ceteris legibus distat, quod neque nobis innata sit, uti
lex naturae omnibus a nativitatis exordio hominibus insita, neque
vel in tabulis lapideis vel membranis quibuscunque hominibus a
Deo praescripta, uti lex Mosi olim a Deo Iudaeis data, sed in cordibus quorumlibet credentium per spiritum sanctum tempore baptismatis infusa et quasi digito Dei (qui spiritus sanctus est) spiritaliter inscripta. Hoc vero ita futurum prophetae Dei multis ante
seculis praecinuerant. Nam Esaias de novae legis tempore vatici- Esa. 11, 9.
nans: *Repleta est,* inquit, *terra scientia domini, sicut aqua maris operientis.* Et alibi rursus in domini persona: *Ponam universos* Esa. 54, 13.
*filios tuos doctos a domino.* Quem sane locum respexisse videtur
dominus noster Iesus Christus apud Ioannem, quo loco ait: *Est* Io. 6, 45.
*scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti a Deo* [1]. Hieremias Hier. 31, 31-34.
autem rem hanc uberius explicans: *Ecce,* inquit, *dies venient, dicit dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum; et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum dicens: Cognosce*

* complectimur.

[1] Utitur hic versione *Erasmi.* Eodem modo legitur textus in *Ench.* E 2[b]: *Et erunt omnes a Deo docti* (Vulgata habet: docibiles Dei).

*dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* Haec ille. Qui prophetae locus in ea quae ad Hebraeos est epistola, tum octavo tum decimo cap. verbis nonnihil immutatis maiore cum luce repetitur, explicando veteris novique testamenti differentiam. Huc quoque pertinet, nempe legem spiritus esse Evangelium, quod Apostolus posteriore ad Corinthios epistola in haec verba scribit, praedicto, ni
2. Cor. 3, 2. 3. 6. fallor, prophetae loco eminus alludens: *Epistola,* inquit, *nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur* * *et legitur ab omnibus hominibus: manifestati, quoniam epistola estis Christi ministrata a nobis et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis* ** *cordis carnalibus.* Atque haud multo post ibidem: *Qui,* inquit, *et idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non litera, sed spiritu* (27); *litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Propterea magister ac dominus noster Iesus Christus, conditor Evangelii et novae legis auctor, posteaquam toto huius vitae suae mortalis decursu Mosaicam
Gal. 4, 4. 5. legem observarat, nempe *factus sub lege,* iuxta doctrinam Apostolicam, *ut eos qui sub lege erant redimeret,* post agni paschalis esum in ultima coena, veteri lege iam consummata, novam conditurus, extrema oratione illa tum ad suos habita, nihil eis, patri suo commendatis, praeter unum spiritum sanctum promisit, tanquam is nimirum futurus esset, qui novam et Evangelicam legem suam cordibus eorum inscriberet, doceretque eos, quicquid eis aut scitu aut factu opus esset, et ad summam, in quo tota lex sua consisteret. Unde factum quoque, ut quemadmodum Hebraeo quon-
Exod. 31. et 32. dam populo ab Aegyptiis liberato quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sina: ita post passionem, qua verus agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectionis eius die
Act. 2. (quam graeca voce pentecosten appellamus) in Apostolos plebemque credentium spiritus sanctus elapsus est. Auditis igitur [1], Evangelici scilicet concionatores [2], quemadmodum non in litera, sed in spiritu

* scribitur.

** 4 proxima vocabula desunt.

---

[1] In diversis *Herbornei* operibus eadem phrasis legitur v. g. *Mon.* G 7: *Audis* hic prohiberi a Deo.

[2] *Not.* R 7 b: Paulinis *scilicet* epistolis.

consistat Evangelium, neque sit lex scripta, sed infusa, non per hominem, sed per spiritum sanctum, non in membranis librorum chartaceis, sed in carneis fidelium cordibus.

At rogabit hic forte quispiam, quid ergo tandem sit rei Evangelium ipsum, cupiens audire paulo explicatius. Audi, quisquis es, non me, sed clarissimam Evangelii tubam [1] beatum Paulum, a quo in Romanis Evangelium hac finitione [2] perquam luculenter explicatur: *Lex, spiritus vitae in Christo Iesu,* seu per Christum Iesum, idque tali sensu: Lex est non scripta uti Mosaica, sed spiritualis, non occidens ut illa (nempe Deum ostendens vetansque peccatum, et gratiam seu auxilium evitandi non praestans, humani ingenii vitio semper in velitum obnitentis maiorem peccandi suggerit occasionem, quo et damnatur et occiditur anima), sed vivificans; quippe quae gratiam auxiliumque implendi legem ad aeternae vitae consecutionem credentibus ac facientibus administret, et quidem in Christo Iesu seu per Christum Iesum, hoc est virtute et merito ipsius ceu mediatoris inter Deum et hominem, a quo tanquam omnis gratiae fonte uberrimo in nos gratia particulatim derivatur, iuxta illud beati Ioannis Evangelistae: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam* (28) *quasi unigeniti a patre plenum gratia et veritate, et de plenitudine eius nos accepimus gratiam pro gratia, quia lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Porro gratia nulli contingit adulto, qui modo mentis suae compos sit, citra poenitentiam, poenitentia autem non citra fidem, fides denique non citra veritatis cognitionem; at ubi gratia, ibi remissio peccatorum, ibi pax et reconciliatio cum domino Deo; ubi pax Dei, ibi salus aut re aut spe; ubi salus, ibi consimiliter vita aeterna; ubi vita aeterna, ibi regnum coeleste. Quibus efficitur, ut Evangelium (quatenus vox ipsa non pro re annunciata et allata per Christum accipitur, sed pro annuntiatione ipsa, praedicatione ac doctrina) pas-

Quid sit Evangelium.

Rom. 8, 2.

Evangelii finitio.

Io. 1, 14. 16. 17.

[1] Paulum Evangelii **tubam** appellat auctor etiam pp. (24. 114. 173). Aliis locis eundem Apostolum nominat *buccinatorem* Evangelii *praecipuum* p. (19), *maximum* pp. (73. 82). Cf. *Mon.* (Epist.) S. 6, ubi idem dicitur: *Tuba* illa *vocalissima* Paulus Tharsensis. Et *Meth.* T. 3: *vocalissima* illa Evangelii **tuba** Paulus. — *Mon.* A: *Organum* illud coelestis philosophiae Paulus Tharsensis.

[2] Auctor hinc inde adhibet verbum *finiendi* loco *definiendi* pp. (60. 142) et vocem *finitionis* loco definitionis pp. (120. 121). Cf. *Ench.* L 5: Quae in conciliis *finiantur;* et B 7[b]: Spem plerique *finiunt* esse Dei donum...

sim in divinis eloquiis appelletur Evangelium, lex aut verbum fidei, veritatis, poenitentiae, gratiae, pacis, reconciliationis, vitae, salutis et regni, et si quae hisce sunt cognata et affinia. Verum enimvero gratia vel ipsa charitas est, vel certe nunquam a charitate sepa-
Rom. 5, 5. ratur. Charitas autem (quae *diffunditur in cordibus nostris per*
Rom. 13, 10. Gal. 5, 14. *spiritum sanctum)* iuxta doctrinam Apostolicam, *plenitudo legis est.* Quo fit, ut quemadmodum lex scripta est legis innatae reparatio, ita lex gratiae seu charitatis est utriusque consummatio atque impletio. Sicut enim lex scripta, ita quoque lex innata peccatum ostendit, docens quid sit, quid non sit facto opus; at neutra hominis naturam peccato originis corruptam sanavit praestando vim declinandi a malo et faciendi bonum. Hoc autem unica lex Evangelica praestitit, id est gratia Iesu Christi sive charitas per spiritum sanctum in cordibus credentium diffusa; videlicet qua delectabiliter omne impletur, quod terribiliter iubetur lege, id quod solum est implere legem coram Deo, qui renes et corda scrutatur; nempe si lubenter, amanter, ex animo, et cum gaudio id quod praecipitur efficias. Quamobrem ut lex scripta non fuisset homini ad salutem necessaria, neque homini etiam a Deo data fuisset, si genus humanum naturae legem peccatis non usque adeo obscurasset, ut propemodum extinctam, per legem scriptam in tabulis lapideis Mosi datam, reparari oporteret; ita multo minus nunc sub lege gratiae, qua natura hominis a peccato sanata est, ulla lex scripta homini ad salutem absolute, simpliciter et extreme est * necessaria. Ceterum haec fortassis ardua magis fuerint, quam ut quivis ea capiat; igitur ea missa facientes hanc aliquando partem concludamus. In summa Evangelium est lex spiritus vitae in Christo Iesu, id est gratia seu charitas spiritus sancti, vivificans (29) animam per Iesu Christi virtutem et meritum. Proinde magister ac dominus noster Iesus Christus in extrema oratione ad suos habita doctrinae suae texens ἀνακεφαλαίωσιν, nihil praeter unam solamque charitatem ceu legis suae proram (ut aiunt) et puppim repetivit identidem et iterum iterumque inculcavit; hanc enim Christus homini non modo praecepit ac docuit (id quod vetus quoque lex fecerat), sed etiam credenti a patre per spiritum sanctum impetravit, donavit et impertitus est. Haec est summa omnium, quae Christus in carnis dispensatione docuit, fecit atque tulit, nimirum ut Evangelium constitueret novamque conderet legem, cuius gratia mysterium incarnationis susceptum est.

* « est » deest.

Nunc ut eo veniamus, quo hactenus de Evangelio dicta spectant omnia, fortassis denuo me hic rogaturus est quisquiam: Si Evangelium seu lex nova Christi non sit aliud, quam gratia sive charitas, quaenam scriptura atque doctrina censeri debeat Christiana et Evangelica, tanquam ad Evangelium pertinens. Hic respondemus: Quemadmodum (uti iam, ni fallor, abunde monstravimus) Evangelium lex spiritus est in cordibus fidelium digito Dei (qui spiritus sanctus est) inscripta, omnem doctrinam divinitus inspiratam, seu ea literis mandata sit, seu per manus tradita, seu tacito usu recepta (*non est enim Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur,* et aliquando secum dissidere possit) Christianam, Evangelicam et Catholicam esse censendam atque tempore huius novae legis amplexandam. Quapropter ut intelligamus, ea quam late pateat, agite, per quos velut organa [1] locutus sit homini spiritus Dei, paulisper expendamus.

**Quaenam doctrina censeri debeat Evangelica sive Christiana.**

**Num. 23, 19.**

**Quae ac quot sub ea clauduntur.**

Principio spiritu sancto illustratos fuisse veteris instrumenti [2] auctores Mosen atque ceteros prophetas, in confesso est (ni fallor) hodie apud omnes, qui Christiani quoquo modo videri ac haberi volunt. Nam non Christus modo et Evangelistae Apostolique vetus instrumentum approbarunt, et passim illinc testimonia proferentes, et subinde nos illuc remittentes, verum etiam Petrus hac de re nominatim et aperte scribens: *Non,* inquit, *voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei et homines.* Unde propheta regius: *Lingua,* inquit, *mea calamus scribae velociter scribentis:* nempe spiritus sancti, cuius gratia tarda nescit molimina; et alio in loco: *Audiam quid loquatur in me dominus Deus.*

**I. Libri veteris instrumenti.**

**2. Pet. 1, 21.**

**Psalm. 44, 2.**

**Psalm. 84, 9.**

(30) Deinde vero Evangelistas et Apostolos novi testamenti scriptores vel longe copiosius eodem spiritu illuminatos ac perfusos fuisse, nulli unquam in specie Christiano addubitatum quidem opinor; idque non solum ob illud Christi verbum ad suos: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis;* verum et multo magis ob id, quod, uti supra iam semel atque iterum attigimus, spiritum sanctum ceu novae legis auctor

**II. Novi quoque testamenti.**

**Matth. 10, 20.**

---

[1] *Mon.* I 2 b: Hominum interest dispensare sacramenta, quibus *ceu organis* Deus suam gratiam hominum mentibus infundit. Cf. ib. E 2 b, H 2; et *Not.* S 3.

[2] « Vetus novumque *instrumentum* » passim et hic et in operibus *Herbornei* legitur non secus ac vetus et novum testamentum.

extrema ad suos oratione tam sedulo eis promissum, die post resurrectionem suam quinquagesimo, in linguis igneis palam coelitus emisit atque praestitit. Hoc autem omne, quicquid id est, quod sacris utriusque testamenti paginis concluditur, scripturam per excellentiam appellare solemus, perinde ac Tullium oratorem et Virgilium poëtam.

III. Apostolicae traditiones.

Sed enim quando spiritum sanctum Apostolis promissum atque praestitum esse constat, non tam uti scriberent quicquam, id quod nulli a Christo mandatum est, uti ante diximus, quam ut Evangelium praedicarent, populum docerent atque Ecclesiam Dei regerent; quis ambigat nihilo secus a spiritu sancto directos esse Apostolos in iis quae coram viva voce ad salutarem Ecclesiae moderationem tradiderunt atque statuerunt, quam in iis, quae posteritati scripta reliquere. Quis ergo simul addubitet, non minus fidei habendum Apostolicis traditionibus et decretis (quae veluti per manus tradita ex temporibus Apostolorum hucusque credita et observata sine scripto ad nos pervenerunt), quam scriptis eorundem monumentis? Huiusmodi autem vel infinito plura esse, quae praesentes absque literis tradidere, quam ea quae literis ad absentes mandavere, vel hinc illico perspicuum evaserit, quod iuxta domini praeceptum omnes quidem Apostoli Evangelium docuere, sed praeter Matthaeum, Ioannem, Paulum, Iacobum, Petrum et Iudam a ceteris omnibus (quod modo catholica receperit Ecclesia) scriptum plane nihil habemus. At nihil interim alios vivae vocis oraculo iis populis, quos ad fidem Christi Evangelica praedicatione converterant, coram tradidisse ac statuisse putabimus? Mihi sane haud quaquam fit verisimile. Iam vero quantulum est, quod nobis illi ipsi reliquerunt, quorum monumenta literis mandata tenemus! Num eos nihil praeterea tradidisse ac statuisse credemus apud eas nationes, idque per tot annos, quibus nonnulli Evangelium Christi praedicarunt? Hinc Lucas Actorum Apostolicorum scriptor de Paulo et Timotheo verba faciens: *Cum*, inquit, *pertransirent* (31) *civitates, tradebant eis servanda decreta, quae erant ordinata ab Apostolis et presbyteris, qui erant Hierosolymis.* Quin vel Paulus ipse, qui ceteris alioquin omnibus plus et laboravit et conscripsit, permulta tamen a se coram tradita complusculis in locis perquam dilucide testatur. Nam etsi duas ad Corinthios epistolas et quidem bene longas dedit, in priore tamen epistola ait: *Cetera cum venero disponam.* Ad Philippenses itidem scribens: *Quae,* inquit, *et didicistis et accepistis*

Apostoli multa tradiderunt, quae literis non sunt commissa.

Act. 16, 4.

1. Cor. 11, 34.

Phil. 4, 9.

*et audistis et vidistis in me, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum.* Sed omnium hac de re locus est apertissimus posteriore ad Thessalonicenses epistola: *State,* inquit, *et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram* [1]. Quid? quod omnes Apostolorum epistolae ad eos scriptae sunt, qui iam eorum praedicatione Christi fidem amplexi fuerant, ideoque non tam docentes explicate omnia, quae fidei sunt necessaria, quam coram tradita compendiosius in memoriam reducentes exhortantesque, ut in doctrina fidei semel accepta perseverent, neve sinant se in errores ac haereses per pseudoapostolos abduci, qui iam tum exorti post Apostolorum discessionem nunquam non imminebant, ut populum a libertate Evangelii in legis servitutem pellicerent. Hinc factum, ut ex Apostolicis huiusmodi traditionibus aliquot canones Apostolorum in principio nascentis adhuc Ecclesiae a beato Clemente collecti, in scripta redacti atque synodali auctoritate comprobati fuerint (qui etiamnum latine circumferuntur), tantae apud Graecos olim dignitatis ac fidei, ut canonicis novi testamenti libris adnumerarentur. Quocirca nulli iam dubium esse reor, nihilo minus ad Christianam et Evangelicam pertinere doctrinam traditiones Apostolorum non scriptas, ceu vivas ipsorum voces, quam mortuas eorundem literas.

2. Thess. 2, 15.

Verum enimvero, quoniam Christus et seipsum Apostolis suis ad seculi usque consummationem affuturum pollicitus est et eisdem extrema oratione palam professus est, se patrem orasse, quo spiritum sanctum ipsis mitteret, qui cum eis in aeternum maneret, non pro eis tantum, sed et pro iis qui crediturі essent per sermonem eorum in ipsum, utpote moriturus non pro suis tantum Apostolis discipulisque tum viventibus, sed et pro cunctis eorum in fide successoribus usque ad finem mundi ubilibet gentium victuris, nihil profecto mihi dubium est, tam illustratos spiritu sancto orthodoxos Ecclesiae patres, Apostolorum discipulorumque Christi successores, uti sacra utriusque testamenti eloquia nobis edisserent, quam pro-

IV. Orthodoxorum patrum lucubrationes. Matth. 28.

---

[1] *Mon.* Q 6[b]: Quicquid reipsa Evangelio consonat aut consecutione necessaria ex hoc deduci potest... *obviis, quod aiunt, manibus* ceu sacrum excipitur. Neque enim ea solum, quae patulis verbis, sed ea omnia, quae vel *traditione Apostolica,* vel consecutione necessaria ex scriptura sacra eliciuntur, amplectenda sunt. Alioqui cur Paulus iussit non modo quae per epistolam, sed etiamnum per *sermonem vivum et traditionem* didicerunt, servare?

phetas, Apostolos (32) et Evangelistas, ut ea nobis conscriberent, maxime quod, ut etiam ante dictum fuit, potissimum in hoc missus est spiritus sanctus, ut Ecclesiae magister ac interpres coelestium scripturarum esset; nihil enim Ecclesiae Dei profuisset utriusque testamenti scripturam divinitus accepisse per homines Dei prophetas et Apostolos, nisi per alios item Dei homines, orthodoxos patres et doctores sacros, rectam veramque ipsius accepisset intelligentiam. Hoc nimirum est, quod priore ad Corinthios epistola
1. Cor. 12, 28. Paulus ait: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores.* Quod ipsum ad
Eph. 4, 11-14. Ephesios explicat uberius. Nam de Christo loquens: *Ipse,* inquit, *dedit alios quidem Apostolos, alios vero prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, donec perveniamus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenae adultae Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus et circumferamur quovis vento doctrinae per versutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur ut imponant nobis* etc. En Paulum aperte docentem, non modo prophetas, Apostolos et Evangelistas, verum etiam pastores ac doctores ceu interpretes illorum divinitus Ecclesiae datos, idque ad aedificationem Ecclesiae, et in seculi consummationem, ut hisce tanquam a Deo illustratis fidem adhibentes non abducamur in errorem per eos qui contraria docent. Quin hac de re Thessalonicensibus breviter iuxta ac lucide praeci-
1. Thess. 5, 19. piens: *Spiritum,* inquit, *ne extinguatis, prophetias ne aspernemini.* Hoc autem nomine Paulo arcanae scripturae enarratio significari solet, cui vel proximas a charitate partes inter divina charismata
1. Cor. 14, 1. etc. in priore ad Corinthios epistola tribuit. Quapropter et piae orthodoxorum patrum lucubrationes [1], explanationesque coelestium oraculorum ab eis conscriptae, haudquaquam nobis respuendae sunt, verum tanquam ad Christianam Evangelicamque doctrinam apprime

---

[1] *Mon.* (Dedicatio) A 2: Nostras... pro *orthodoxae* fidei patrocinio insumptas *lucubratiunculas* transmittemus. — Cf. *Ench.* c. 13. F b. Qui... comperiet, fidei nostrae primores veri verbi Dei notionem habuisse adeoque in nos propagasse... Patres autem voco non modo eos qui sacris interfuerunt conciliis, sed etiamnum omnes, quos hactenus tota approbavit Ecclesia: Basilium, Cyrillum etc... et reliquos, quorum fides, opera, scripta, vitae sanctimonia ad nos quoque derivata sunt.

facientes, utpote a spiritu sancto profectae, obviis (ut aiunt) ulnis amplexandae.

V. Revelationes sanctorum.

At vero non modo doctores literarum studiis ab ineunte aetate instructi atque in lege domini noctes et dies exerciti ad penetranda coelestis sapientiae arcana spiritu sancto illustrati fuere, verum etiam compluribus (33) utriusque sexus, idiotis quidem illis, illiteratis, at minime vulgaribus Dei amicis, legimus spiritum sanctum e thesauro divinae sapientiae secretiora quaedam et arcana, neque satis expressa literis, neque sanctis ostensa doctoribus, singulari quodam amicitiae privilegio revelasse. Nam et principes Apostolorum et spiritus primitiae, dum a Christo vocarentur, rustici, piscatores et indocti fuerunt, unde Christus patri gratias ea de re agens: *Gratias*, inquit, *ago tibi pater, domine coeli et terrae, quod absconderis haec a sapientibus et prudentibus, et revelaveris*[1] *ea parvulis*. (Matth. 11, 25.) Quin extrema oratione illa sui revelationem amantibus eum aperte pollicetur: *Qui*, inquit, *diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum*. (Io. 14, 21.) Proinde non solum erudita doctorum commentaria, verum etiam piae sanctorum revelationes, veluti e penetralibus spiritus sancti depromptae, praesertim ubi Ecclesiae calculus accesserit, neutiquam contemnenda sunt tanquam a Christiana et Evangelica doctrina dissentaneae seu alienae.

VI. Decreta Summorum Pontificum.

Iam vero si dominus Deus sacris doctoribus et sanctis quibusdam idiotis aut privatis hominibus aut certe particularium Ecclesiarum praefectis spiritum sanctum ad Ecclesiae utilitatem adeo largiter impartiri dignatus est, quanto uberiore spiritus sancti unctione perfusum credere oportebit generalem Christi vicarium atque summum universalis Ecclesiae praesidem, maxime quod Christum, qui et pro omnibus ubicunque victuris mortem subiit, et ad consummationem usque seculi se affuturum suis promisit, non Petro (Matth. 28, 20.) tantum, sed et universis in eo successoribus promisisse par est credi, fore, ut portae inferorum nullo tempore adversus Ecclesiam prae- (Matth. 16, 18.)

[1] Vulgata habet *Indicativum*. In *Ench.* D 8 legitur idem textus in *Coniunctivo*. Cf. ad hoc, quae dicuntur in *Monade* O 6: Est alterum *revelationis* genus, quae non imposturis, sed *divino adflante spiritu*, non passim omnibus, sed raris, sed purgatis, sed humilibus... mentibus contingit... Sic Ambrosius, Martinus, Franciscus, *Brigitta*... hoc usi sunt. — Eodem capite 6. explicat criteria verarum revelationum.

Luc 22, 32. valerent. Neque consentaneum est, Christum pro solo Petro rogasse patrem, sed etiam pro universis eiusdem successoribus, ne quando fides deficeret. Quo fit ut nihil addubitem, summum totius Ecclesiae Pontificem (qualis tandem ipse vita sit atque moribus, suo Rom. 14, 4. enim *domino stat aut cadit*) in publicis Ecclesiae fideique negotiis ac humanae saluti necessariis directione spiritus sancti nunquam destitui [1]. Quandoquidem et de Caipha, non Evangelii, at legis Pontifice, et quidem corruptissimo, legimus, eum instinctu spiritus sancti de Christo verissimum edidisse oraculum, idque teste Evangelista non Io. 11, 51. alia ratione, quam dignitate Pontificatus. *Hoc*, inquit, *a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus esset pro gente.* Idcirco summorum quoque Pontificum canones et decreta (34), tanquam et ipsa e fonte spiritus sancti derivata, vel in primis in Christianae et Evangelicae doctrinae album referri debent.

VII. Conciliorum sanctiones. Quod si porro Deus optimus maximus singulo cuique aut sacro doctori, aut homini pio, aut summo Pontifici spiritum suum in Ecclesiae usum impartitur, quanto magis certo certius est tenendum, id universali concilio e cunctis proceribus Ecclesiasticis coacto atque totam referenti Ecclesiam tribui, ut in cunctis fidei necessitatibus obortis spiritus Christi, tanquam sponsi ac capitis, ei * ceu sponsae ac corpori mystico semper et adsit et praesit, quippe cui Christus spiritum sanctum perpetuo cum ea mansurum promiserit, et quam tantopere patri suo coelesti commendaverit, et cuius gratia hoc quicquid spiritus acceperunt singuli, eis impartitum sit, 1. Cor. 12, 7. *unicuique autem* (teste Apostolo) *datur manifestatio spiritus ad* Ecclesiae *utilitatem.*

Proinde quin Ecclesiasticis synodis, maxime generalibus et legitime coactis propter oborta fidei negotia et discrimina, spiritus

* et.

---

[1] *Mon.* R 8[b]: Hactenus defendit fidem Romanus Pontifex..., ut nusquam certius veri christianismi, quam in huius Ecclesia, invenias indicium. Stat enim Petri sedes infracta, stat Christi obfirmata promissione: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (Luc. 22, 32)... S 3: Nondum docuit nos... Gallus, pontificem Romanum a Christo descivisse: perstat enim huius regnum, velit nolit etiam ipse papa. Neque enim uspiam, quod constet, deprehendes huius sedis Pontificem *in causis fidei perperam definivisse*... K 2: Omnes (sc. patres, imperatores christiani etc.) *unum hunc* (sc. *papam*) dubiis in rebus requirunt, adeunt, consulunt, consultaque *ceu divina oracula* exequuntur. Cf. etiam ib. M 7[b]. et I 4. I 7[b].

sanctus praesideat, orthodoxorum opinor ambigere neminem. Cuius rei locupletissimo fuerit tum argumento tum exemplo Apostolicum illud concilium super observatione legalium Ceremoniarum, Hierosolymis (ut est in Actorum historia) celebratum. Huius enim senatus consultum ad fratres Antiochiae perscriptum inter alia sic habet: *Visum est spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris* etc. Quo loco praeclare nobis indicatur, sacris Ecclesiae conciliis rite coactis semper praesidere spiritum sanctum [1]. Quapropter et huiusmodi conciliorum dogmata, constitutiones et decreta, tanquam e sacrario spiritus sancti prolata, Christianae et Evangelicae doctrinae catalogo vel maxime debent ascribi. Act. 15, 28.

VIII. Universalis Ecclesiae consuetudines.

Sed certe si Ecclesia Dei, quam universale refert concilium, spiritu sancto regitur in suis decretis atque constitutionibus, cur item non in consuetudinibus ritibusque suis eam spiritu sancto dirigi credemus? Et si humanis in rebus, quae nativae rationis lumine reguntur, recepta consuetudo vim humani iuris obtinet, cur item non in negotiis Ecclesiasticis, quae magisterio spiritus sancti gubernatur, consuetudo unanimi omnium ubique Christi fidelium consensu approbata et diutino observationis usu confirmata, divini iuris (35) robur habere putabitur? Hinc Apostolus Paulus adversus contentiosos Ecclesiasticae consuetudinis auctoritatem protulisse contentus: *Si quis*, inquit, *videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* [2]. Quamobrem ut scriptae generalium conciliorum sanctiones, ita et tacitae universalis Ecclesiae consuetudines, ceu vivae quaedam ipsius voces, haud secus 1. Cor. 11, 16.

---

[1] *Ench.* E 2[b]: Loquuntur et patres sacris *in conciliis*, dum spiritu sancto duce fidei causas terminant. — Cf. quae *Herborneus* de conciliis praeclare disputat in *Monadis* c. 5. et ib. c. 4 L 5: Equidem, inquit, et nos penes Ecclesiam volumus esse diiudicandi de variis ac peregrinis dogmatis arbitrium. Ecclesiae vero nomine potissimum concilium oecumenicum, sub haec et Episcoporum synodos haud iniuria intelligimus etc. — L 5[b]: ... Neque enim nos negamus spiritum Ecclesiae in arrabonem datum...; quin id est quo nostram fidem potissimum roboramus. Siquidem is spiritus ad hoc Ecclesiae datus est, ut in omnem veritatem ducat, ut suggerat, quae difficilia fuerint intellectu, ut adsistat patrum comitiis iisque sese insinuet, ne secus, quam res ipsa habet, determinent. Id quod et sanctissime hactenus praestitit in oecumenicis patrum conventibus, adeo ut *nusquam deprehendas eos in iis, quae morum fideique existunt, errasse.*

[2] *Ench.* L 6: Quatenus ad receptam consuetudinem: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. (1. Cor. 11, 16).

ac ex ore spiritus sancti pronuntiatae in primis ad Christianam et Evangelicam doctrinam pertinere censendae sunt.

Quid? quod ne per sapientes quidem huius seculi, ut philosophos, ut oratores, ut historicos, ut poëtas, quadamtenus locutum esse spiritum sanctum inficiari possimus. Nam innata hominibus ratio, qua omnes literae seculares tum inventae tum conscriptae sunt, est quasi radius divini luminis hominum mentes illustrans, dicente ad dominum psalmographo: *Signatum est super nos lumen vultus tui, domine.* Deus (inquit Evangelista) *lux vera* est, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Huius autem insitae homini rationis lumen, etsi peccato quidem vehementer obscuratum, est haudquaquam tamen prorsus extinctum. Quo fit, ut huius mundi sapientes, quatenus quidem humanitus impediti, saepe ac graviter hallucinati sint; e contrario, quatenus adiuti divinitus, nativi luminis beneficio plurima tum vere tum utiliter excogitarint atque conscripserint. Hinc a Iesu Sirach mox in fronte libri sui dictum est: *Omnis sapientia a domino Deo est.* Apostolus quoque Paulus de philosophis gentium verba faciens: *Id,* inquit, *quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Siquidem quae sunt invisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsaque aeterna eius potentia ac divinitas.* Propterea, si qua vera sapientes mundi scripta reliquerunt, ab orthodoxae fidei nostrae dogmatis minime dissentanea, neutiquam nobis aspernanda sunt, at potius tanquam ab iniustis possessoribus in usum nostrae religionis convertenda, idque Apostoli Pauli exemplo, qui vel trium poëtarum Graecorum, Arati, Epimenidis et Menandri carmina, totidem in locis citare, ubi suam in rem esse videretur, haud dedignatus est [1], cum alioqui maior semper philosophorum, (36) oratorum, sive historicorum, quam poëtarum, tam apud Graecos quam apud latinos fuerit auctoritas. Quamobrem et Ethnicorum literae, sive philoso-

IX. Seculares literae.

Psalm. 4, 7.

Io. 1, 9.

Eccli. 1, 1.

(Rom. 1, 19. 20.)

[1] *Meth.* V 4[b]: Quanquam una atque altera disputatione haec obiter et ceu parerga interspergat (Paulus), utpote accommodans sese eorum, adversus quos disserit, si quae vera erant assecuti, dictis, quo videlicet propriis ipsorum confutarentur autoribus cederentque veritati. Sic *Menandri* senarium obiectat Corinthiis: Corrumpunt (inquit) bonos mores colloquia prava. Sic Cretensibus *Epimenidis* versum, quo horum vanitatem arguens ait: Cretenses semper mendaces, ventres pigri, malae bestiae. Alicui et *Aratum* inducit, adversus Atheniensium deliramenta: Ipsius enim et genus sumus.

phorum, sive oratorum, sive historicorum, sive poëtarum, si quando pietati nostrae consentanea protulere, velut et ipsae suo quodam modo a spiritu sancto progressae, nullo pacto nobis contemptim abiiciendae sunt, sed potius Aegypto spoliata in Christianae ac Evangelicae doctrinae suppellectilem arripiendae.

X. Humanae ratiocinationes.

Quin, si quod res est, humana in nobis ratio sit veluti quaedam divini luminis particula, quicquid veri nativa ratiocinatione a quovis disserendo colligitur, et ipsum a spiritu sancto quadamtenus profluxisse habendum est. Quamobrem ne ratiocinationes quidem humanae, ubi a vero non dissident, nobis repudiandae * sunt. Nam ratio (quod dici solet) est anima legis, et omnis lex tam divina, quam humana, ratione constat. Lex enim divina vetus est legis naturae (quod rationem interpretor) reparatio, nova vero ipsius consummatio, uti supra diximus [1]; et omnis lex humana eiusdem explicatio, unde fit, ut nulla lex citra ratiocinationem commode tractari queat. Hinc Moses et prophetae, Christus et Apostoli (si modo eruditus lector observet) nullo non argumentandi genere passim uti comperiuntur. Quare nec humanae ratiocinationes a vero non aberrantes, nequaquam a Christianae et Evangelicae doctrinae consortio prorsus alienae habendae sunt, utpote quoquo modo a spiritu sancto profectae [2].

Summa omnium.

Sed quorsum adeo multa? Summatim, quicquid veri quocunque tandem seculo et apud quamcunque hominum nationem est, fuit et erit, maxime, quod vel ad cognitionem Dei vel ad vitae probitatem quoquo modo referre liceat, ut a spiritu sancto profectum, ita quoque ad Christianam et Evangelicam doctrinam quodammodo pertinere censendum est, utpote ad gratiam et charitatem Dei ac proximi (quod Evangelium Iesu Christi esse diximus) utcunque accommodatum, utile ac inserviens. Nam Deus optimus maximus summo illi ac ineffabili mysterio incarnationis, et sanctissimo Evangelii sui negotio, tanquam omnium operum suorum maximo, et publico Ecclesiae suae commodo, cuius nomine Christus egit ac tulit omnia, quicquid uspiam boni aut veri fuisset, foret aut futurum

* **Hic additum est « non ».**

---

[1] Cf. supra 60.

[2] ***Meth.*** V 7: Obviis exosculare manibus, quae offertur veritatis norma, et a quocunque tandem proficiscatur. — ***Mon.*** Q 6[b]: Quicquid ***reipsa Evangelio consonat aut consecutione necessaria ex hoc deduci*** potest... ***obviis, quod aiunt, manibus*** ceu sacrum excipitur (= Humanae ratiocinationes).

esset, (37) servire voluit. Illud, opinor, est, quod alicubi ad suos
Marc. 9, 39. Luc. 11, 23. dominus noster ait: *Qui non est adversum nos, pro nobis est.*

Ceterum rogabit me quis iterum fortasse, quo tandem iudice dignoscemus, ecquid verum sit adeoque a spiritu sancto profectum? Dicimus **istius supremum atque certissimum iudicium esse penes unam solamque Ecclesiam Dei catholicam.** Nam sicuti nullus *homi-*
1. Cor. 2, 11. *num* (ut Apostolicis utar verbis) *novit ea quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo; sic et ea, quae sunt Dei, nemo novit, nisi spiritus Dei.* At Ecclesia tanquam corpus Christi mysticum eius quoque spiritu perpetuo vegetatur, movetur, regitur et eruditur, et spiritus Dei, cum aliis per quasdam quasi partes se communicat, Ecclesiae se totum infudit. Quocirca, sit, an non sit quippiam a spiritu Dei profectum ac solida veritate subnixum, optime
1. Tim. 3, 15. iudicat *Ecclesia Dei viventis,* (teste Apostolo) *columna et stabilimentum veritatis,* nempe quod in rebus ad humanam salutem necessariis iudicio suo ob iugem spiritus sancti praesentiam falli nequeat. Hinc dominus noster Iesus Christus Ecclesiam constituens
Matth. 18, 17. supremum inter suos tribunal, unde appellare non liceat: *Quod si* quis, inquit, *Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus et publicanus.* Ex quo efficitur, ut quisquis non admittit quicquam ab Ecclesia receptum et approbatum, idque eo pacto, quo recipit approbatque illud Ecclesia, Ethnici et publicani loco habendus sit. Porro Ecclesia Dei praedicta recipit approbatque omnia, vel expresse literis editis, vel tacite, usu ac observatione; hac lege tamen, ut hoc plus minusve auctoritatis unicuique tribuat, quo aut longius aut proprius a fonte omnis veri bonique, spiritu sancto, processerit. Nam sacros utriusque testamenti libros ita recepit approbavitque, uti credat horum scriptores, non universos modo, sed ne singulos quidem, non in summa tantum veritatis, sed in nullo plane, quod modo his in libris receptis habeatur, hallucinatos esse. Quibus et Apostolorum traditiones, et revelationes sanctorum quorumlibet [1] receptas adnumerare licebit. Conciliorum vero et Pontificum constitutiones atque decreta sic recipit et approbat, ut horum quoque auctores credat, quoties suae potestatis officio fungerentur, nunquam

[1] Assertio haec, quantum *ad revelationes sanctorum quorumlibet receptas* attinet, **exaggerata** est dicenda. Approbando tales revelationes Ecclesia nempe *non* edicit, *in nulla re* istos sanctos esse hallucinatos, sed solummodo testatur, *nihil fidei orthodoxae contrarium* in eorum revelationibus contineri.

errasse, idque non solum universos, sed (38) etiam singulos, et quidem non tantum a tota veritatis summa, sed ne in uno quidem fidei articulo, tametsi fortassis in aliis quibusdam minutioribus humani quiddam aut passi sint, aut certe pati potuerint. His probatas totius Ecclesiae consuetudines tanquam pari auctoritate connumerandas existimarim. At pias orthodoxorum patrum lucubrationes ita sub tectum admisit, ut quanquam eos, aut universos, aut etiam plerosque teneat (in his quae ad fidem attinent) in errorem labi non potuisse, tamen et singulos potuisse labi, et nonnullos quoque lapsos esse non quidem a tota veritatis summa, at in parte tantum, unde tamen postea vel resipuerint atque revocaverint, aut si non revocaverint, tamen abesset pertinacia, idque * alio quovis modo vel hic vel alibi expiarint. Ceterum anctores secularium quarumlibet literarum ita hospitio suo dignatur, quatenus vera quaedam sibi conducibilia subinde adferunt, quamvis non singulos modo, verum etiam universos a tota veritatis summa exorbitasse non ignoret. Quibus humanae ratiocinationes associari poterunt; his enim illae constant. Nam istis quoque sic verum colligimus, ut interim tamen nobis relicti ac confisi per eas a tota veritatis summa, a tota fide Catholica, id quod nonnullis obvenit, abduci possimus. Quapropter una canonica utriusque testamenti scriptura in auctoritatis arce posita et **solius Ecclesiae iudicio subiecta** [1], ad hanc alia discuti, examinari et censeri debent omnia, hactenus pro veris acceptanda, quatenus ei non refragantur; hactenus contra pro falsis abiicienda, quatenus eidem contradicunt, idque in rebus ad religionem nostram pertinentibus. Quibus e cunctis efficitur, ut quisquis aliquid horum omnium ab Ecclesia licet dispari lege receptorum in totum contempserit, iuxta Christi praescriptum velut Ethnicus et publicanus Matth. 18, 17.

* « idque » deest.

---

[1] *Mon.* M 7: Hic nobis ab Ecclesiae auctoritate pendendum atque ad hanc ceu ad sacram ancoram confugiendum; ab hac omnia et quae ad fidem, et quae ad formandos mores, *et quae ad scripturae germanum sensum attinent*, suppeditanda. Quin *etiam et huius auctoritate* **et scripturis** *suum robur accessit*, si Augustino credimus. Non quo haec ea, quae nunquam vero fuere consona efficiat, ut porro incipiant esse vera: quandoquidem omne verum a Deo, et omnis scriptura divinitus inspirata per spiritum sanctum mortalibus contigit, sed quo declaret suis filiis, quas amplecti debeant doctrinas, quasve vitare, quod sit *Evangelion Matthaei*, quod Nicodemi. Id quod antea paucis, sed tamen sufficientibus egimus (supra c. 4. K).

haberi debeat, tanquam eadem opera Ecclesiam Dei contemnens. Atque hoc omne, quod sub Christiana et Evangelica doctrina contineri diximus, verbum Dei non incommode appellari potest. Non enim verbum Dei solum haberi debet hoc verbum Dei sacris literis exaratum, quem (39) in modum utriusque testamenti pagina verbum Dei per excellentiam appellatur; verum etiam omne, quod est quibuscunque divinitus inspiratum, sit, an non sit literis demandatum, verbum Dei inspiratum sano quodam intellectu nuncupari poterit. Huiusmodi autem esse omnia, quae dicta sunt, de singulis, ni fallor, sat superque commonstravimus.

Epilogus. Intelligitis ergo vel tandem vos, Evangelici scilicet concionatores, quam tota (ut aiunt) via exorbitetis ab Evangelii scopo, confundentes indiscriminatim scripturam, verbum Dei, et Evangelium, quae tanto (uti iam ostendimus) intervallo distant. Nam scriptura quidem intra bibliorum fines coërcetur, at verbum Dei his neutiquam angustiis arctari volens, multo se latius atque longius porrigit. Evangelium vero pro germana veraque ratione sua, neque scriptura est, neque omnino verbum Dei, nisi forte quod Evangelium (ubi pro nuntio seu legato ipso, nempe Iesu Christo vox sumitur) verbum Dei incarnatum est, quem in modum, si quid Origeni creditur, nomen in Romanis usurpatur ab Apostolo cum ait:
Rom. 1, 16. *Non me pudet Evangelii, potentia siquidem est Dei ad salutem*
1. Cor. 1, 24. *omni credenti. Christus* enim *Dei potentia ac Dei sapientia* est. Porro Christiana seu Evangelica doctrina nequaquam ad sacra tantum biblia constringitur, at verbo Dei tam inspirato quam exarato reciproca et aequalis, praeter canonicam utriusque testamenti scripturam alia (uti a nobis ostensum est) permulta complectitur, nempe traditiones Apostolorum, conciliorum decreta, sanctiones Pontificum, Ecclesiae consuetudines, revelationes Sanctorum, doctorum lucubrationes, seculares literas et humanas denique ratiocinationes.

Ubi nunc illud, canonicam utriusque testamenti scripturam unicam esse fidei nostrae ceu amussim et regulam? Nam haudquaquam scriptura fidem nostram exaequat, ut in omnibus vice regulae adhiberi possit; plura enim sunt, quae Christiana pietas credere iubet, de quibus nihil scriptura praescribit, maxime si quis, id quod vos agitis, scripturam non tam pro sensu, quam pro litera sumat. Est enim angusta quidem verbis, (40) at sensibus immensa. Ubi nunc illud, nihil praeter sacra bibliorum eloquia recipiendum? Nam ut addamus paucula iis, quibus istud abunde con-

Confirmatio eius quod multa praeter scripturam recipienda.

futavimus, ostendentes Evangelico viro longe plura recipi oportere, ac doctrinam Christianam et Evangelicam multo patere latius, quam ut his angustiis includatur: quo semel ista opinio stirpitus evellatur — nonne libri complures, quorum sub veteri testamento fuit usus, nunc interiere, quorum in his etiamnum extantibus interdum fit mentio, ut est liber bellorum, liber iustorum et alii nescio qui, quorum nunc memoria non suppetit, ut mirum non sit, quaedam ab Evangelistis nonnunquam et Apostolis citari, quae nunc in canone veteris testamenti nusquam inveniuntur. Nonne consimilem ad modum aliquot epistolae Apostolorum sub novo testamento interiisse videntur, ut epistola ad Laodicenses, et adhuc ad Corinthios una, quarum utriusque Paulum meminisse apparet. Quamobrem cum canonicae scripturae libri vel negligentia vel malitia hominum aut interire aut exstingui possint, fides nostra, quae iuxta Christi doctrinam et promissionem occumbere nequit [1], nullo pacto illis est alligata. Sed et inter ea, quae etiamnum scripta tenemus, numquid omnia Christi tum dicta tum facta literis mandata sunt? Quoties in Evangelii decursu passim legimus, docuisse, praedicasse ac fecisse multa Christum, quorum tamen inibi nihil expresse describitur, id quod beatus Ioannes, Evangelistarum alioqui tempore postremus, sub Evangelii sui calcem aperte contestans: *Multa quidem*, inquit, *et* Io. 20, 30.
*alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc*. Et iterum: *Sunt*, inquit, *et alia* Io. 21, 25.
*multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scriberentur libros*. Quid, quod dominus noster, teste Luca, post gloriosam resurrectionem

---

[1] *Ench.* E: Constat... multos *interiisse libros*, qui in bibliis citantur, quorum tamen nec vestigium apud nos habetur. Quorum e numero sunt illi, de quibus in Numeris dicitur (Num. 21.): Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhaeos. Unde dicitur in *libro bellorum* domini: Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Et in Iosue (10): Steteruntque sol et luna in medio, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in *libris iustorum?* Eo pertinet et illud in libro Regum (II. 1, 18): Et praecepit, ut docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in *libro iustorum*. Deinde in hunc album referri possunt et *carmina Salomonis* et disputationes eius *de natura lignorum, herbarum, iumentorum, volucrum, reptilium et piscium*, item *liber verborum dierum, libri Nathan prophetae et Achiae Solinitis, visio Abdo videntis* contra Hieroboam filium Nabath, et plerique alii, qui scripti quidem leguntur, sed hodie apud nos non constant, neque certum quid de iis compertum habemus, quod omnium calculis probetur.

Act. 1, 3. suam *seipsum praebuit* discipulis suis *vivum in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis et de regno Dei loquens?* Ecce locutum quidem audivimus dominum, idque spatio quadraginta dierum, at quid sit locutus, non item audimus. Non desunt qui asserant, id quod mihi quoque fit (41) consentaneum, omnes eos dies Christum disseruisse cum Apostolis de moderanda salubriter Ecclesia, quam regnum Dei saepenumero appellitare solet. At nihil eorum omnium literis traditum habemus. Eodem quoque pacto, iam ante ostendimus, cum de traditionibus Apostolicis verba fierent, Apostolorum vel dicta vel facta vix minima ex parte literis esse prodita [1]. Quoties in Actorum historia legitur, cum alios, tum maxime Paulum subinde, nunc ad populum, nunc ad fratres, nunc ad synagogas diversis in locis habuisse conciones, easque longissimas, at quidnam continuerunt non explicatur etc. Quot sunt hodie ritus et dogmata Ecclesiae vel a vobis quoque recepta atque probata, quae tamen in canonicae scripturae libris nusquam certe verbotenus expressa comperiuntur. Possem hoc adductis compluribus exemplis ostendere, nisi iam plus nimio (vereor) longus fuissem, tametsi nunquam nimis, quod nunquam satis dicitur. Taceo, cum sacramentorum Dei cognitio et fides nostra divinis eloquiis contenta per temporum intervalla paulatim adoleverit et explicata fuerit, ne hodie quidem omnem forte theologicam veritatem in sacris literis comprehensam Ecclesiae revelatam esse, at suo tempore a spiritu sancto revelandam et explicandam.

Inconsistens dogma, nil praeter scripturam esse recipiendum.

Ceterum quem in finem adeo multis me fatigo in eo praesertim confutando, quod velut ἀσύστατον, id est, inconsistens secumque pugnans [2] ipsum se conficit atque iugulat, idque multis nominibus. Primoque scriptura canonica id nominis habet a canone per Ecclesiae auctoritatem recepto atque probato; qui ergo dicit se solam canonicam admittere scripturam, dum vult Ecclesiam contemnere, nescius et invitus (tanta quippe veritatis est virtus) eam audire compellitur [3]. — Deinde quod ex universis bibliis nemo probaverit

---

[1] *Not.* R 5ᵇ: In confesso est, Apostolos multo plura... docuisse atque etiam ordinasse, *quam canonicis contineatur libris.*

[2] *Mon.* 1ᵇ: Arcesilaus, ignorantiae magister, introducit genus philosophiae ἀσύστατον, i. e. instabile et inconstans.

[3] *Not.* S 3ᵇ: Verba Christi stant firmiter pro Ecclesia nostra: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus. Non inquit: Si Petrum, si Paulum, si Thomam — quanquam et ii audiendi, modo assentiat annuatque Eccle-

unquam, hanc utriusque testamenti scripturam esse canonicam; igitur qui nihil recipiendum praeter canonicam scripturam asserit, cum solam scripturam vult recipere, non consistente mendacio totam eam reiicit. — Ad haec, quod nusquam hoc in canonica scriptura expressum inveniatur, praeter unam canonicae scripturae literam recipiendum esse nihil. — Postremo quod, si quis id ullo modo illic haberi contendat, (42) nonne protinus istud vestrum dogma semel universam istius vestrae factionis machinam, nempe libros et conciones subruit, evertit atque pessundat, quando nusquam in ullo scripturarum canone inveniantur, nisi forte vestra ista Ecclesia, id est Satanica Synagoga, proprium nescio quem habeat canonem.

Ite nunc, et sicut olim Iudaei teste Hieremia hypocrisin suam sub templi nomine abscondebant, populi auribus perpetuo inculcantes: *Templum domini, templum domini, templum domini;* ita vos istam simulationem astutiamque vestram, quando populum Dei tam perdite seducitis sub Evangelii voce tegentes, assidue plebi occinite: Verbum Dei [1], verbum Dei, verbum Dei; scriptura, scriptura, scriptura; Evangelium, Evangelium, Evangelium. Nos contra, ut etiam ilia vobis rumpantur [2] invidia, clamare possumus, neque desinemus unquam: Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia; concilium, concilium, concilium; patres, patres, patres: malentes cum his errare, si erraverint, quam vobiscum bene sentire. Verum etsi omnibus quidem hisce praesidiis, nempe non modo canonicis utriusque testamenti scripturis, scilicet et traditionibus Apostolicis, Ecclesiae consuetudinibus, sanctionibus conciliorum, Pontificum decretis, revelationibus

**Hier. 7, 4.**

**Haec attente legantur.**

---

sia — non audierit, sed: si Ecclesiam. Quasi haec praeferenda sit omnibus in universum scriptoribus, etiam Mosi, etiam Matthaeo, etiam Evangelistis omnibus: *Nam unde hos in canonem sacrorum scriptorum relatos dignoscimus? Certe Ecclesiae sacrosancta et infracta auctoritate.*

[1] *Mon.* L 3 b : At, inquies, ad hanc Ecclesiam confugiendum, quae verbo Dei nititur. *Bona verba.* Ecquae enim non dicit: Huc adeste, quicunque salutem indipisci contenditis, hic Christus est, *hic verbum domini,* hic veritas. Et quod olim populus Iudaeorum *templum domini, templum domini, templum domini,* hoc ipsum obstrepit quaelibet harum de *verbo domini* incontaminato: cum tamen interim praeter corticem et occidentem literam nihil habeat, quod ad germanum domini verbum pertineat. *Not.* R 2 b : Audent... obstrepere idipsum quod Iudaei olim: *Templum domini, templum domini, templum domini* hic.

[2] Eodem tropo utitur in *Monade* B 3 b: Nullum puto te offensurum apud Augustinianos, Carthusianos et reliquos, etiamsi *rumpantur ilia,* qui non omnem fiduciam reiiciat in Christum.

sanctorum, doctorum commentariis, secularibus literis et humanis denique ratiocinationibus, utpote ad Christianam Evangelicamque doctrinam pertinentibus, nobis adversum vos in disserendo iure uti ac dimicare licet, tamen in praesentia, ut hactenus, ita deinceps fere a bibliis tantum auxiliares copias in pugnam evocabimus, nisi quando forte res ipsa secus obiter postulaverit, ne scilicet nos frustra torqueamus apud eos, qui praeterea recipiunt nihil; maxime vero quoniam, ut initio quoque diximus, hac velitatione nostra quasi praeludentes ad maius aliquod certamen [1], praecipue generalem quandam totius vestrae factionis confutationem [2] instituimus. Proinde longiores in oppugnando titulo, utpote duos errores continente, quemadmodum ante dictum est, universae factionis vestrae fundamenta, at circa singulos articulos breviores futuri sumus * — quippe de quorum unoquoque, si pro dignitate suo tractaretur, iustum volumen scribi posset —, donec videamus a vobis quicquam magis responsione dignum, quam hucusque obtuleritis; simulque inclementia (**43**) hiberni frigoris sub hoc aquilonari coelo propediem imminentis, quod iamiam praesentiscit imbecille corpusculum meum, ad hypocausta me germanica revocat et invitat.

## Epilogus.

Tantum igitur abest (quo tandem huic primo congressui finem imponamus), ut sitis Evangelici concionatores, ut non modo non habeatis Evangelium ipsum, utpote germana veraque eius intelligentia vacui, quemadmodum superius (opinor) valide iuxta ac dilucide ostensum est, verum etiam ne nominis quidem ipsius vim atque proprietatem intelligatis, utpote mortificantem literam pro spiritu vivificante in Evangelio amplectentes, quemadmodum proxime

* « sumus » deest.

---

[1] Illud « **maius aliquod certamen** » in *Introductione* § 3. ad n. 13, i. e. pp. 10 et 13. descripsimus.

[2] Ex hoc loco **titulus** *toti huic operi inscribendus*, qui in fronte Manuscripti frustra quaeritur, videtur posse erui, sc. « **Generalis quaedam totius Lutheranae factionis in Dania confutatio** ». Cui tamen, utpote neque certo, et longiori, imo et odiosiori, brevior et moderatior a nobis substitutus est is, quem iam saepe vidit benevolus lector, videlicet: « **Confutatio Lutheranismi Danici** ».

iam (ni fallor) non minore tum luce, tum efficacia, candidi lectoris indicio docuimus. Non igitur vos Evangelicos concionatores appellare debebatis, cum nihil minus sitis, at potius, quemadmodum in supplicatione vestra ad regiam Maiestatem, concionatores regios.

En tibi, pie lector, quantam dicendi materiem duo tantum tituli propositi verba nobis suppeditarunt, et plus in recessu venenati aculei habentia (uti diximus), quam fronte prae se ferre videbantur, nempe totidem bases universae haeresos includentia. Quid futurum, si pari studio expenderemus ac tractaremus omnia? Verum prolixitati nostrae veniam precantes, si quid hanc in partem a me peccatum sit, qua tamen opera dedita usi sumus ad subruenda totius sectae fundamenta, id quod et tuo iudicio factum existimo; posthac in utroque congressu sequente breviores esse decrevimus.

# SECUNDUS CONGRESSUS.

(44) Nunc ordo nobis ab initio praescriptus exigit, pie lector, uti secundum adornemus congressum, in quo iuxta institutum et pollicitationem nostram, priusquam ad singulos progrediamur articulos, interim adversariis paulisper dimissis, universam istam novorum dogmatum seculi nostri farraginem in commune pravam, infidelem et haereticam esse, ceu per transennam tibi ostendemus, idque paucis quibusdam axiomatis eam ad rem quasi in aciem instructis, cum brevi cuiusque approbatione in transitu subiecta. Quod ipsum etsi bona ex parte iam in primo quoque congressu vel tua (ni fallor) opinione factum est, tamen idem hoc loco tam succincte ac nihilo secius tam dilucide praestabimus, bene iuvante Christo, cuius agitur negotium, ut haud sciam, num (quod ad generalem attinet disputationem) quicquam praeterea requiras. Agite igitur, prodeant in medium axiomata, et quid virium adferant, eventum congressus expectantes diligenter intueamur.

*Primum.*

Quemadmodum unus est omnium Deus (Deut. 6. Rom. 3. 1. Cor. 8. Gal. 3. Eph. 4. — 1. Tim. 2.) [1], ita unus est magister ac dominus noster Iesus Christus (Matth. 23. Eph. 4. — 1. Tim. 2. — 1. Cor. 1.), unum est Evangelium (Gal. 1.), una fides (Eph. 4.), una Ecclesia (Cant. 6. et Io. 10.), uno spiritu Dei recta (1. Cor. 12.), utpote sponsa Christi (Cant. 4. et 6.), et corpus eiusdem mysticum (Rom. 12. — 1. Cor. 12. Eph. 4. et 5. et Col. 1. etc.), in lege quidem

[1] Unci ( ), quibus citatos scripturae libros inclusimus, in aprographo desunt.

naturae adumbrata per unam Noë arcam (1. Pet. 3.), in lege scripta vero per unam Iudaeorum synagogam praesignificata (1. Cor. 10.), et in lege demum gratiae per unam inconsutilem domini tunicam accepta (Io. 19.). Huc quoque valent Evangelicae parabolae regni coelorum, quo Ecclesia intelligitur (Matth. 13.).

*Secundum.*

Hinc una solaque haec Ecclesia Dei Catholica et universalis fidelium congregatio unum idemque credens ita per omnia verax est, ut in iis, quae ad fidem attinent, humanaeque saluti sunt necessaria, haudquaquam hallucinari (45) possit (Matth. 16. Luc. 22. — 1. Tim. 3.), idque tum ob perpetuam Dei patris conservationem ex commendatione filii (Io. 17.), utique pro sua reverentia exauditi (Io. 11. et Hebr. 5.), tum ob perennem Christi filii Dei praesentiam (Matth. 18.), tum ob iugem Dei spiritus sancti magisterium (Io. 14. et 16.). Nam uti dictum est proxime, sponsa Christi est et corpus eiusdem mysticum et spiritu ipsius perpetuo directa.

*Tertium.*

Quocirca, neque Deus, neque Christus, neque spiritus, neque Evangelium, neque fides extra communem huius Ecclesiae sensum recte ac vere credi, intelligi, doceri et omnino haberi potest. Siquidem, uti proxime dicebatur, haec sola verax est, in hoc spiritum Dei sortita, qui solus novit quae Dei sunt (1. Cor. 2.), ut Ecclesiam doceret omnia et explicaret, quaecunque Christus dixerat, et in omnem denique veritatem sensim adduceret (Io. 14 et 16.).

*Quartum.*

Proinde nec extra huius Ecclesiae septa humanae saluti locus est reliquus, quandoquidem absque recta veraque Dei, Christi, spiritus, Evangelii et fidei professione, quam apud unam modo diximus Ecclesiam esse, neminem servari constat (Marc. 16. Act. 4. Hebr. 11.). Id autem in arca Noë fuit adumbratum (1. Pet. 3.).

*Quintum.*

Ex quibus efficitur, ut quotquot mortalium foris vivunt, id est extra huius Ecclesiae unitatem, nempe non per omnia similiter atque Catholici credentes et sentientes, toto (ut aiunt) coelo a salutis scopo aberrent, filii gehennae ac perditionis, nec filii Dei, sed Belial,

nec Christiani, nec spiritum Dei habentes, nec Evangelici, nec fideles, nec Ecclesiae filii vere censendi. Quis hoc ex antecedentibus ultro sequi non videt? quod nulli ad salutem patet aditus extra Ecclesiam, in qua sola Deus, Christus, spiritus et Evangelium et fides recte ac vere habetur, quemadmodum iam dictum est.

*Sextum.*

Porro omnes huiuscemodi mortales, tanquam oves extra unius Ecclesiae septa balantes, in quinque greges distribuuntur. In *primo* I.
sunt Ethnici, hoc est gentiles, qui nullo modo Christum ut Dei et hominis mediatorem agnoscunt nec venisse nec (46) venturum. — In *secundo* Iudaei, qui negant Christum venisse quidem, attamen ven- II.
turum adhuc credunt. — In *tertio* sunt apostatae, id est, desertores III.
fidei, qui Christum venisse quidem aliquando recte crediderunt, at postea Christum abnegantes totam prorsus fidem deserunt, ut olim Porphyrius, Iulianus etc. — In *quarto* sunt haeretici, qui etiamnum IV.
credunt venisse Christum, eique tam firmiter atque constanter in speciem adhaerent, ut pro Christi nomine vel corpora sua igni tradere parati videantur. Verum novas et falsas in doctrina Christi opiniones a communi Ecclesiae sensu alienas vel gignentes vel sequentes, dum membra corporis esse desinunt, Christum Ecclesiae caput non tenent. Haereticus enim est (definitore Augustino in libro de utilitate credendi), qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriae principatusque sui gratia novas ac falsas opiniones vel gignit vel sequitur[1]. — In *quinto* sunt denique schismatici, qui Christum ve- V.
nisse credentes, neque doctrinam ipsius quatenus huiusmodi vitiantes, tamen ab unitate capitis Ecclesiae, cui non obediunt, se per rebellionem dividunt atque separant. Verum perraro sunt schismatici, qui iidem haeretici non sunt. Nam schisma fere sequitur haeresis. Ad hunc prope modum has voces doctorum corona distinguere solet.

*Septimum.*

Quapropter haeretici omnes, quotquot unquam fuerunt, hodie sunt et erunt aliquando, etsi neque Deum, neque Christum, neque

---

[1] Eandem S. Augustini definitionem *haeretici* invenies in *Monade* c. 7. Q 3[b]. — Eodem capite 7° praeclare explicat, quae axiomatis 6° usque ad 17m asseruntur, ostenditque (Q 6 sq.), quos Lutherani habuerint « *progenitores* suorumque dogmatum auctores ».

spiritum, neque Evangelium, neque fidem, neque Ecclesiam habent, ipsi tamen vel maxime videri et haberi volunt filii Dei, Christiani, spiritu afflati, Evangelici, fideles et Ecclesiae filii, imo ceteris omnibus exclusis sibi solis haec ascribunt omnia. Totum hoc ex proxime dictis liquet; non enim habent ea, quoniam extra Ecclesiae sunt unitatem. At habentes videri cupiunt, quoniam hoc a ceteris istiusmodi hominum generibus distant.

*Octavum.*

At vero potestas sive auctoritas iudicandi ac condemnandi vel haeresim vel haereticum est penes Ecclesiam, sive concilium, sive proceres Ecclesiasticos. De Ecclesia quidem liquet e Matth. 18. et Act. 15. — 1. Tim. 3; de proceribus vero Ecclesiasticis Deut. 17. Matth. 16. — 1. Tim. 1. (47) Nam si penes Ecclesiam sit eiusque proceres, approbare doctrinam Evangelicam, cur non itidem condemnare haereticam? Sed hoc ipsum publicus Ecclesiae usus approbat, quo non habemus ab initio Ecclesiae in haec usque tempora haereticos, nisi quos tales Ecclesia iudicavit atque condemnavit.

*Nonum.*

.Ex his tandem omnibus illud, quo dicta spectant omnia, vel sole (si quid iudico) lucidius consequitur, nempe omnes istius novatae religionis ac doctrinae assectatores hac tempestate nostra, quanquam plenis (ut aiunt) buccis Deum, Christum, spiritum, Evangelium et fidem semper et ubique crepant [1], Ecclesiamque sibi solis asserunt, tamen neque Dei filios esse, neque Christianos, neque spiritum Dei habentes, neque Evangelicos, neque fideles, neque legitimos Ecclesiae filios, sed [2] filios Belial, sed pseudochristianos, sed maligno spiritu plenos, sed * cacangelicos, sed infideles, sed spurios et nothos, atque in summa, si qui unquam alii omnibus retroactis seculis, vel maxime haereticos esse. Hoc autem e prae-

* Hoc loco deest « sed ».

---

[1] Cf. 27. 84. pp. (82. 163) et *Monadem* D 6[b]: *Plenis* mox *buccis concrepant* libertatem. F 4[b]: Audet concrepantibus *buccis* dicere. P 8[b]: Concrepantibus *buccis* iactant.

[2] Amat auctor tales repetitiones, quae saepe occurrunt, tum in hoc opere, tum in aliis scriptis, ut v. g. *Ench.* A 3: Hi quanquam Evangelii sub praetextu multa moliantur, non tamen Christum, *sed* Baltassarem, *sed* Antiochum, *sed* Herodem, *sed* Neronem ceterosque eiusmodi faecis tyrannos rebus factisque spirant.

cedentibus axiomatis ita deducitur, luculentissime iuxta ac validissime:

*Decimum.*

Principio unitatis non servant vinculum; aliter enim Deum, Christum, spiritum, Evangelium et fidem praedicant, quam hactenus fere a mille quingentis annis eadem docuit una Ecclesia Dei catholica. Porro neminem eo furoris progressum opinor, ut cogitare ausit, nedum efferre, Deum, Christum, spiritum, Evangelium, fidem et Ecclesiam in orbe non fuisse ante haec tempora.

*Undecimum.*

Deinde (quod consequens est) et veritate ipsa tanquam unitatis comite destituti sunt, tum quod veritas est una atque indivisa, quae fuit utique ante istam religionis novationem *in domo Dei, quae est Ecclesia, columna et firmamentum veritatis* (1. Tim. 3.), tum quod istius sectae duces et comites, magistri et discipuli multis in rebus pugnant inter sese atque dissentiunt; tum denique, quod iidem non perpetuo sibi constant, subinde novantes et ritus et dogmata, quin vel innumeris antilogiis sese conficiunt atque iugulant, idque non solis divisis in libris et concionibus, verum etiam in eodem saepe libro et (48) concione, id quod facile cordatus et lector et auditor observat. Quid, quod alioqui Ecclesia Christi sponsa et corpus in haec usque tempora errasset, imo spiritus sanctus ipse, Ecclesiae magister, dux et gubernator, contra Christi et promissionem (Matth. 16.) et orationem (Luc. 22.) et utrumque simul, una cum Ecclesiae commendatione patri facta in ultimo sermone post coenam extremam.

*Duodecimum.*

Proinde quod hinc proxime sequitur, nec Deum, nec Christum, nec spiritum Dei, nec Evangelium, nec fidem, nec Ecclesiam habent. Nam tantumdem est, ea non habere prorsus, et non vere, quemadmodum oportet, habere, quoniam hoc illo deterius et execrabilius (2. Pet. 2.). At istos veritate destitutos esse ostendimus.

*Decimum tertium.*

Quapropter (id quod superiori proximum est) extra salutis viam aberrant. Sine his enim nulli contingere salutem in confesso

est, nisi forte quis ausit dicere, nunc demum orbi haec illuxisse omnia, maioresque nostros ante hanc religionis novationem ad unum interiisse, ac frustra praeteriisse per tot annorum centenarios, pro tot hominum myriadibus, summum illud et adorandum incarnationis dominicae sacramentum, quod non sani homines, non sanus iuret Orestes.

*Decimum quartum.*

Ex quibus uti tanquam foris agentes, hoc est, extra Ecclesiae veritatem a salutis meta tota (ut aiunt) via exorbitant, filii gehennae et perditionis, non filii Dei, at Belial; non christiani, at pseudochristiani; non Dei, at Satanae; non fideles, at perfidi; non denique legitimi Ecclesiae filii, at spurii, degeneres. Quis id e praecedentibus ultro sequi non cernat?

*Decimum quintum.*

At vero esse, dici, et haberi nolunt vel Ethnici vel Iudaei vel apostatae fidei. Reliquum est igitur, velint nolint, ut haeretici sint ac schismatici, quamlibet etiam nihil praeter Deum, Christum, spiritum, Evangelium et fidem ubique crepent, Ecclesiamque apud se solos esse contendant. Illud ex enumeratione partium liquet in sexto axiomate, hoc vero in septimo * commune dictum est haereticis omnibus.

*Decimum sextum.*

Postremo pro haereticis diiudicati atque condemnati sunt, (49) idque non solum auctoritate procerum Ecclesiasticorum nostrae aetatis, sub quibus ista factio grassata est, sed illorum etiam, qui nos haud parum multis annorum circulis antecesserunt, et quidem non sine praesentia, consensu et approbatione imperatorum, regum, aliorumque principum secularium. Nam universa istius novae factionis doctrina non aliud est, quam faex quaedam et colluvies veterum, obsoletarum et iam diu damnatarum haeresium, cum aliarum complurium, tum maxime Valdensium, Viclevicorum et Hussianorum, quas iam pridem in Lethaeum flumen demersas et ab omni hominum memoria semotas hodiernae factionis antesignanus, cum cuperet novus auctor haberi, audacia pro sapientia utens, in lucem revocavit, atque indoctae plebi semper novarum cupidae, pro novis dogmatis proposuit. Idem namque error est a Donatianis pri-

* octavo.

mum in Africa ortus, quem postea Valdenses (qui et pauperes de Lugduno vocitabantur) in Gallia renovarunt, deinde Ioannes Viclevus in Anglia, post hunc Ioannes Hussius in Bohemia, et nunc demum Martinus Lutherus in Germania terrisque conterminis, hoc solo aliis omnibus superior, quod non contentus, unius alteriusve veteris haeresiarchae resuscitasse nefaria dogmata, ex omnibus pene haereticis nonnihil consarcinavit, at illo * tamen omnes supergressus, quod negat missam esse sacrificium [1], id quod nemo ante ipsum fecisse comperitur, quemadmodum in tertio iam congressu iuxta singulos articulos nominatim indicabimus.

*Decimum septimum.*

Igitur aut nulli habendi sunt haeretici, aut sane isti vel maxime. Nam qua ceteri, eadem isti condemnati sunt auctoritate, non solum unius aut alterius haeresiarchae veteris contenti revocasse prava dogmata, sed ex omnibus propemodum aliquid suffurati, quemadmodum proxime dictum est.

## Epilogus.

Nihil addubito, pie lector, quin vel tua quoque sententia iam abunde praestitum sit, quod mox in exordio huius secundi congressus pollicebamur. At pertinacibus, obstinatis et reprobis satisfieri potest nunquam, quippe quos excaecaverit malitia eorum, ut Esa. 6, 10.
videntes non (50) videant et audientes non audiant, et intelligentes non intelligant; *nemo* enim *potest corrigere, quem Deus despexit.* Eccle. 7, 14.
Verumtamen quoniam utriusque congressus iam facti tota vis, efficacia et postrema resolutio tanquam in cardine pendet ab Ecclesia, utpote fidei ac religionis nostrae sacra (quod aiunt) ancora, illud unum adhuc restat ostendendum, ubi tandem et apud quos germana veraque sit Ecclesia Dei viventis: num apud hostes nostros?

* ille.

[1] *Ass.* 290: Nihil novi nihilque certae eruditionis in medium proferunt Lutherani, sed quae olim multis in conciliis damnata sunt, in dubium revocant, renovant, repetunt, nisi quod se impudentius adversus luge sacrificium erigant, ut interim suas abominationes statuant. *Ass.* 291: Cetera enim, quae inculcant, fere omnia in sacrosancto Constantiensi concilio sunt damnata adversus Vvicklefum, Huss et Vvaldenses, Ruthenos et aliorum haereticorum pestes.

an potius apud nostros maiores nosque ipsorum successores? Quo sane ostenso nihil plane superest, quod ad universam novatae religionis ac doctrinae farraginem confutandam pro generali disputatiuncula iure desiderari queat. Hoc autem etsi magna ex parte iam in utroque congressu superiore factum est, tamen mox nunc in fronte tertii congressus, quando primus articulus sit de Ecclesia, nonnihil hic accommodatum praedictis adiiciemus.

# TERTIUS CONGRESSUS.

Ut revertamur nunc ad vos (Evangelici scilicet concionatores), iuxta ordinem nobis ab exordio praefixum responsiones vestras ad articulos per nos vobis obiectos quam strictissime confutaturi, utpote non tam astructuri nostra, quam vestra destructuri, si qua forte responsu digna in medium afferatis; id simul atque responsa vestra per transcursum a nobis lecta forent, animadvertimus, quod, etsi pro vestro more perpetuo (quo aliud publice facitis inter vestros pro concione deblaterantes, aliud privatim dicitis apud praesides in iudicium tracti, hoc est, ut plane dicam, semper mentimini, et tanquam patris mendaciorum filii, veritate destituti, mendaciis agitis omnia) vestrae responsiones istae multo sunt moderatiores, quam quotidianae vestrae ad plebem conciones — id quod scandala et offendicula inde secuta facile ostendunt —, tamen nihilominus istiusmodi sunt, ut ad vos de haeresi convincendos sub iusto iudice nihil praeterea desiderari queat. Neque mirum. Sicut enim is, qui viam ingressus, si mox in principio aberrare coeperit, quo magis progreditur, hoc a destinato itineris sui scopo aberrat longius, ita et vos in primo statim articulo (51) de Ecclesia, quae tanquam *columna et firmamentum veritatis* totius fidei et religionis nostrae basis est atque principium, quam turpissime hallucinantes, in sequentibus item articulis tota (ut aiunt) via aberretis oportet. Nam ut auctoritas Ecclesiae fideliter credita basis atque fundamentum est universae pietatis nostrae et fons omnium fidei nostrae articulorum, sic ex adverso lapsus et error circa Ecclesiam origo et oceanus quidam est errorum haeresiumque omnium. Sed, ut, quod asserimus, perspicuum evadat, agite, primus articulus de Ecclesia proponatur in medium.

1. Tim. 3, 15.

## ARTICULUS PRIMUS.

Ecclesiam hactenus errasse mille trecentis quadringentisve annis, hoc est, fere a temporibus Apostolorum.

### Responsio.

Ad hunc articulum sic respondemus, sanctam illam Ecclesiam (quae fundata est super Christum, verum suae Ecclesiae fundamenti lapidem) edoctam atque illustratam sincera fide ac spiritus sancti gratia donatam, a quo regitur et conservatur in omnibus viis, neutiquam errare posse, sicuti testatur Christus Matth. 16. Verum illa Ecclesia, cuius vos estis (quae solum in externis ceremoniis, hypocrisi atque simulata carnis sanctimonia versatur), nunquam non errat (Esa. 28. et 58. Hier. 2. et 1. Cor. 2.). Verum in hoc loco mirandum in modum notamini inconstantiae, qui in hoc articulo prius lingua vernacula exarato calumniabamini, nos docuisse populum, sanctam Ecclesiam tot annos errasse. Ubi hoc a nobis evincere desperabatis (cum id tum scriptis tum publicis concionibus valide refellimus, et nos falso accusari probavimus), illico mutata sententia accusatis in eodem articulo per vos latinitate donato, docuisse nos simpliciter, Ecclesiam errasse tanto tempore, expuncto vocabulo « Sancti ». Quaeso te, Christiane lector, quibus vinculis Proteos istos, subinde vultum immutantes, astrictos teneamus.

### Confutatio.

Papae, quid hic audio monstri [1], nempe Christum digamum, Cant. 4. et 6. imo bicorporem. Quid ita? Nonne iuxta Salomonis Epithalamium, Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4. Ecclesia Christi sponsa est, et iuxta doctrinam Apostoli corpus mysticum eiusdem, quemadmodum in primo secundi congressus axiomate [2] dicebatur? At duas hic audio Ecclesias, vestram et nostram. At nostra, inquietis, Ecclesia corpus Christi est et sponsa eiusdem; (52) vestra autem potius illa meretrix est, quam prophetae Dei suis depinxerunt coloribus.

---

[1] *Mon.* G 6[a]: *Papae, quid monstri hoc est?*

[2] Cf. supra 79.

Bona verba, quaeso. — Primum id perquam lubenter a vobis audierim. Nonne illa Ecclesia, quae in sacris eloquiis Christi sponsa dicitur et corpus eiusdem (quorumcunque tandem sit et apud quoscunque), germana veraque Dei viventis Ecclesia censeri debet, quae ut dicitis, sancta sit, quae fundata sit super Christum, verum suae Ecclesiae fundamenti lapidem, quae edocta sit atque illustrata sincera fide, quae spiritus sancti gratia donata sit, a quo regitur et conservatur in omnibus viis, quae denique propterea neutiquam errare possit iuxta Christi testimonium Matth. 16. Profecto haud negabitis et dabitis mihi, certo scio, ipsissimam Ecclesiam esse hanc, quae sponsa Christi dicitur et corpus eiusdem, cui unice haec dicta competant omnia. Quocirca de ceteris fere omnibus inter nos convenit; at uno dissidemus, quorum sit, et apud quos ea Ecclesia inveniatur, num nostra sit, an vestra. Hoc igitur uno tantum excusso facile quod volumus assequemur. — Porro quanquam id ex utroque congressu superiore, integro (ni fallor) lectori satis innotuit, atque persuasum est, non posse apud vos esse veram Dei Ecclesiam, tamen quia hinc, ut diximus, omnia pendent, non gravabor hoc loco perquam breviter addere tres verae Ecclesiae notas, quibus [1] a notha, et illa meretrice adultera haud magno negotio internosci queat et a suis intelligi, a nobisne, an a vobis habeatur vera et legitima Dei viventis Ecclesia [2].

**Tres notae, quibus vera Dei Ecclesia dignoscitur.**

Principio haec **una** est, utpote sponsa Christi eiusque corpus mysticum, uti iam saepe repetitum est, ne Christum aut digamum aut bicorporem facere cogamur. At vestra Ecclesia nullo modo una est, uti semel atque iterum in utroque congressu praecedenti [3] indicavimus. Non est una cum maioribus orthodoxis, a quorum fide multipliciter et varie dissentitis. Non est una cum veteribus haereticis, cum quorum nullo per omnia consentitis. Non est una inter vos hodie viventes, in quibus tot adeo brevi sectae pullularunt, ut Lutherani, ut Carolstadiani, ut Oecolampadiani, ut Zwingliani * et 1.

* Zvingliani.

---

[1] Hactenus *initium* huius *articuli primi* impressum est in Doctoris *Engelstoft* commentatione iam saepius laudata (pp. 47-49); cui parti addita est (pp. 50-51) conclusio eiusdem articuli ut habetur infra 97: « Porro quod in calce... nos inconstantiae notatis... » usque ad « Quo teneam nodo mutantem Protea vultum ».

[2] Vide *Additamentum* secundum.

[3] Vide supra 48-50. 79. 80.

alia nescio quae, ut rerum, ita et nominum portenta. Denique non est una etiam cum unoquoque vestrum, qui in ista vestra Ecclesia tot quisque secum antilogiis ipse pugnat, idque non solum diversis in libris et concionibus, verum etiam (53) saepenumero in eisdem. — Contra vero nostra Ecclesia omnibus modis una est, semper sibi constans, nunquam non sui similis, nullas in partes secta, perpetuo (quacunque patet) idem sentiens, idem credens, idem confitens, idem docens, idque ex temporibus Apostolorum in haec usque secula; certe non absque manifestario spiritus indicio, qui gentes tanto locorum intervallo dissitas, per tot secula in unitate fidei et doctrinae concordia servarit.

Deinde legitima Dei Ecclesia est **catholica**, id est, universalis,
II. nempe per universum terrarum orbem sparsa atque diffusa, idque iuxta divinas promissiones ad patriarchas Abraham, Isaac * et Iacob de multiplicatione seminis eorum in Christo per omnes terras, iuxta sanctorum prophetarum oracula de vocatione gentium Iudaeorumque disiectione **, et de Ecclesia gentium ad orientem et occidentem, Africum et Aquilonem dilatandam ultra synagogam Iudaeorum unius Iudaeae angustiis clausam, iuxta Christi confirmationem de Centurione loquentis, et praeceptum eiusdem ad suos tum in Evangelio tum in actis iuxta principis Apostolorum Petri visionem; denique iuxta doctoris gentium Pauli executionem atque disputationem in Romanis maxime ac Galatis: loca scripturarum nulli non obvia sunt. — At vestra Ecclesia tam est in arctum contracta, tamque angustis circumsepta finibus, ut ne nomen quidem suum tueri possit, si quis eam catholicam dicere velit. Quippe quam ad solum Aquilonem coactam [1], videlicet intra Saxoniam locaque confinia, florentissimi christiani orbis populi, nempe Itali, Hispani et Galli ceu commentum Aquilonarium hominum et Barbarorum ebriosorum et corpore magis quam ingenio praestantium irrident, subsannant et indignum plane censent, de quo verba habeantur. Tametsi vel
3. Reg. 19, 18. omni loco, quo maxime vestra floret Ecclesia, *dominus reliquerat*
Rom. 11, 4. *sibi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal,* ut indubie vel hisce temporibus synagoga Iudaeorum numerosior sit quam vestra ista Ecclesia. Nostra e diverso Ecclesia tam late patet, quam vastus terrae ambitus porrigitur.

* Isaach. ** dicectione (sic!).

[1] *Mon.* L. 3: Adulterina in arctum *coacta*.

Postremo eadem Christi Ecclesia dicitur **Apostolica**, nimirum III.
aedificata *super fundamentum Apostolorum et prophetarum ipso* Eph. 2, 20.
*summo lapide angulari Iesu Christo.* Unde et murus civitatis
(54), id est, Ecclesiae in libro Apocalypseos describitur *habens fun-* Apoc. 21, 14.
*damenta duodecim et in ipsis duodecim nomina XII Apostolorum et agni.* Nam in Apostolorum praedicatione ac doctrina fundata, ex temporibus eorum perpetua successione et illibata observatione illorum, quae ab eis tradita sunt, ad haec usque tempora sine omni interruptione pervenit. Itaque si legitimi verae Ecclesiae Christi sitis filii, et non spurii ex notha et adultera meretrice procreati, ab Apostolis et non potius ab haereticis progeniti, date maiores vestros, date praecessores, date Episcopos, et Ecclesiae vestrae genealogiam continua serie usque ad Apostolos deducite, et quae orbi Christiano invehitis, exinde hactenus observata docete. Nos certe tanquam veram Ecclesiam Christi sponsam matrem habentes, nullo labore haec praestare valemus, scilicet ut ad Petrum, Christi vicarium, principem Apostolorum et primum a Christo totius Ecclesiae antistitem, Ecclesiae nostrae Pontifices ordine nunquam interrupto perducamus, et dogmatum nostrorum auctores in viros Apostolicos, Apostolosque referamus, atque omnem doctrinae nostrae summam inde profectam esse demonstremus. Quis ergo nunc haesitet longius, quin nostra sit vera illa Ecclesia Christi sponsa? e contrario autem vestra sit notha et illa meretrix prostituta, Synagoga Satanae et Ecclesia malignantium?

At illa Ecclesia, inquitis, cuius vos estis, quae solum in externis ceremoniis, hypocrisi atque simulata carnis sanctimonia versatur, nunquam non errat.

An non vos pudet, o viri spurii, natio prava et adultera atque progenies viperarum, Ecclesiam matrem nostram tam atrocibus mendaciis non traducere solum ac diffamare, verum etiam, quod in vobis est, omnino, si fieri posset, prorsus extinguere? Nonne quotannis Ecclesia nostra statis diebus filios suos hypocrisin et simulationem in externis operibus evitare docet? Nonne per anni circulum subinde repetit, inculcat et auribus nostris instillat, partim in Evangeliis, partim Epistolis vel dierum dominicorum vel feriarum divis consecratarum, omnia quae facimus externa opera, nisi de charitatis radice procedant, esse nihil? Quis non audivit illic aliquando verbum domini nostri Iesu Christi ad discipulos suos: *Amen* Matth. 5, 20.
*dico vobis, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum*

*et Pharisaeorum, non intrabitis* etc.? (55) Quis item non audivit
Luc. 12, 1. ibidem hoc eiusdem ad suos: *Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis?* Quis ibidem non audivit Apostolicum illud
1. Cor. 13, 1. charitatis encomium: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens?* et quae sequuntur eodem pertinentia. Quibus edocemur, non solum opera nostra omnia, sed etiam alia universa Dei charismata citra charitatem esse nihil. — Denique si non aperto mendacio hic matrem Ecclesiam calumniamini, defendite vos, excusate dictum, date vel ex omnibus unum, non modo priscis illis Ecclesiae nostrae doctoribus, verum etiam ex his quos contemptim sententiarios et scholasticos appellare soletis, alioqui neque visos unquam, neque lectos a vobis, nedum * intellectos, qui aliter scripserit, aliter docuerit, aut aliter praedicaverit. — Sed interim demus, ut Ecclesia nostra tota sit hypocritica, imo hypocrisis ipsa, si videbitur, atque simulatio, sit deinde omnium scelerum et flagitiorum genere operta, idque in membris omnibus; num propterea (id quod vos, vipereae proles, matri Ecclesiae impingitis) nunquam non errat? Quis, Deum immortalem [1], hoc dixerit unquam de Ethnicis aut de Iudaeis aut de haereticis aut de schismaticis aut de quibuslibet a Christi nomine alienissimis, quod semper et in omnibus erraverint, quando vel gentiles alioqui aut infideles a Christo remotissimi plurima recte ac vere scripta reliquerint, quemadmodum in primo congressu [2] ostendimus. Verum quis loca per vos huc adducta non risu potius exsibilet, quam responso dignetur — si tamen irridendi sitis ut stulti, ac non potius ut miseri deplorandi — utpote nihil minus quam ad institutum vestrum facientia? — Nam in primo, qui est Esa. 28, dominus carpit et obiurgat in veteribus illis Mosaicae legis sacerdotibus ebrietatem atque comitem huius ignorantiam; at quid hoc ad Ecclesiam nostram? Sed qui vester mos est perpetuus, omnia huiusmodi scripturae loca in antiquae legis sacerdotes, Scribas et Pharisaeos acerbe dicta,, in Ecclesiae

* Hic additum legitur « non ».

---

[1] Cf. *Not.* R 3[b]: Contra adultera haereticorum Ecclesia, ***Deum immortalem,*** quam semper est instabilis et varia... Et S 4[b]: Qui extra sunt corpus Christi, ***Deum immortalem,*** quam confundunt omnia... Idem occurrit in ***Monade*** A 4[b], K 2, P. — Et hoc in opere etiam pp. (71. 88. 112).

[2] Supra 68. 69.

nostrae sacerdotes atrociter torquere soletis, ad invidiam sacerdotibus (56) conflandam in plebe iam olim plus satis contra nos exacerbata, homines ad nihil aliud quam ad convicia nati. — In secundo autem, qui est Esa. 58, graviter invehitur dominus in hypocritica Iudaeorum ieiunia aliis operibus bonis maxime charitatis destituta. At quid hoc ad Ecclesiam nostram? Nonne quotannis Ecclesia nostra in capite ieiunii eadem damnat? docetque filios suos veram ieiunandi rationem, illud Evangelii illis proponens: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes,* et quae sequuntur. Matth. 6, 16. — Porro tertius, qui est Hier. 2, eiusdem est cum primo farinae, nimirum ex cornu copiae florum vestri istius Evangelii, id est, conviciorum depromptus et ab antiquis illis sacerdotibus in nostros detortus. At quid hoc ad Ecclesiam nostram? — Quartus denique, qui est 1. Cor. 2., docet animalem hominem non percipere ea quae sunt spiritus Dei. At quid hoc ad Ecclesiam nostram? Num tota est animalis? Nonne igitur haec omnia, neque coelum (ut aiunt) neque terram attingunt? Nunquid vos pudet, istiusmodi praestigiis simplici popello [1] illudere, pro quo dominus noster Iesus Christus pretiosum sanguinem suum effundere non dubitavit?

Sed enim, ut quod res est, fateamur, habet Ecclesia nostra plurimos homines animales, habet plurimos sacerdotes ebriosos et ignaros, habet denique plurimos hypocritas; et a nonnullis, a quibus minime oportebat, plus aequo ceremoniis externisque operibus aliquot iam seculis tributum est, ut huiusmodi ob causas ea, quae iuste patimur, evenire necessum fuerit. Sed num improba cleri vita iustam haeresiarchae causam reddet? Num aperta Ecclesiasticorum flagitia haereticorum argumenta erunt? Num denique vera ministrorum Ecclesiae accusatio falsam Ecclesiae fidem, veramque haeresin efficiet? *Necesse est,* inquit dominus, *ut veniant offendicula, verumtamen vae homini, per quem offendiculum venit.* Matth. 18, 7. Ecclesia quidem nostra, quamdiu adhuc in terris militat, iuxta sacrarum literarum figuras atque similitudines ab initio ad finem usque semper continet animalia munda et immunda, triticum et Gen. 7. Matth. 3; paleam, bonum semen et zizaniam, pisces bonos et malos, virgines 13; 25. prudentes (57) et fatuas, denique oves et hoedos, hoc est, iustos et

[1] Similia dicuntur pp. (111. 135. 157. 175. 182. 192. 197). Etiam in *Monade* (G a. H 7^b L 5. N 6.), in *Enchiridio* F^b et alibi legitur « popellus, plebecula ».

iniustos [1]. Nam erunt vitia (ut est in proverbio) donec homines, et ita quidem, ut semper pars deterior meliorem vincat, idque his
Matth. 24. extremis maxime temporibus, quibus futurum Christus praedixit, ut abundaret iniquitas, et refrigesceret charitas multorum. At posteaquam Ecclesia devictis ad plenum hostibus, diabolo, carne et mundo, triumphare coeperit, tum iustorum ab iniustis separatione facta secundum easdem parabolas Evangelicas demum complebi-
Eph. 5. tur illud quod ab Apostolo de Ecclesia Dei scriptum est, ut sit gloriosa Ecclesia non habens maculam aut rugam aut quicquam eiusmodi, sed omnino sancta et immaculata seu irreprehensibilis.
Cant. 6. Quapropter Ecclesia Christi sponsa in Salomonis Epithalamio, quanquam pulchra dicitur, ut sol, quanquam electa ut luna, pulchra quidem ut sol dicitur, quantum ad Ecclesiam triumphantem, in qua nec ruga nec macula apparet, utpote solis bonis constante; electa vero dicitur ut luna, quantum ad Ecclesiam militantem, nimirum ob id, quod sicuti luna maculam, ita haec malos adhuc intra se contineat. Verumtamen et interea Ecclesiam hanc nostram vel militantem adhuc et quamlibet multos intra se peccatores continentem, asserimus totam quadamtenus esse sanctam, pulchram et immaculatam, tum quod in Christo fundata eiusque sacratissimo patri commendata et a spiritu sancto in omnibus viis suis directa, vera sacramenta, veram fidem, verum Dei cultum, religionem veram, veram denique sanctimoniam sola continet, ita ut extra hanc nihil sanctum, nihil Deo gratum, nihil acceptum sit; tum quod, etsi semper plures quidem malos quam bonos intra se claudit, dicente
Matth. 20. et 22. Christo, multos esse vocatos at paucos electos, nullo tamen non tempore quantumvis flagitioso aliquot saltem in se habet viros sanctos, immaculatos et omni virtutum genere conspicuos, quorum

---

[1] *Mon.* c. 4 K 8 b: Constat Ecclesiam Christi alteram esse ***militantem,*** alteram *triumphantem:* haec solos habet qui innoxii sunt haeredes Dei, cohaeredes Christi adeoque praedestinati, hoc est assecuti quod aeterna Dei praedestinatione dispositum est: extra hanc non modo haeretici, sed et mali relegantur Christiani, utpote canes immundi, adulteri, scortatores, et id generis alii, quibus regni coelestis possessio denegatur. Illa permixtim sustinet malos bonis, Cain et Abel, Cham et Iaphet, Iudam et Petrum, Saulum et Paulum. Quocirca non iniuria per Noë arcam, per sagenam in litore maris, per prudentes et ignavas virgines, per navem Petri, per mare et id genus alia symbola designatur (Citatur 2. Tim. 2, 20). Cf. infra 96: Neque Abel unquam futurus est, qui Cain non sustinet. — *Ass.* 54: Ecclesia ***bonos et malos ad finem usque continet.***

nomine totam Ecclesiam dicere liceat sanctam, formosam et immaculatam. Nam Ecclesia (uti significantissime dicam) nomen collectivum est; at permulta de universis aliquot vere dicuntur, quae tamen in singulos minime competant. Quis enim non dixerit (58) fidelem principi suo eam civitatem seu rempublicam, quae perpetuo in eius fide manens nunquam ab eo desciverit, quamvis interim et nonnulli cives ab eo quaquam defecerint et in leges ab eo latas diverso tempore peccaverint ferme omnes? Eodem quoque pacto complura toti cuipiam integrae ac perfectae rei vere attribuuntur, quae tamen nequaquam unicuique parti conveniant. Quis enim ob id vituperaverit aedes alioqui sumptuosissime ac elegantissime constructas, quod aliquot habeant partes foedas et immundas habitantium necessitati destinatas? Sed (ut Apostolica similitudine utar) *in magna domo non tantum sunt vasa aurea et argentea, verum etiam lignea ac testacea, et alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam;* ita quoque in Ecclesia (quae domus Dei est) sunt *vasa irae apparata in interitum et vasa misericordiae praeparata in gloriam.* 2. Tim. 2, 20. Rom. 9, 22. 23.

Ceterum si vos offendant vitia Ecclesiae nostrae, ostendite nobis vestrae Ecclesiae specimen, quae non habeat maculam, neque rugam, et amplectemur illam. At mihi sane aliquoties eam circumspicienti non occurrunt nisi helluones, temulenti, ganeones, adulteri, aleatores, obaerati, decoctores, profugi, fures, raptores, sicarii, latrones, apostatae, et omni denique scelerum et flagitiorum genere infames, qui hactenus in profundo suorum criminum sepulti, tum a se, tum ab aliis deploratissimi, nunc demum caput erexerunt, audientes sola fide hominem et iustificari et salvum fieri. Qui fit ergo, ut tam acute cernatis in vitiis alienis, qui tantopere lippitis in propriis? Quid ad quemlibet vestrum dicam aliud quam illud servatoris nostri: *Cur festucam vides, quae est in oculo fratris tui, trabem autem, quae est in oculo tuo, non animadvertis? Aut quomodo dicis fratri tuo: sine, eximam festucam ex oculo tuo, et ecce trabs in oculo tuo? Hypocrita, eiice prius trabem ex oculo tuo, et tum perspicies, ut eximas festucam ex oculo fratris tui.* Quis est, qui non priscam illam vel nascentis vel adolescentis religionis Christianae aetatem, mores et sanctimoniam desiderat? quis contra bonorum in extrema haec tempora aetatem suam incidisse non (59) vehementius dolet? et interdum etiam ingemiscit? Verum illius semper interea meminisse oportet: Feras, non Matth. 7, 3-5.

culpes, quod mutari non potest. Nunquam tam feliciter actum est cum Ecclesia, quin inter paucos bonos multos pertulerit malos. Quod
1. Pet. 2, 22. si Christus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius,* in exiguo illo duodecim Apostolorum numero Iudam furem et proditorem tulit et Petrum, qui eum negaturus esset, et omnes a fide defecturos post ipsius passionem; quod si Paulus ceterique Apostoli, primitiae spiritus, in nato tamen adhuc et pupillo Ecclesiae grege pseudoapostolos, falsos fratres, otiosos ventres, impostores, blandiloquos aliosque sceleratos homines tulere, quemadmodum et in eorum passim liquet epistolis, quin nos potius ipsi tot undique vitiis obnoxii aliorum mala leni animo non perferamus? Profecto bonus non est, qui malos non tolerat, neque Abel unquam futurus est, qui Cain non sustinet. Desinite igitur vos momi ac critici aliquando esse propriis in vitiis talpae, in alienis lyncei [1], et dum hactenus in manticam ex pectore dependentem plus satis inspectum sit, tandem in manticam a tergo suspensam oculos convertamus, ut sua quisque vitia, sine quibus nemo nascitur ac vivit, intelligentes, tanto facilius alienam vicissim imbecillitatem mutuo amore perfe-
Matth. 13. ramus, ne contra domini praeceptum zizania cum tritico, aut potius
Gal. 5. triticum pro zizania evellatur, neve contra Pauli consilium, dum alius alium vicissim mordemus et devoramus, vicissim alius ab alio consumamur.

Qua igitur fronte, vos Evangelici concionatores, vobis solis arrogare non pudet veram Dei Ecclesiam, qui ne membra quidem eius sitis, at palmites excisi; longius aut brevius resipiscatis, in
Matth. 25. ignem mittendi, si non hic in temporalem, certe post in aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius, cuiusmodi vos estis. Cum itaque praedicaveritis, Ecclesiam nostram plus mille annis errasse, imo nunquam non errasse, ut hic ipsi palam et (60) libere profitemini, eamque nos veram Dei Ecclesiam docuimus; nonne hic articulus primo loco vobis iuste obiectus, utpote non haereticus modo, verum etiam fons et origo haeresium omnium?

Ceterum ne quid hinc inanis gloriolae apud indoctos aucupe-
A quibus haereticis haec emendicata sint. mini, non vestrum istud commentum est de ista duplici Ecclesia in responsione vestra adductum, sed maiorum vestrorum, primo a Donatianis excogitatum, deinde a Valdensibus, Viclevicis et Hussia-

---

[1] *Mon.* C 6: Gallus vel ex verborum phrasi discere potuisset, si tam *lynceos* ad scrutandas scripturas, quam ad mendacia coacervanda adhibuisset oculos.

nis renovatum, qui Ecclesiam Dei catholicam, toto terrarum orbe patentem, in arctos haereticorum angulos contrahere conantes, sibi solis eam asserebant. Et videntes Ecclesiae se premi auctoritate, cum eam negare non possent scripturarum luce clarissimam, quo saltem eluderent, commenti sunt atque finxerunt nescio quam invisibilem [1], et ideo Platonicae similem Ecclesiam, quae nec videri posset, nec audiri, utpote finientes eam numerum praedestinatorum, quem soli Deo cognitum esse liquet, contra manifestissimum Christi verbum, quo ait: *Dic Ecclesiae; quod si Ecclesiam non audierit,* Matth. 18, 17.
*sit tibi velut Ethnicus et publicanus.* At quomodo dicemus Ecclesiae aut quomodo Ecclesiam audiemus, si prorsum insensibilis nec videri nec audiri queat?

Porro, quod in calce responsionis vestrae nos inconstantiae notatis, eo nomine, quod in hoc articulo prius Danice vobis oblato a nescio quibus regiae familiae citra iussum nostrum, immo nobis omnino nesciis, accusavimus vos docuisse populum, *sanctam* Ecclesiam per tot annos errasse; post vero in eodem latine reddito, praedicasse vos simpliciter Ecclesiam errasse, quasi vero id certo a nobis consilio mutatum sit, cum prius illud evincere desperaremus: — quis non irrideat inanem argutiolam? Nulla enim id certa ratione fecimus, at utriusque proprietas linguae sua sponte hoc secum attulit. Nam ut in lingua nostrate Germanica semper Ecclesiam adiecto *sancti* Epitheto nominitare solemus, ita quoque in lingua vestrate Danica opinor contingere, quippe quam Germanicae linguae aemulam et imitatricem esse animadverterim. (61) At in Romana lingua rem secus habere quis nescit? ubi saepe citra eius Epitheti adiectionem Ecclesia nominatur, adeo ut ne unum quidem locum mihi dederitis ex omnibus bibliis (ni tamen me fallit memoria), in quo hoc Epitheto citra medium adiecto, Ecclesia *sancta* vocetur, tametsi Ecclesiam sanctam esse pluribus in locis aperte doceant. Atque usu venit hoc loco illud in puerorum ludis tradi solitum, vocem in compluscula aut significantias aut acceptiones diffusam, cuiusmodi Ecclesiae nomen est, per se prolatam, in celebriori significatu esse sumendam, qualis hic est: **Sancta Ecclesia Catholica.** Idcirco quoties Ecclesiae nomen per se dicitur, ea intelligi assolet. Neque desperamus adhuc evincere, vos docuisse populum, *sanctam* Ecclesiam errasse, quin modo evicimus? Docuistis enim,

---

[1] Ecclesiam *non* esse *invisibilem* probatur in *Monade* c. 4. L sq.

Ecclesiam nostram errasse, imo nunquam non errare, ut hic profitemini. At eam veram et sanctam esse Dei Ecclesiam catholicam, ni fallor, integri lectoris iudicio evicimus. Proinde tu, quisquis es rhetorcule aut poëtaster, aliorum logodaedalus, ego te posthac non semel docebo, quanto iustius veriusque in vestram factionem istam regeri possit Horatianum istud nobis obiectum: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum. Ea quippe mendaciorum est natura, teste Lactantio, ut cohaerere non possint, ut non abs re sit veteri diverbio celebrata sententia: Oportet mendacem esse memorem. Volui adhuc in hoc primo themate aliquando prolixior esse, quod viderem ex Ecclesiae contemptu, ceu fonte rivulos, universas promanare haereses. Nunc subversis tribus omnium errorum haeresiumque basibus atque columnis, nempe praedicandi verbum Dei licentia, acceptatione solius scripturae et Ecclesiae contemptu, in reliquis erroribus diruendis progrediemur expeditius.

Horatius.

Lactantius.

## ARTICULUS SECUNDUS.

Contemnendas esse omnes priscas procerum Ecclesiasticorum constitutiones, leges et consuetudines ieiuniorum, discretionis vestium atque ciborum, ceremoniarum, statuum, officiorum, dignitatum, praelationum, et similium, quae sunt libere reiicienda.

De Christiana libertate.

### Responsio.

(62) Priscas constitutiones, leges, consuetudines, ceremonias ab Ecclesiae proceribus institutas longoque usu observatas laudamus et supra modum extollimus; tantum abest, ut contemptas velimus, eas imprimis, quas literae sacrae nobis genuerunt, aut quae ab illis non dissentiunt; ieiunia similiter, quibus carnis rebellionem domamus, propter Dei consilium, non quibus peccata nostra apud Deum redimimus, aut hypocritarum more in conspectu Dei nos iustificemus. Delectus item ciborum et vestium minime contemnimus, quibus ex Christiana libertate et citra conscientiarum carnificinam utimur. Nec officiorum varietatem in Ecclesia contemnimus, quae spiritus sanctus pro varietate * suorum donorum hominibus

* 8 vocabula praecedentia desunt in apographo, sed evidenter supplenda sunt, utpote inferius p. 105 citata.

impartitur. Porro vestrum statum, pompam, dignitates, praelationes sinimus vestrae respondere Ecclesiae.

## Confutatio.

Quis hic non protinus exclamet in vos, chamaeleonte quovis aut polypo mutabiliores: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum! Nam modo nunquam non errabat Ecclesia nostra, quemadmodum in responsione ad primum articulum dicebatis; at nunc tanquam immemores vestri, continuo priscas constitutiones, leges, consuetudines, ceremonias ab Ecclesiae proceribus institutas longoque usu observatas non laudatis modo, verum etiam supra modum extollitis; tantum a vobis abesse dicitis, ut eas contemptas velitis. Verum si semper hallucinetur in omnibus Ecclesia nostra, cur hic constitutiones, leges, consuetudines et ceremonias ipsius summa cum laude recipitis? Neque enim haec de vestra commode intelligi possunt Ecclesia, tum quia non video, quos habeat primores [1], quando omnes utriusque sexus Christianos aequali potestate faciat in omnibus, tum quod non video, quid istic diuturno usu observatum esse possit, quum ipsa vixdum sit decemnalis. — Praeterea, qui constant ista cum factionis vestrae tum libris editis, tum publicis factis? Nonne vester antesignanus iste scripsit aliquando, nulli hominum ius esse unius syllabae in (63) Christianum hominem constituendae? Nonne alio in loco scripsit idem, verba hominum et usum seculorum etiam scripturis non pugnantia, tolerari tantum et teneri posse, at necessariam observationem non inducere? Cur hic ipse decreta patrum, inaudita ab orbe condito temeritate, publicitus exussit? Cur in Ecclesiis aut potius conventiculis vestris procerum Ecclesiasticorum constitutiones tanquam humanae palam et ubique a populo contemptae iacent? Cur veteris Ecclesiae consuetudines passim antiquatae sunt? Cur Ecclesiae prisci ritus et ceremoniae a templis excussae? Cur abrogatae divorum feriae? Cur ablati cum ciborum delectu ieiuniorum dies? Cur abiectae preces horariae? Cur immutatus Ecclesiae cantus aliaque id genus plurima? Hoccine est laudare ac supra modum extollere priscas leges, consuetudines

In eos dicitur, qui facile vertunt sententiam, inque vafros et versipelles.

De captivitate Babylonica.

Contra regem Angliae.

---

[1] *Ench.* L 4 b: *Constitutiones* aliae ab ecclesiasticis *primoribus*, aliae a seculi magistratibus constituuntur... Ib. c. 12 F b: Observent et id nostri episcopi, pastores et ceteri ecclesiastici muneris *primores*.

et ceremonias ab Ecclesiasticis proceribus institutas? Siccine, ut olim
Matth. 26. *Iudas osculo filium hominis,* ita vos istiusmodi laude sponsam ipsius Ecclesiam in manus impiorum traditis.

At eas, inquitis, laudamus imprimis, quas literae sacrae nobis genuerunt, aut quae ab illis non dissentiunt. Probe quidem istud.
Esa. 29. Sed neutiquam Ecclesia nostra hoc ignorat, idque non solum Esaia
Matth. 15. magistro, verum etiam praeceptore suo Iesu Christo, cavendum, ne
Constitutiones humanae cum divinis eloquiis pugnantes reiiciendae. propter hominum traditiones praecepta Dei irrita fiant *, ideoque constitutiones humanas cum divinis eloquiis pugnantes, una cum auctoribus suis esse reiiciendas. *Obedire* (inquit vertex Apostolo-
Act. 5. rum [1]) *oportet Deo magis quam hominibus.* At ostendite leges, consuetudines et ceremonias Ecclesiae nostrae vel non esse genitas sacris literis, vel ab illis dissentire; atque tum eas una vobiscum repudiabimus. Verum id fieri volumus, non iuxta spiritum vestrum, qui erroris est, at iuxta spiritum Ecclesiae, qui veritatis est spiritus; neque iuxta sensum insani cerebri vestri, at orthodoxorum patrum, apud quos germanam veramque scripturarum intelligentiam [2] esse docuimus. — Ceterum ista quanquam inconstanter, tamen (64) quod vere a vobis dicta sunt (quod utinam fieret ubique non tam verbo quam re ipsa, et opere magis quam ore), magno hic nos laborum fasce levatis, ne quid opus sit, hanc in rem scripturarum adferre testimonia, praesertim studioso lectori nusquam non obvia. Quis
Matth. 18, 17. enim ibi non legit, nolentem audire Ecclesiam velut Ethnicum et
Deut. 17, 12. publicanum esse habendum? Item nolentem obedire summi pro
Matth. 16, 19. tempore sacerdotis imperio morte plectendum? Item quicquid Petrus eiusque successor aut ligaverit aut solverit in terris, simul
Luc. 10, 16. et in coelis quoque vel ligatum vel solutum esse? Item qui spernit
Prov. 22, 28. Apostolos eorumque successores, Deum spernere [3]? Item non trans-

* « fiant » deest.

---

[1] *Mon.* A 4[b]: *Petrus* Apostolici senatus *vertex.* E 5: *Verticem Apostolorum Petrum.*

[2] Supra 63. 64.

[3] *Ench.* c. 33. agit de *utilitate et necessitate constitutionum* ex pontificum auctoritate profectarum. L 6[b] sq. dicit: Ex Act. 15; 16 consequitur non parum multa fuisse sub exordium nascentis... Ecclesiae praecepta, quanquam non sint literis demandata, quibus nihilo secus fideles reddebantur obstricti... Qui enim vos spernit, me spernit (Luc. 10). Eadem enim Ecclesia eandem recepit legum condendarum auctoritatem a Christo, quam et Apostoli fidei nostrae duces (Matth. 18, 17).... Si enim tantum honorem Christus *cathedrae Mosi* voluit esse, ut

grediendos esse terminos antiquos, quos patres nostri posuerunt? aliaque hoc genus plurima, quibus a Deo et in moribus et in ceremoniis maiorum nostrorum decretis parere iubemur. — Deinde ieiunia similiter admittitis pari constantia, scilicet qua cetera, verum ea, quibus carnis rebellionem domamus, iuxta Dei consilium, non quibus peccata nostra apud Deum redimimus, aut quibus hypocritarum more in conspectu Dei nos iustificemus. Tria haec dici audio, de quorum primo inter nos plane convenit, laudanda esse ieiunia, quibus carnis rebellio adversus spiritum edometur. At in secundo contra omnino dissentimus; procedit enim hoc ex illo errore gravissimo, quo negatur expiationem seu redemptionem peccati (quae satisfactio vocari solet) poenitentiae partem esse, de quo postea sub articulo nono de sacramentis [1]. De tertio autem, si ea mens vestra sit, uti negetis, hypocritica ieiunia nos in conspectu Dei iustificare, id est, quae non e radice charitatis nata sunt, at inanis gloriae studio suscepta, consentimus, et amplectimur, quemadmodum et sub praecedenti articulo [2] nonnihil aliter attigimus *.

Verum non est id ieiunii vitium, at potius ieiunantis abusio; Ieiunantis abusio. non enim ieiunium modo, sed etiam et oratio et eleemosyna, adeoque omnia opera bona externa hypocriseos fermento abutentium culpa corrumpi possunt, id quod nos cavere docet Christus apud Matthaeum. Sin autem eo animo sitis, ut credatis omnino hypocriticum esse, veris etiam ieiuniis e charitatis radice prognatis velle Matth. 6. nos apud Deum iustificare, dissentimus (65) et refragamur. Nam posteaquam dominus noster dixerat ad suos: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum,* fieri non Matth. 5, 20. posse, ut ingrederentur regnum coelorum, idque pluribus exemplis adductis, quibus insinuaret, oportere non solum puras esse manus a malis operibus, verum etiam a pravis affectibus animos habere puros, mox in fronte proximi capitis in oratione, eleemosyna et ieiunio hypocrisin evitare docet, tanquam in hisce tribus simplici Matth. 6. oculo susceptis, universa bonorum operum iustitia, quae ad haec

* attingimus.

---

quicquid haec decerneret inter causam et causam... ratum foret a Deo, ut transgressor *reus haberetur capitis* (Deut. 17, 12), quanto magis audiendi sunt,... qui in cathedra Christi sedent...

[1] p. (122).

[2] Supra 93.

tria capita reducuntur, consistat. Ceterum quatenus iustificent opera, sub articulo proxime sequenti [1] discutietur. Interim ad ea quae sequuntur hic pergamus.

Sub haec additis; « Delectus item ciborum et vestium minime contemnimus, quibus ex Christiana libertate et citra conscientiarum carnificinam utimur ». Nunc demum (ni tamen mea me fallit opinio) intelligere mihi videor, quatenus vestra quidem sententia nos obstringant humanae constitutiones atque consuetudines de ieiuniis, de delectu ciborum, de discretione vestium, et de quibusdam tandem aliis aut moribus aut ceremoniis, nimirum non quidem in foro conscientiae, id est occulto Dei iudicio, cui soli hominum conscientiae
1. Reg. 16, 7. patent *(homo enim videt quae patent, Deus autem intuetur cor)*, verum in foro tantum exteriori, hoc est publico hominum convictu, ita scilicet, ut libere quidem transgredi liceat eas privatim citra conscientiae anxietatem, et (sicuti vos loquimini) carnificinam, quod tum scandali periculum absit, at nequaquam publice propter imminens fratris sive proximi offendiculum. Praeclarum hercle commentum et haereticis dignum, sic amplecti humanas constitutiones propatulo, ne nihil eis tribuatur nec * plane videantur contemni adversus clarissimam scripturae lucem, atque interim tamen eas libere semotis arbitris transgredi, ut in occulto liceat quicquid libeat, idque praetextu et fuco Christianae libertatis. Animadverto nihil opus esse, ut adductis scripturarum testimoniis, quae tamen paulo ante pauca de multis in transcursu protuli, doceam, nos (66) astringi humanis legibus aequis maiorum nostrorum, id quod ob scripturae lucem clarissimam ipsi ultro datis; at id modo restare probandum, etiam in foro conscientiae humanas leges eam vim habere. Fatemur igitur offendiculum infirmi fratris maxime quidem verbo Dei vetitum esse. At ubi tandem vestrum istud commentum divinis literis expressum est, hactenus tantum nos humanis obstringi legibus, quatenus timetur infirmi fratris offendiculum? Cur non adfertis vel unum scripturae locum, qui tam anxie et superstitiose a ceteris
Matth. 18, 17. ubique scripturam exigitis? Legimus ubique simpliciter audiendam
Luc. 10, 16. Ecclesiam, audiendos proceres Ecclesiasticos, obediendum potestati-
Rom. 13, 5. Hebr. 13, 17. bus, obediendum praepositis, et id genus alia, sed nusquam istud glossema vestrum adiectum invenimus. Quin potius e contrario le-

* legitur « et ».

[1] Art. 3. infra 106 sq. et Art. 4. infra 115 sq.

gimus: Quicquid a Christi vicario ligatum solutumve fuerit in terris, consimiliter in coelis esse ligatum aut solutum; qui spernit Apostolorum successores, etiam Christum spernere. — Quo igitur pacto fieri potest, ut summorum Pontificum aliorumque procerum Ecclesiasticorum decreta, quorum vis apud Deum in coelo rata est, et quorum contemptu Deus ipse contemnitur, in foro conscientiae, quod est quasi Dei tribunal, non obstringant? Quid quod duo principes Apostolorum, Petrus et Paulus, haud secus ac ex composito haeresin istam oppugnantes quam apertissime docent, non solum ob evitandum offendiculum, sed etiam propter conscientiam primoribus quibuscunque parendum esse? Nam Petrus ubi praecepisset, quod subditi essemus praecellentibus quibusque hominibus non Ecclesiasticis modo, verum etiam secularibus, iisque non bonis tantum, sed etiam pravis, adiecit: *Nam haec est gratia, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias.* Paulus vero, posteaquam eodem cohortatus esset, ita subintulit: *Quapropter oportet subditos esse potestatibus supereminentibus, non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam.* Neque rationem inibi uterque subticuit, quoniam omnes potestate quavis praediti Dei sunt ministri, missi *ab eo in vindictam quidem nocentium, in laudem vero* (67) *recte agentium;* itaque qui resistit eis, Deo resistit. Quid hanc in rem, oro, dici potuit luculentius?

Matth. 16, 19. Luc. 10, 16.

1. Pet. 2, 19.

Rom. 13, 1. 5.

Verum quoniam libertas ista, cuius velamine malitiam vestram hic obtegitis, est tanquam esca quaedam blandissima, qua plebem suapte natura libertatis amantissimam, in haereseos vestrae nassam potissimum illexistis; quo technam benevolentibus et nondum obcaecatis detegam, non gravabor per transcursum id, quod alibi fusius uberiusque a nobis explicatum est, hoc loco paucis exponere, quaenam sit vera libertas Christiana et Evangelica. Nam ea nimirum est, in qua Christus nos mortales asseruit per Evangelium suum, ipso apud Ioannem attestante: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Eramus autem tam Iudaei quam gentiles ante Christum natum triplicis vinculo servitutis innexi, nempe peccati, mortis et Satanae. Nam per peccatum sub tyrannico daemonis imperio capti detinebamur rei aeternae mortis; Iudaei vero insuper Mosaicae legis importabili iugo erant obnoxii. Christus igitur veniens, ceu Dei et hominis mediator, humano genere Deo patri morte sua reconciliato, nos omnes ab hac triplici servitute peccati, mortis et diaboli, et praeterea Iudaeos a servitute legis Mosaicae in libertatem

Quae sit vera libertas Christiana.

Io. 8, 36.

asseruit. Longum fuerit, pie lector, scripturis explicare omnia. Sed res apertior est, quam ut necessum sit. Verum mihi interea crede, donec his quicquam obiectum acceperimus. Quo fit, ut Christiana et Evangelica libertas intelligi debeat, non quidem immunitas ab obedientia superiorum, non ab observatione praeceptorum eorumdem, non denique ab exercitio bonorum operum, quae nusquam non docent sacrae tum Evangelicae tum Apostolicae literae. Quid enim aliud esset istiusmodi libertas, quam licentissima vitae dissolutio et omnium scelerum flagitiorumque sentina? Verum exem-
2. Cor. 3. 1. Cor. 13. ptio a peccato, a morte, a diabolo et a lege Mosaica, atque (ut in summa complectar) non aliud est quam gratia sive charitas. Nam ubi charitas, ibi spiritus domini; ubi spiritus domini, ibi libertas. Charitas enim, quae suffert omnia, etiam plus quam praecipitur (68) ultro agit, non serviliter, at liberaliter, non metu supplicii, at virtutis amore; ideoque ubicunque tandem ea fuerit, ibi nulla est conscientiae carnificina, crux et anxietas, sed ingenuitas, pax et libertas maxima. Quocirca quicquid charitati non adversatur, neque
Nota. libertati Christianae adversari putandum est [1]. Vides, Christiane lector, quo astu isti angeli Satanae, libertate spiritus in carnis licentiam utentes, sub nomine libertatis inobedientiam, rebellionem, discordiam et seditionem ubique disseminarunt. Verum duo Apostolorum principes iam olim haec in spiritu praevidentes, ab huiusmodi nos
1. Pet. 2, 16. praemonuerunt insidiis. Petrus enim, quo loco hoc argumentum de obedientia maioribus debita tractat, inter alia: *Tanquam liberi* estote, inquit, *et non veluti praetextum habentes malitiae liberta-*

---

[1] De libertate christiana ita scribit Herborneus in libro: Eyn kurtzer berycht von den dreien gelobten der geystlichen... 1527 (C 2):

« Die Freiheit, die wir haben und der wir uns gebrauchen sollten, ist im Geist gelegen, wie Paulus sagt: Wo der Geist Gottes ist, da ist Freiheit (2. Cor. 3, 17). Sie ist auch darin gelegen, dass wir erlöst sind und entbunden von den Sünden und der Gewalt des Teufels durch Christum, wie auch Christus anzeigt (Io. 8, 36): *Ihr seid frei, so euch der Sohn erlösen wird.* Auch in dem, dass wir nicht sind verbunden zu der Beschneidung und den fleischlichen Werken des Gesetzes... Item auch, dass wir die Werke und das Gesetz, so viel wirs noch schuldig sind zu halten, nicht thun sollen aus Zwang und Furcht, sondern aus Liebe, zu welcher uns reizet der Geist Gottes, den uns Christus erworben hat, und der in unser Herz überflüssig gegossen ist... Derhalb dann Paulus oft sagt, die Liebe beschliesse und sei ein Ende aller Gebote (1. Tim. 1, 5), und dass dem Gerechten kein Gesetz gemacht sei, sondern er sei sich selber ein Gesetz (1. Tim. 1, 9).

*tem, sed tanquam servi Dei.* Paulus vero: *Vos,* inquit, *in libertatem vocati estis, fratres, tantum, ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem servite vobis invicem.* Gal. 5, 13.

Neque enim (ut sciatis Evangelici concionatores) dolus iste primum a vobis excogitatus est, nequid hinc forte in malitia vestra gloriemini. Sed iam tum ab Apostolorum temporibus exortus, interea saepius ante haec tempora renovatus est, ut ab Arianis, a Lamperianis, a Turilupinis, a Begardis, a Beguinis, a Valdensibus, a Viclevicis et ab Hussianis. **Quorum sit veterum haereticorum hic error.**

Postremo quod in calce subiicitis, vos, tanquam scilicet a quorum nutu atque renutu pendeant omnia, non contemnere officiorum varietatem in Ecclesia, quae spiritus sanctus pro varietate suorum donorum hominibus impartitur; porro nostrum statum, pompam, dignitates et praelationes vos sinere nostrae Ecclesiae respondere, — profecto utrumque non modo prius illud, sed etiam hoc posterius obviis (ut aiunt) ulnis amplectimur. Nam uti nostram Ecclesiam docuimus veram esse Dei Ecclesiam, ita quoque verus Christianismus, verae dignitates, verae praelationes et vera officia non sunt nisi in nostra Ecclesia, utpote divinitus in singulos distributa, ad mystici corporis, quae est Ecclesia, utilitatem. Proinde (69) optimo iure hic articulus tanquam e proximo continenter sequens, quanquam id animi vestri malitia obcaecati non animadvertit inconstantia, secundo vobis loco fuit obiectus. Ceterum quas mihi pompas hic occinitis, haud satis intelligo; si quae sint abusiones et vitia, non excusamus, non patrocinamur, non defendimus, sed ingenue agnoscimus, confitemur atque dolemus, Deum optimum maximum sedulo precantes, ut is, *qui propter peccata populi facit* super eum *regnare hominem hypocritam,* tandem aliquando bene vertat. Id tamen rationi ac legi tam divinae quam humanae consentaneum existimamus, ut ordine rerum pulcherrimo ubique servato, maiores maiora deceant. Sed interim *qui vestrum immunis est a peccato, primus in nos lapidem iaciat.* Aut potius vos, qui estis, qui iudicatis alienos servos? domino suo stant aut cadunt. Quis vos constituit iudices praelatorum? quorum iussa capessere vestrum est, non discutere mores eorum. 1. Cor. 12. Eph. 4. Iob 34, 30. Io. 8, 7. Rom. 14, 4.

## ARTICULUS TERTIUS [1].

De iustitia Christiana.

Solam fidem iustificare hominem.

### Responsio.

Apud Deum iustificamur sola fide, non illa, quae in levium hominum labiis natat, sed quae in pectoribus hominum profunde radices egerit per verbum Dei, per quod illius promissis fidem habemus et misericordiam consequimur per Christum. Io. 3. Rom. 3. et 4. Verum interna illa iustitia non potest sese continere, quin in opus externum erumpat et fructum aliquem ex se producat, quae est iustitia externa minimeque fucata, qua per charitatis opera internam iustitiam testamur, de qua Christus Matth. 5. et Paulus et Iacobus. Rom. 4. et Iacob. 2. Talis itaque fides plantata in cordibus hominum non potest diu manere sola, sed opera ex sese protrudit, ut dictum est, quoties nacta fuerit opportunitatem. Matth. 7. Non solum ergo lector Paulus, Christi Evangelii apostata, sed nos quoque scimus, opiniones atque humanas cogitationes, quae vitam in nobis per fidem non (70) habent, non valere apud Deum, nedum iustificare nos. Summatim itaque dicimus, non omnem iustitiam, sed internam solum esse ex sola fide, quae foras * proruit per bona opera.

### Confutatio.

Quanquam ista quidem moderatius dicta sunt, quam in vulgum disseminata, tamen quot sunt hic sententiae, totidem prope mendacia [2]. Principio namque, an non quod statim in fronte proponitur, impudentissimum est mendacium: Apud Deum iustificamur sola fide? Hebr. 11, 6. Nam fide quidem nos iustificari, divina nos passim docent eloquia, sine fide enim fieri non potest, ut quis Deo placeat, at sola nos fide iustificari, nusquam. Ubi nunc verbum Dei, ubi nunc scriptura, ubi

* foris.

[1] Totum hunc *Articulum tertium* iam 1847 imprimi fecit Dr. C. T. Engelstoft in sua Commentatione (pp. 51-63) supra laudata pp. 3-8.

*Herborneus* in *Ench.* c. 4. ostendit, quod « Non sola fides, sed et opera exiguntur ad aeternae felicitatis consecutionem ».

[2] *Ass.* 126: Quot verba, tot sunt... mendacia.

nunc Evangelium? qui semper ea, quoties nobis probandum est quippam, in ore habetis et exigitis. Cur nullum ipsi profertis hic locum, qui sola nos fide iustificari testatur? An vobis absque ullo testimonio alieno credemus, quemadmodum Pythagorei olim suo Pythagorae, quibus sat etiam ipsum dixisse [1]? Sed vestra nondum est apud nos ea auctoritas. Nam etiamsi centies universa excutiatis biblia, nusquam ostendetis hoc dictum: Sola nos fide iustificari. Sed qui haereticorum mos est, verbum Dei falsantes, quod simpliciter effert scriptura, docens nos fide iustos fieri, quod est multo verissimum; hoc vos cum exclusione pronuntiatis: sola nos fide iustos reddi, docentes, quod e diverso longe falsissimum est. An non metuetis poenam, sub cuius interminatione gravissima spiritus sanctus hoc falsandi crimen in fine bibliorum vetuit: *Si quis*, inquit, *apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Apoc. ult. (22, 18.)

Verum audiamus, quot opus sit mendaciis ad unum hoc tanquam principale thema utcunque palliandum; non enim quae sequuntur, aut excusant mendacium, aut etiam aliqua ex parte levant, quin potius aliis insuper mendaciis onerant. Sic enim (71) habent verba vestra: « Apud Deum iustificamur sola fide, non illa, quae in levium hominum labiis natat, sed quae in pectoribus hominum profunde radices egerit per verbum Dei, per quod illius promissis fidem habemus et misericordiam consequimur per Christum. Io. 3. Rom. 3. et 4. ». Hactenus vos, Evangelici concionatores.

Deum immortalem, quot hic audio mendacia? Nonne mendacium est, fidem aliquam in hominum labiis natare? omnis enim fides in corde est, cuius confessio ore promitur dicente Apostolo: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* At Rom. 10, 10. illud forte vultis, opinor, esse nonnullos, qui corde non credunt, quod ore proferunt. Hoc ita esse, ut non inficiemur, quid tum postea? Hi enim apud Deum, *qui renes et corda scrutatur*, infi- Psalm. 7, 10. deles sunt neque fidem habent. — Nonne quoque mendacium est, fidem qua iustificamur apud Deum, in pectoribus hominum radices agere per verbum Dei? Fides enim iustificans et absolute omni homini necessaria (quam scholae vocant **infusam**) *Dei donum est*, in- Eph. 2, 8.

---

[1] ***Mon.*** C[b]: Nulli verbo innixus hoc suum somnium obfirmat, ratus opinor, se non nisi *Pythagorae* discipulis leges praescribere, *quibus sat* fuit, si quando ratio exigebatur dicti, auctoritas magistri, adeoque: magister dixit.

quit Apostolus, nempe coelitus hominum mentibus insita, nisi forte baptizatos infantes, qui verbum Dei nunquam audiverunt, et moriones, qui audierunt quidem, nunquam tamen intellexerunt, et denique lethargicos, qui tum audiverunt tum intellexerunt, at gravi lethargia obliti sunt omnium, et si qui sunt alii hoc genus, ad unum a regni coelestis consortio tanquam infideles excludere veli-
Rom. 10, 17. mus, tametsi eam fidem, quae iuxta Pauli sententiam *ex auditu est* per verbum Dei et **acquisitam** [1] scholae nominant, suo quodam modo Dei esse donum, et adultis sanaque mente hominibus praeterea etiam ad iustitiam et salutem esse necessariam non diffiteamur. — Nonne item mendacium est illud, per verbum Dei, quod fide creditur, nos Dei tantum promissis fidem habere? Non enim fides est solummodo promissionum Dei divinis eloquiis contentarum, sed aliorum etiam omnium, quae illic scripta leguntur, immo sane omnium fidei articulorum, id est, non modo eorum, quae sacra utriusque testamenti pagina continentur et tribus fidei symbolis, nempe Apostolorum, (72) Nicaeni et Athanasii, verum etiam omnium, quaecunque per Ecclesiam catholicam nobis credenda proponuntur. — Nonne hoc denique mendacium est vel omnium maxime scelestum et impium, Christum et Apostolum tanquam mendaces istius mendacii citare testes? Quid
(Io. 3, 18.) enim ait Christus Io. 3.? *Qui credit,* inquit, in filium, *non condemnatur.* Numquid hic dicitur: Qui solum credit, non condemna-
(Rom. 3, 28.) tur? Quid item Paulus inquit Rom. 3. et 4.? *Arbitramur,* ait, *fide iustificari hominem, absque operibus legis,* id quod exemplo Abrahae sequenti capite 4. declaratur. Numquid hic legitur: Arbitramur sola fide iustificari hominem? Nam ut etiam nulla ratione quaevis opera hominem iustificent, de quibus sub articulo proxime sequenti [2] agemus, haud tamen inde fit, unam solamque fidem ab-

---

[1] Haec denominatio « *acquisita* » perperam hic adhibetur ab auctore. Nam Dominicus Soto, Herborneo aequalis (de natura et gratia l. 2. cap. 6. in fine): « De alia vero », inquit, « divisione fidei *acquisitae* et *infusae,* satis hic fuerit praenotasse, quod haec nomina non competunt actibus, sed habitibus: quorum primus a Deo infunditur, alter vero *humano usu acquiritur* ». *Acquisita* igitur in scholis, etiam aetate Herbornei, denominabatur virtus *naturalis,* prouti distinguitur a virtute *infusa* seu *supernaturali.* Unde fides, quae *ex auditu* concipitur et, ut auctor recte dicit, etiam *donum Dei* est (Trid. Sess. 6. cap. 5. 6.), dicenda est potius *actualis,* ut distinguatur ab *habituali,* quae in iustificatione infunditur. Cf. ipsum auctorem infra p. 116.

[2] Art. 4. infra 116-123.

solute hominem iustificare, quando sint aliae etiam virtutes homini ad iustitiam necessariae, quemadmodum mox evadet perspicuum. Quis, oro, vel rationis modo compos, etiam si dialecticorum nunquam limina calcaverit, non videat, quam prorsus absurdum sit ac improbabile hoc argumentandi genus: hoc illudve rei necessarium est, igitur hoc solum ei sufficit? Aliud est quicquam ad rem exigi, aliud vero ipsum solum ad eam sufficere. Nam alioqui de quavis virtute pari modo colligere liceret: Rom. 8. quod scriptum est: *Spe salvi facti sumus;* ergo sola spes ad salutem humanam sufficit. Eodem quoque pacto unaquaeque virtus ad iustitiam homini necessaria est; igitur unaquaelibet sola satis est. Quod tanto quoque minus in fide valet, quanto fidem ceteris virtutibus inferiorem esse paulo post ostendemus. Ceterum ne cui argutius aequo singula verba tanquam ad lancem expendere videar, ad rem ipsam respondebo. Nonne omnibus istis verbis hucusque relatis capitalique thémati declarando adiectis, veram, absolutam et omnibus (ut aiunt) numeris perfectam fidem circumloqui volebatis? — Sed nonne illud quoque mendacium est, vel constantissimam fidem, modo sola nudaque maneat *nuptiali* charitatis *veste* non decorata *, iustificare Matth. 22, 11.
hominem [1]? Num qua maior fides vel fingi poterit ea, de qua Christus ait: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut gra-* Matth. 17, 20.

* decomta.

---

[1] Aliud argumentum exponitur in *Enchiridio* c. 3. C 2: ...Illud obiter adiiciam pro iis, qui crassiore Minerva omnia expendere solent, non *solam fidem sufficere,* etsi satis sit comprobatum ex iis quae dicta sunt, tamen ex crassissima diductione constat. Certum est enim *Deum optimum maximum* ad iustificationem timatae (sic!) beatitudinis consecutionem *ut primariam causam cooperari.* Imo ipse est, a quo omne datum optimum (Iac. 1.) et donum profectum (Rom. 3). Ipse qui iustus suapte natura et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Exigitur *et fides ipsa,* ut donum a Deo distributum et communicatum, deinde et voluntatis humanae assensio. Corde enim, inquit Paulus, creditur ad iustitiam Rom. 1.). Iam corde credere actus est intellectus, quo Deo revelanti sè acquiescit. Haec vero quanto intervallo distent, nemo *nisi stipes sit,* ignorat. Siquidem *Deus* aliud quippiam est *a fide* atque a voluntate ac intellectu longe sanctius longeque infinitius, in quem ut nulla accidentia, ita neque fides cadit, quanquam fides circa ipsum versetur ut primam illam ac infallibilem veritatem; sic et cor, animus, intellectus hominis a fidei tum *actu tum habitu longissime distant,* quod haec *accidentia,* illa vero *substantia* ac *potentiae* ab anima re ipsa vel ratione utrunque enim suos habet patronos) propagatae sint. Quae rursus aliud quippiam a fide sunt et *nihilo tamen minus* ad salutem pertinent, hoc quod alii dicunt *subiective* atque *ut res beatitatis* particeps. Hactenus de iis satis superque.

*num sinapis,* (73) *dicetis monti huic: demigra hinc illuc et demigrabit, neque quicquam impossibile erit vobis.* At Paulum au-
1. Cor. 13, 2. dite, hac de fide quid asserat, huic (ut apparet) loco alludens: *Etsi omnem fidem,* inquit, *habeam, adeo ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Quid, oro, dici potuit lucidius, idque a Paulo alioquin fidei buccinatore maximo? Sed quando semel mentiri coepistis, verecundiae fines transgressi, pergite insigniter et egregie mentiri, quo unum istud principale mendacium quoquo modo tueri possitis.

Sub haec adiicitis: « Verum interna illa iustitia non potest sese continere, quin in opus externum erumpat et fructum aliquem ex se producat, quae est iustitia externa minimeque fucata, qua per charitatis opera internam iustitiam testamur, de qua Christus Matth. 5. et Paulus et Iacobus ad Rom. 4. et Iacobi 2. Talis itaque fides plantata in cordibus hominum non potest diu manere sola, sed opera ex sese protrudit, ut dictum est, quoties nacta fuerit opportunitatem Matth. 7. ». Haec vestra sunt.

Nonne hic quoque bis quam apertissime simul et * impudentissime mentimini? Primo quidem, quod, etsi iustitia perfecta, id est, totus virtutum chorus sese continere non potest in homine adulto rationis compote, quin opportunitatem nacta sese in opera externa protrudat, nimirum vi et ardore charitatis, quae dum otiosa nequit esse, semper ansam nacta in externa opera prorumpit; tamen iustitiam illam fidei, de qua loquimini, hoc est, solam fidem ipsam, iustitiae tantummodo partem, quantumlibet in cordibus hominum plantata sit constans et firma, non posse citra charitatem atque bona opera externa de charitatis radice producta subsistere, manifestissimum esse mendacium, non modo Paulus dicto iam
1. Cor. 13, 2. loco docet, asserens etiam, si habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, hoc est, miracula edere mereatur, charitatem autem ** non habeat, se nihil esse; verum etiam Christus non multis hic usu
Matth. 7, 21-23. venire testatur, quo loco ad suos in haec verba: *Non quisquis dicit mihi domine, domine, introibit in regnum coelorum, sed*
Evidens argumentum, hominem non posse sola fide iustificari. *qui fecerit voluntatem patris mei qui in coelis est. Multi dicent mihi in die illo: Domine, domine, nonne per nomen tuum* (74) *prophetavimus, et per nomen tuum daemonia eiecimus, et per nomen tuum virtutes multas praestitimus? At tum confitebor illis: nunquam novi vos. Discedite a me omnes, qui operamini*

* « et » deest. ** « autem » deest.

*iniquitatem*. An non summam in Christum habeant fidem illi, qui per nomen ipsius futura vaticinentur, daemonia pellant aliasque virtutes plurimas edant? Tamen istiusmodi multos fore, Christus hoc loco ait, qui tanquam operarii iniquitatis a regno coelorum excludendi sunt. Quis igitur vel ex hoc uno Christi testimonio non intelligat fidem quantumvis absolutam posse inveniri citra charitatem fructusque ipsius bona opera externa in Deum atque proximum collata?

Deinde multo quidem gravius, quod istius tam impudentis mendacii et Christum et Paulum et Iacobum testes (tanquam et ipsi vobiscum mendaces sint) producitis. Non enim docent citatis in locis id, quod a vobis hic eis ascribitur, sine bonis operibus externis e charitate productis non posse fidem esse; at fidem absque huiusmodi operibus esse non debere, si modo iusti et salvi esse cupiamus, tanquam ea sola minime ad utrumque sufficiat. Multa quippe fieri possunt atque fiunt, quae tamen fieri non debent. Idque facit non tam Paulus loco per vos adducto, ubi nulla fit operum mentio, sed fidei tantum, quam Iacobus Paulum explicans, docens Abrahae iustificationem fide quidem inchoatam ese, at operibus consummatam.

**Reverendi patris lectoris Pauli Heliae a calumnia excusatio.**

Iam vero quo in transcursu paucis attingam flosculum istum vestri Evangelii, id est convicium, quo hic vestrum praeceptorem, lectorem Paulum, ingratissimi discipuli obiter aspergitis, Evangelii Christi apostatam eum appellantes, haud satis intelligo, quid sibi velit ista criminatio. Non enim mihi persuadere possum, ita eum deseruisse aliquando Christi Evangelium, ut olim iniquissimi desertores illi Porphyrius, Julianus et nescio qui alii, nisi forte quod vestrae factionis negotio (quod sub sanctissimo Evangelii nomine, cum nihil sit minus, dolose molimini) ab initio nonnihil favere visus est, quando res a carpendis tantum abusibus coepta fuit. At ubi ab indulgentiarum abusibus (unde coepta est omnis tragoedia) ad ipsas indulgentias tollendas, a sacerdotum abusibus ad exterminandum (75) ipsum sacerdotium, a sacramentorum abusibus ad ipsa sacramenta evertenda, breviter ad ipsum Christi nomen ex orbe delendum res coepit progredi, retrocessit. Verum ea in re si erravit, honestus admodum error est, quippe in quo multorum magno et excellenti ingenio virorum, qui eodem animo fuere, non careat exemplo. Honestus autem error est, inquit Fabius, magnos duces sequentibus. Sed quorsum eius ago patronum, qui nullius

**Quintilianus.**

Io. 9, 21. patrocinio eget? *Aetatem habet, ipse pro se loquatur*. Illud autem certo scio, doctiorem illum esse, quam ut consentiat in tria ista mendacia, quae hoc loco vobiscum ei communia facitis. Nam primo nulla fides (qualis qualis tandem sit illa, modo sit virtus theologica, de qua et divinae literae et sacri doctores loquuntur) est opinio et cogitatio[1]. Non enim actus est, sed habitus, nisi forte infantes, moriones, ebrios, dormientes et alios quoslibet baptizatos nihil quacunque ex causa de fide cogitantes infideles esse dicamus. Deinde ut actus sit, haud tamen cogitatio et opinio humana dici potest; at iuxta Eph. 3. 1. Cor. 12. doctrinam Apostolicam Dei donum est et ab eodem inter divina charismata connumeratur, omni humana persuasione multis partibus firmior atque constantior. Postremo, quod falso fidei tribuitis, quod charitati est proprium, nempe actus nostros per solam fidem ipsam spiritualem in se vitam habere. Sed certe taedet me cum tot mendaciorum portentis luctari diutius.

Itaque ad Epilogum venio, in quo ita concluditis: « Summatim itaque dicimus, non omnem iustitiam, sed internam solum esse ex sola fide, quae foras proruit per bona opera ». Haec vestra.

Dignum sane (ut aiunt) patella operculum[2], nempe geminum mendacium ex multis mendaciis collectum, videlicet et internam iustitiam (uti vos loquimini) esse ex sola fide, et hanc non posse non proruere foras per bona opera. Quorum utriusque mendacii falsitas, etsi nunc ex his quae dicta sunt patefacta videri satis poterat, tamen pauca quaedam coronidis vice adiiciam adversus capitale mendacium, cuius (76) stabiliendi causa (si modo stabiliri posset

---

[1] *Paulus Heliae,* Carmelita, initio quidem definitionem fidei perspectam non habuit. Nam cum anno 1526 Lutheri libellum precum (Ain betbüchlein der zehen gepott, des glaubens, des vatter vnsers u. s. w.) a se libere translatum et purgatum Danice ederet, duplicem fidem distinxerat: unam, qua vera habemus quae dicuntur de Deo; alteram, qua non solum eadem vera habemus, sed etiam confidimus in eo nosque in eius manus et voluntatem commendamus et tradimus. Priorem isto tempore vocaverat cognitionem vel opinionem caducam (forgengelig mening = vergängliche Meinung). Ad hunc forte locum in suo « flosculo » alluserant concionatores Evangelici. — Ceterum confer quae de hac re scripsimus in *Paulus Heliä* (60. Ergänzungsheft zu d. Stimm. aus Maria-Laach) pp. 31. 128-129.

[2] *Mon.* G 6: Congratulor tibi Hassiae, quot tanto... e tartareo specu evocato Hercule dignata es, id est, quod mali corvi malum ovum, *et dignum patellae operculum* obtigerit. — *Paulus Heliae* in Chron. Skibyensi (Rördam, Mon. hist. dan. 83): Operculum sane tali patella dignum.

mendacium) cetera fuerunt adducta. Nam iustitia ea, de qua praesens est decertatio, generalis sive legalis est, utpote omnem virtutem complectens et totius legis observatione constans, dicente beato Iacobo: *Quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* Iac. 2, 10. Porro universa legis praecepta, quae ad vitae iustitiam attinent, solo decalogo continentur; ad haec enim cetera bene vivendi praecepta referuntur omnia. Unde adolescenti roganti, quid boni faceret, ut haberet vitam aeternam, respondit dominus: *Quod si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* et con- Matth. 19, 17. tinenter inibi tantum decalogi praecepta ei ostendit. Haec autem decem Christus legisperitum docet ad illa duo magna praecepta reduci, atque per ea sola impleri cetera omnia, nempe dilectionis Dei et dilectionis proximi, dicens: *In his duobus mandatis tota* Matth. 22, 40. *lex pendet et prophetae.* Ceterum duo haec Paulus demum in unum colligit, videlicet dilectionem proximi, quod alterum sine altero impleri nequeat, dicens: *Tota lex in uno verbo completur, nempe* Gal. 5, 14. *hoc: diliges proximum tuum ut teipsum.* Quo fit, ut sola charitas sit universae legis consummatio, ipso quoque Apostolo testante: *Plenitudo,* inquit, *legis est dilectio.* Proinde haec iustitia, quae Rom. 13, 10. totius legis observatione constat, nullo pacto in sola fide consistit, de qua primum tantummodo decalogi praeceptum datur, et ex qua sola nullum impletur, sed in una solaque charitate, per quam prae- 1. Tim. 1. Col. 3. cepta implentur omnia. Haec enim finis est omnis praecepti, vinculum perfectionis, principium et finis bonorum omnium, cum qua virtus omnis, sine qua nulla. Nam ante se habens ceu praeambula fidem et spem, universum examen moralium virtutum post se trahit, iuxta celeberrimum illud charitatis encomium Paulinum: *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est, charitas non invidet,* 1. Cor. 13, 4-7. *charitas non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet* (77) *veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quin vero, etsi nulla non virtus magnum est Dei munus, tamen fides omnium ima est, veluti prima basis atque fundamentum totius aedificii spiritualis. *Nam* Hebr. 11, 6. *qui accedit ad Deum, hunc* in primis *credere oportet Deum esse et esse remuneratorem quaerentibus se.* Sed eum primum atque infimum esse gradum inter virtutes, beatus Petrus illa quam elegantissima gradatione luculenter docet: *In hoc ipsum,* inquit, *omni* 2. Pet. 1, 5-9. *adhibito studio subministrate in fide vestra virtutem, in virtute*

*vero scientiam, in scientia vero temperantiam, in temperantia vero patientiam, rursus in patientia pietatem, in pietate autem fraternam charitatem, in fraterna vero charitate dilectionem; haec enim cum vobis adsint et exuberent, haud otiosos, nec in irritum laborantes efficiunt ad domini nostri Iesu Christi cognitionem; nam cui non adsunt haec, is caecus est et manu viam tentans, oblitus sese a veteribus peccatis suis fuisse purgatum.* Quo loco princeps Apostolorum ostendit, non modo solam fidem non sufficere ad iustitiam et salutem, sed etiam inter virtutes alias eodem necessarias infimum gradum ei tribuit, solaque fide praeditum caecum et manu nutantem appellat. Quorsum igitur attinet, Christiana religione iam per totum orbem senescente, ad prima eloquiorum Dei elementa redire et tot tantisque laudibus maxime falsis evehere fidem, ad populum, qui fidem ex maternis uberibus simul cum lacte imbibit? Sed potius charitas tum Dei tum proximi ceu universae legis et abbreviatio et consummatio perpetuo inculcanda est. At vero Paulus Apostolus, gentium doctor, etsi nusquam sicuti vos ita falso fidem extollit, ut ei soli omnem iustitiam salutemque humanam ferat acceptam, tum quod vel incredulis fidem annuntiabat vel neophytos ad perseverantiam in fide cohortabatur, passim in fidei commendatione multus est. Verum qua de fide loquitur? Ipsemet nonnullis in locis exponit, nempe
Gal. 5, 6. quam in Galatis appellat fidem, *quae per dilectionem* (78) *opera-*
1. Tim. 1, 5. Iac. 2. *tur*. Et ad Timotheum *fidem non fictam*. Et Iacobus a contrario sensu fidem **vivam** appellare videtur, Augustinus Evangelicam. Denique Theologorum diatribae vulgo **formatam** appellitant, nimirum quod charitas forma sit virtutum omnium. Proinde quando divina eloquia uno eodemque spiritu Dei conscripta secum pugnare nequeunt, ut intelligatur uno in loco, quod in alio exprimitur [1], quoties tantopere fidem sacra pagina nobis commendat, accipi tum debet fides non otiosa, sed operosa, non ficta, sed sincera, non mortua, sed viva, non sterilis, sed fecunda, non pharisaica, sed

---

[1] Cf. *Ench.* C 5: Porro quid profuerit ingentem silvam locorum adducere, cum Iacobus (2, 26) dicat: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est... *ut in concordiam veniant scripturae, quae a concordi spiritu inspiratae sunt, conferantur loci locis, scripturae scripturis,* tempora, personae, causae, singula singulis, et ita demum comperiemus, nihil in *divinis eloquiis,* tantum abest in Apostolicis epistolis, offendi, quod non ceu rota in rota consonet, quadret, conspiret.

Evangelica, non denique informis, sed **formata**, maxime, quoniam est potissima nominis fidei significatio, ideoque prolato * nomine sola intelligenda, utpote sola potens servare animas nostras; cum altera, teste Iacobo, daemonibus nobiscum sit communis. Verum ea non Iac. 2.
est sola, sed charitate, et per hanc omni virtute et omnium denique virtutum officiis (data opportunitate) comitata, ne quis vestrum dicere possit, ea de fide vos loqui.

Ceterum universi hic erroris origo in eo sita est, quod his vocibus fidei, spei et charitatis ita plane abutimini, ut non solum perpetuo cohaerere videantur, verum etiam omnino confundi (nusquam enim inconstantius loquimini et obscurius, quam quoties de fide sermo incidit), contra manifestariam alioqui doctrinam Apostolicam, qui posteaquam ostendisset, vel summam fidem, qua montes loco dimoveantur, haberi posse citra charitatem, in calce capitis adiecit: *Nunc manent fides, spes et charitas, tria haec, sed* 1. Cor. 13, 13.
*maxima in his charitas.* Quo nihil pro harum distinctione virtutum dici potuit brevius iuxta ac clarius. Hactenus quidem de virtutibus, nunc vero de operibus; omnis enim virtutis laus (ut ait Cic. lib. 1. de offic.
ille) in actione consistit.

## ARTICULUS QUARTUS.

Nulla Deum respicere opera, nec valere ad salutem, quan- De operibus.
tumvis apparuerint speciosa, sive a Deo, sive ab homine imperata fuerint [1].

### (79) Responsio.

Nostri iustificatio gratuita Dei beneficentia est, citra omne nostrum meritum nobis donata; ad Rom. 4. et 6. ad Ephes. 2., adeo, ut quae Deus praecepit opera non queant nos iustificare, quanto minus quae ab hominibus sunt imperata Esa. 29. Matth. 15. Sed opera in Christianis hominibus a fide profecta respicit Deus et quae ipse mandavit. Exemplum habemus Abelem Gen. 4. et Abraham Gen. 22. et Centurionem illum Ethnicum Act. 10.

* prolatio.

---

[1] *Quatuor* sunt capita in *Enchiridio,* quae agunt de necessitate, possibilitate, utilitate bonorum operum, sc. capita 4. 5. 6. 7.

## Confutatio.

Profecto, ut id quod res est fateamur, quae hoc loco in responsionem affertis, pleraque sunt huiusmodi, ut non tam mendaciter et false dicta sint, ut erant ad proximum articulum responsa, apud eruditos intellectu sano per distinctionem accepta, quam imprudenter ac minus circumspecte aut potius subdole ac fraudulenter ad plebem absque omni distinctione cum maximo ipsius offendiculo disseminata; in gratiam quidem eius, at cum summa aeternae salutis iactura. Nam si non, ut gentium philosophi aut Pharisaei Iudaeorum, loquamur, nempe de iustitia, qua in conspectu
Rom. 10. Phil. 3. hominum iusti habemur, quam Apostolus nostram sive suam cuiusque iustitiam, sive iustitiam ex lege vocat, Scholae vero iustitiam **acquisitam**, utpote proprio cuiusque marte, studio et labore partam, legem observando litera, non spiritu; verum sicuti Christianis et Evangelicis Theologis par est, de iustitia ea, qua iusti coram Deo iudicamur, quam eisdem in locis idem Apostolus iustitiam Dei nominat, Scholae autem iustitiam **infusam**, quippe qua superne mentibus nostris illapsa a Deo, et apud Deum per Iesum Christum iustificemur: sane huiusmodi iustificatio **prima** atque **inchoata**, — qua primo scilicet ex iniustis et filiis gehennae incipimus esse iusti et filii regni, de qua iustificatione illud de publi-
Luc. 18, 14. cano (80) dictum intelligitur, quod *descendit iustificatus in domum suam,* — ea nobis donatur gratuita Dei beneficentia per unius Iesu Christi meritum, citra meritum sive opus nostrum praecedens gratiam et charitatem, qua iusti, filii Dei et haeredes regni effici-
Rom. 4, 4. mur. Nam alioqui iam non esset gratia dicente Apostolo: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secun-*
Rom. 11, 6. *dum debitum;* et rursum: *Quod si per gratiam, non iam ex operibus. Quandoquidem gratia non iam est gratia;* imo certe quod Christus ut nos iustificaret mortuus est; si talis iustificatio
Gal. 2. ex operibus nostris praecedentibus esset, frustra Christus mortuus esset; atque hoc quod dicimus verum est, non de operibus modo ceremonialibus Mosaicae legis huiusmodi iustificationem antecedentibus, quae Paulus opera legis appellare solet, utpote ad quae soli Iudaei pro tempore legis Mosaicae obstricti erant, et de quibus potissimum in Romanis loquitur et in Galatis, docens omnes legis ceremonias, posteaquam Evangelii lux orbi coruscavit, evanuisse veluti

futurorum umbras idque contra pseudoapostolos, qui Romanos et Galatas in legis servitutem adducere conabantur asserentes, citra legis observationem ad salutem Evangelium non satis esse, unde sic ad Romanos ait: *Ex operibus legis non iustificabitur in conspectu eius omnis caro.* Et paulo post inibi: *Arbitramur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Ad Galatas vero sic ait: *Scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Et post pauca ibidem: *Nam si per legem iustitia, igitur Christus frustra mortuus est.* Non solum hoc quod diximus verum est de operibus ceremonialibus, sed etiam moralibus primam iustificationem praecedentibus, ad quae omnes cuiuscunque tandem nationis homines sub omni lege, naturae, scripta et gratiae obstringuntur. Unde Paulus ad Ephesios (81) universaliter pronuntians, quem hic locum citatis: *Gratia,* inquit, *estis servati per fidem, idque non ex vobis; Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.* Et ad Titum simpliciter idem efferens: *Postquam,* inquit, *bonitas et erga homines amor apparuit servatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae nos faciebamus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Alibique saepius in eandem sententiam de quibuslibet operibus iustificationem antecedentibus generali sermone pronuntiat. Nam Iudaei in ea erant opinione, et nonnulli ex circumcisione pseudoapostoli (quibuscum Paulo Apostolo doctori gentium ubique negotium fuit) ad Iudaismum homines nusquam non illicientes, docebant se legis observatione Christi gratiam promeruisse, ideoque gentes, quae in idololatria vixerant, aut excludendas ab Evangelii consortio, aut ceremonias Mosaicae legis una cum Evangelio etiam ab ipsis esse custodiendas; hoc autem velut omnium longe impiissimum et Christi mortem evacuans quam acerrime oppugnans, cunctis quorumcunque hominum operibus ante gratiam Christi factis, atque gratia Christi exclusa iustificandi vim adimit, docens omnes tam Iudaeos quam gentes ante [1] Christi gratiam esse peccatores, Dei misericordia iustificari per fidem in Christum Iesum sine operibus nostris praecedentibus. Atque hoc quidem verum est, non posse nos iustificare praecedentia gratiam opera nostra, non solum ab hominibus impe-

Rom. 3, 20. 28.
Gal. 2, 16.
Gal. 2, 21.
Eph. 2, 8. 9.
Tit. 3, 4. 5.

[1] Istud « ante » non tempore, sed cogitatione est accipiendum, ac si diceret « *sine* gratia Christi », quae utique etiam ante tempora Christi tum Iudaeis tum gentibus offerebatur.

rata, sed (uti recte dicitis) nec ipsa quidem quae Deus ipse praecepit, quantumlibet speciosa coram hominibus apparuerint.

At e diverso iustificatio etiam illa, qua coram Deo iusti ha-
Iac. 2, 22. bemur, verum **secunda**, et ut Iacobus inquit, **consummata**, qua videlicet ex iustis iustiores et ex sanctis efficimur sanctiores, de qua
Apoc. 22, 11. illud Apocalypseos intelligitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, opera nostra (82) primam iustificationem consequentia iam ex gra-
Matth. 25. tia et charitate profecta, necessario exigit, ne talentum nobis a Deo traditum defodientes in terram et pecuniam domini nostri abs-
2. Cor. 6. condentes in vacuum gratiam Dei accipiamus, sed ad usuram exponentes negotiemur in eo, ut nonnihil insuper lucremur, quod domino cum foenore aliquando reddamus, sic ambulantes, ut gratiae usu et exercitio, gratia magis abundemus et divites fiamus in
Matth. 25, 29. bonis operibus: *Omni enim habenti*, scilicet ut oportet, id est, utenti gratia, *dabitur et abundabit*. — Hoc autem ita perspicuum est, ut soli facem videatur accendere velle, qui eam in rem scripturarum velit adducere testimonia, quorum vel tota plaustra huc advehi possent, quandoquidem scriptura nusquam non et praeceptis et exemplis bonorum operum scatet, id quod vel decalogus solus nulli non cognitus abunde omnes docere poterat, ad quem, ut ante diximus, universa bene vivendi praecepta referuntur, utpote bonorum operum praecepta continens, ut nescio mirarine magis inconstantiam, an stultitiam potius ridere debeam eorum concionatorum, qui, postquam crepantibus buccis praedicarunt solam fidem et bona opera condemnarunt, in calce tamen ad populum e suggesto decalogum et orationem dominicam referre solent, non animadvertentes haec pugnare vel ex diametro, cum certe unus ipse Apostolus huic operum distinctioni, nempe **praecedentium** atque **sequentium** fidem abunde fecerit. Nam is maximus alioqui gratiae et fidei buccinator ubique tamen omnes epistolas morali loco plerumque concludit, annectens fere tractatis fidei negotiis praecepta bonorum operum, id quod cum in aliis tum in eis, quae sunt ad Romanos et Galatas, maxime videre licet. Nam postquam illic ex professo vim iustificandi operibus gratiam praecedentibus ademisset, versus finem tamen utrobique ad moralem locum transiens praecepta bonorum operum praescribit. Quid, quod Apostolus ipse ad Romanos quasi scrupulum* hunc opera dedita eximere volens, antequam perveniat ad locum moralem, interea bis obiectioni, quae

* scriptum.

fieri posset (83) adversus opera, per antipophoram occurrens, ubi docuisset per fidem nos absque operibus nostris praecedentibus iustificari, ad bona nos hortatur opera, consequentia videlicet cap. 6, quod vos hic perperam velut de praecedentibus operibus dictum affirmatis, et cap. 8. Quocirca, nisi forte sanctos Dei homines, prophetas, Apostolos et Evangelistas inter sese, imo Paulum vel potius in ipso Dei spiritum more vestro secum pugnare credatis, velitis nolitis, hanc et iustificationis et operum distinctionem admittatis oportet, nimirum ex operibus **antecedentibus** non esse **primam** iustificationem et inchoatam, quae est ipsius iustitiae a Deo per Christum infusio; at **secundam** et consummatam, quae est profectus et augmentum eiusdem, una cum gratia Dei ex operibus nostris **consequentibus** esse atque (ut in summa dixerim) opera nostra non generare iustitiam, qua coram Dei iusti habemur, at una cum Dei gratia ipsam augere, consummare ac perficere.

Verum enimvero, quod neutiquam in hoc argumento praetereundum censeo, ne ipsa quidem opera bona gratiam antecedentia tanquam ad nihilum utilia contemptui habenda sunt et negligenda. Nam Deus optimus maximus, cuius *miserationes super omnia* Psalm. 144, 9.
*opera eius,* quemadmodum ex iustitia sua nullum in orbe malum relinquit * impunitum, ita multo magis ex sua misericordia nullum in mundo bonum, ne *poculum* quidem *aquae frigidae* irre- Matth. 10, 42.
muneratum relinquit. Quo fit ut quae facimus opera quoquo modo bona, antequam gratia Dei iustificati sumus, non solum mereantur apud Deum aut supplicii mitigationem in futura, aut in praesenti vita temporarium aliquod commodum, sed etiam nos ad gratiam et iustitiam disponant atque praeparent, ita scilicet, uti nos non dignos quidem ea, sed ad eam idoneos reddant, atque ut Deus quidem eam nobis non e iustitia sua debeat, sed ut ad eam nobis largiendam e benignitate sua exstimuletur, dum considerat nos pro virili nostra facere, quod in nobis sit[1]. Quorsum enim alias pertinerent

* reliquit.

[1] Doctrina est catholica, omnem dispositionem ad iustificationem esse effectum divinae motionis gratiae actualis, et ideo « iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum proveniente gratia sumendum esse ». (Trid. Sess. 6. cap. 5. can. 3.). — Auctor noster hic et in sequentibus videtur quidem nimis addictus doctrinae *Scoti* de valore dispositionis naturalis ad iustificationem. Attamen considerandum est ipsum, quantumvis agat de operibus *gratiam* (sc. sanctificantem) *et iustificationem praecedentibus,* non loqui de operibus *omnem*

toties in utroque testamento repetitae peccatorum ad poenitentiam
1. Reg. 7, 3. exhortationes? veluti cum dicitur: *Praeparate corda vestra Deo;*
Matth. 3, 2. rursus: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelo-*
Prov. 16, 1. *rum,* et id genus (84) propemodum infinita? Nam *hominis est*
(uti Salomon inquit) *animam praeparare.* Qui enim se toto conatu
convertit ad Deum, rursus ad hunc se Deus convertit, ipso per
Zach. 1, 3. os Zachariae dicente: *Convertimini ad me, et ego convertar ad*
*vos;* et qui obviat illi, huic se iterum praebet obvium, dicente
Iac. 4, 8. beato Iacobo: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Nulli
enim in peccatis suis perseveranti, veluti obicem ponenti, gratia spiritus sancti confertur. Quamobrem vel ipsa quoque opera bona, quae gratiam sunt antecedentia, quadamtenus homines iustificant, nimirum ut ad eam praeparantia et disponentia.

Ceterum duo quae in calce adiicitis, huiusmodi sunt, ut alterum quod insinuatis, omnino sit a veritate alienum, nempe Deum respicere tantum opera a se imperata. Deus enim nobis praecepit, ut non sibi tantum obediremus, verum etiam maioribus nostris tam secularibus quam Ecclesiasticis, quemadmodum sub articulo praecedenti [1] de Christiana libertate paucis attigimus. Quapropter opera bona, ut a Deo, ita ab homine imperata, etsi non aequaliter, tamen similiter, ad iustificationem sub dicta iam distinctione conferunt. Porro quae in oppositum adducitis ex Esa. cap. 29. et Matth. 15., dicta sunt, ut ibidem quoque respondimus, de praeceptis hominum divinae legi contrariis. — Alterum vero, quod exprimitis, nempe Deum respicere opera in Christianis hominibus a fide profecta et a se imperata, est tale, ut distinctione opus habeat. Nam si de sola fide, quemadmodum vos loqui soletis, dictum intelligatis, hoc est de fide otiosa, ficta, mortua, sterili ac informi, falsum esse ex dictis sub praesenti articulo (ni fallor) abunde constat,

---

gratiam, adeoque etiam solam *actualem* praecedentibus: hanc enim nobis saltem supponere videtur, et de ea in *Ench.* (D 4 b) expresse docet sequentia: « Dedit leges et mandata, quae quanquam caro horreat irascens, ea tamen animus volens amplectitur *proque virili sua* iis obtemperat. Id ut commodius fiat, sese gratiae *pulsanti* accommodat. Quae omnibus obvia est, modo instent, modo velint, modo *id praestent quod in se est* ». Et cap. 38. N 4 b: « Si tamen *praestiterit quod in se est,* satis fecisse videbitur, tunque aderit illi *cooperans* gratia ». Hinc elucet, eum cognovisse gratiam *actualem pulsantem* seu praevenientem, quae opus bonum incipit, et gratiam actualem *cooperantem* operi bono. — Cf. infra 125. 126.

[1] Supra 104.

nisi tum accipere velitis iuxta tertium praedictae distinctionis membrum, nimirum ut ad iustificationem quoquo modo praeparatoria. Sin vero accipiatis de fide operosa, quae per dilectionem operatur, non ficta, viva, fecunda et formata, verum esse quidem confitemur, idque iuxta secundum praedictae distinctionis (85) membrum, scilicet ut iustitiam augentia et consummantia, sed hanc fidem non esse solam sub articulo quoque praecedenti [1] ostendimus. Atque hoc probant duo priora quae adducitis exempla, nempe Abelis et Abrahae opera ex tali fide profecta. Verum in tertio exemplo stulti homines ipsi vobiscum aperte pugnatis, dum et appellatis Centurionem Ethnicum, quod res est, et simul asseritis opera ipsius e fide profecta, quod priori non consistit [2]. Omnis namque Ethnicus infidelis est. Quare iuxta communem doctorum sententiam Deus opera eius respexit, tanquam tertio praedictae distinctionis modo iustificantia, nimirum ut ad iustitiam tantummodo et gratiam dispositiva.

Sed ut huic finem articulo tandem imponamus, cum et veritate rei et scripturae evidentia coacti negare non possitis, hominem adultum et rationis compotem et bene faciendi opportunitatem nactum absque bonis operibus neque iustificari neque servari posse, tamen aurae popularis captandae gratia citra omnem distinctionem publice docetis ac praedicatis, solam iustificare fidem eamque ultro bona secum afferre opera, non animadvertentes et a regio propheta dictum: *Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent,* Psalm. 52, 6.
et a beato Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus* Gal. 1, 10.
*haudquaquam essem.* Porro quam est populare vestrum istud dogma, tam contra scelestum est ac impium. Nam cum virtutis laus omnis in actione posita sit, quid aliud est damnare bona opera, quam universam semel virtutem atque honestatem de mundo tollere? Quot, bone Deus, ex ista fidei praedicatione vestra orta sunt his temporibus vel multorum quoque pusillorum offendicula, ut eis in locis, ubi factio vestra grassatur, non solum nulla honesti ratione habita quam licentissime vivatur, verum etiam nonnulli non * pa-

* « non » deest.

---

[1] Supra 113 sq.

[2] Quod auctor hic dicit de Centurione, sc. eum fide supernaturali caruisse, falsum est, ut probatur communi doctrina theologorum. Ipse S. Thomas ex. gr. contrarium docet 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3.

rum asserant sese dolere, unquam boni quicquam a se (86) factum esse, et vicissim opera sua bona per contemptum in symposiis [1] re vilissima quaque divenditent, atque concionatores vel tecte [2] ac oblique ad bonorum exhortantes studium, nempe vel sub imitatione Christi vel sub carnis mortificatione vel quovis seculi modo e suggesto, vernaculis cantionibus exsibilent. Quo tandem seculo aut qua in gente ab orbe condito audita est tam barbara impietas? Matth. 24. Nihil opus erat his extremis diebus, quibus fore Christus praedixerat, ut refrigesceret charitas, et abundaret iniquitas, populo plus satis ad bona opera torpescenti, frigidam (ut aiunt) aquam suffundere. Quin potius semper et ubique opera bona vel citra distinctionem erant inculcanda, quando nullum opus quoquo modo bonum, uti ostendimus, inutile sit et vanum, ita ut non modo Deus respiciat, sed aliquo etiam praemio dignetur. Hoc autem Ecclesia, ceu mater filiorum suorum curam assidue gerens, quam diligentissime observat, utpote nobis in fide natis, educatis et institutis, fere per anni circulum in Evangeliis et Epistolis mores Christiana vita dignos et opera bona proponens; aut si quando sit in Evangelio fidei commendatio, tunc in Epistola plerumque moralis locus tractatur, ne fidei praetextu ansas desidiae quaerentes a studio bonorum operum torpescamus. Quod si quando fiat, vos destinata malitia supprimentes Epistolam tantum Evangelium proponere soletis. Itaque cum duos istos de fide et operibus articulos citra omnem fidei, operum et iustificationis distinctionem (certe quod negari non potest) cum maximo Christianae plebis offendiculo iamdudum praedicetis, atque Hieronymus. (si Hieronymo credimus) ex verbis inordinate prolatis oriatur haeresis, nonne vel optimo iure hi quoque duo articuli tanquam non solum haeretici maxime, sed etiam omnium scelerum ac flagitiorum uberrimi fontes obiecti fuere?

A quibus haereticis veteribus error hic sit desumptus. Verum neque hic est, quod in malitia vestra gloriemini; non enim novum et vestrum est istud de sola fide commentum, quin error vetustissimus quorundam pseudoapostolorum viventibus etiamnum Apostolis e quibusdam obscuris (87) et difficilibus epistola-

---

[1] *Meth.* T 8[b]: Si totas noctes atque dies *symposiis* vacandum.

[2] « *Tecte, tectius* » occurrit pp. (103. 112. 117. 119. 182. 184. 190). « *Abdita* » religionis supra 30. Cf. *Mon.* A 3: Promissiones praecesserant, modo obscurius, *abditius, tectius,* modo explanatius et luculentius. Et C 7[b]: *Abditiores* scripturae locos.

larum Pauli sententiis exortus, contra quem aliae epistolae Apostolicae Petri, Ioannis, Iacobi et Iudae maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem absque bonis operibus haudquaquam ad salutem hominis sufficere. Testis est Augustinus in eo libro, cui titulum de fide et operibus indidit cap. 14., quo volumine toto et ipse hanc ipsam haeresin ex professo confutavit.

## ARTICULUS QUINTUS.

Non esse homini liberum arbitrium, sed absoluta necessitate contingere omnia [1]. **De libero hominis arbitrio.**

### Responsio.

Quae libertas sit in nostro arbitrio quotidie experimur; praeterea caecos et imperitos esse nos scriptura docet et ex nostra natura Deum (sicuti est) minime cognoscere Io. 1. et 9. Quomodo igitur voluntarie colere possumus Deum, quem per nostram naturam et revelationem carnis et sanguinis non cognoscimus? Quare Paulus ad Phil. 2. ait: Deum in nobis non perficere solum, sed etiam bene operandi in nobis creare voluntatem pariter et cogitandi 2. Cor. 3. Dicit etiam Christus Io. 6., quod *nemo ad Deum venit nisi tractus a patre*. Est * Deus igitur, *qui omnia* in omnibus *operatur, secundum suae* divinae *voluntatis consilium* Eph. 1. Et capillus capitis nostri non cadit ** in terram, neque passerculi, qui per tractum aëreum volant, sine Dei voluntate Matth. 10.

### Confutatio.

Totum fere quod et ad hunc et ad cohaerentem ei proximum articulum [2] respondetis, extra cautionem agitur, uti fertur in proverbio, atque ita sane a vobis dictum est, quasi neutrius articuli vim, quod et credo, satis quid sibi velint, intellexeritis. Nam signifer iste vester, Martinus Lutherus, primo quidem de libero arbitrio cum gratia collato in humanis tantum actibus bonis et malis dispu-

* Estne. ** cadat.

---

[1] *Ench.* c. 38 docet: Liberum arbitrium esse in homine, quo sese Dei generali influxu adiutus potest et gratiae accommodare et cooperari et praeparare.

[2] Infra 128.

tans, ipsum dimidiavit * asserens, liberum arbitrium et ante gratiam sub peccato non posse nisi peccare tantum, etiam dum faceret (88) optimum quod in se foret, et post peccatum sub gratia tantum moveri, duci et pati, agere vero gratiam Dei totum et omnino hoc, quicquid sit boni, quod tum fit in nobis. Deinde periculosissimam disputationem illam ingressus de libero arbitrio cum divina providentia comparato in quibuslibet omnium creaturarum actionibus Dei providentiae subiectis, mandrabuli (ut aiunt) more [1] pro-
2. Tim. 3, 13. ficiens, qui haereticorum mos est dicente Apostolo: *Mali homines et impostores proficient in peius*, ipsum prorsus iugulavit affirmans, ob immutabilem Dei providentiam de omnibus, quaecunque in toto fiunt orbe, absoluta necessitate fieri omnia [2]; atque hoc est, quod vobis et praesenti et sequenti articulo obiicitur. Vos autem quasi vel ipsas voces non intelligentes. qui tantam alioqui vobis Theologiae peritiam arrogatis, fere respondetis tantum de libero arbitrio cum gratia collato.

Quapropter, ut paucis ad vestra tanquam ad rem non pertinentia respondeam, principio, quia quotidianam adducitis experientiam contra liberum arbitrium, quanto certius, Deum immortalem, experientia vos docuerit nativam arbitrii nostri libertatem, de qua sunt hi duo articuli, si quis e consilio Ethnici cuiusdam philosophi adversum eos, qui absoluta necessitate praedicarent evenire omnia, arrepto fuste valido costas vestras eo usque durissimis pulsaret ictibus, quousque vel doloris acerbitate confiteremini in libera ferientis potestate, retrahere fustem atque cessare. — Deinde vero quod obiicitis, quod sicuti per naturam nostram Deum absque gratuito ipsius munere cognoscere non possumus, nimirum quatenus oportet atque humanae saluti necessarium est, utpote iuxta scripturam caeci et imperiti natura omnes, ita quoque sola voluntate nostra seu libero arbitrio citra Dei gratiam et auxilium digne ac,

* dimidiaverit.

---

[1] Annales Novesienses apud Marten. tom 4. Ampliss. Collect. col. 670: *Mandrabuli* equidem more res mecum successerunt. Eram enim ante in quietiori loco constitutus... Hic inter armorum strepitus vivitur. (Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis. Paris 1845. 4° IV. 224): — Hic vero « Mandrabulus » nihil aliud videtur esse nisi vocabulum danicum: « Manddraber » (scribitur a Paulo Heliae: « *mandrabere* » apud *Secher,* Povel Eliesens Danske Skrifter 477) = occisor. Sequitur enim paulo infra: « ipsum prorsus *iugulavit* ».

[2] Cf. infra 134 sq.

ut aequum est, non possumus eundem colere: — quis unquam catholicus alterutrum negavit? quis de alterutro horum aliter sensit, aliter docuit, aliter scripsit, aliter praedicavit? Nam illa quidem cognitio Dei non nisi per fidem (quae utique *Dei donum est*) unius Ecclesiae catholicae habetur; (89) hic vero Dei cultus non fit nisi per gratiam et charitatem, quam et ipsam vel summum esse Dei munus ex doctrina Apostolica quis ignorat? Hinc Ecclesia in solemnibus illis orationibus, quas vulgo collectas appellitant, palam et aperte profitens divini muneris esse, ut digne ac laudabiliter a fidelibus ei serviatur [1], neque posse quenquam placere Deo sine ipso: magna ex parte in divinis officiis dominicalibus per anni circulum nihil aliud, quam gratiam et auxilium implorat et cogitandi et agendi quae recta sunt. At quid haec contra liberum faciunt arbitrium, cuius est, per fidei donum imperare humanae rationi, ut his, quae nativum eius captum excedunt, quorum est fides, assentiatur, et ut Paulinis utar verbis, *in captivitatem* redigere *intellectum ad obedientiam Christi,* per donum vero gratiae et charitatis imperare cunctis animae viribus, ut suo quaque fungente officio digne laudabiliterque creatori nostro serviamus, diligentes dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, ex tota anima nostra et ex tota mente nostra, atque proximum nostrum sicut nos ipsos; hoc est, ut brevissime dixerim, liberi arbitrii est, tum fidei dono assentiri, tum uti et cooperari dono gratiae seu charitatis.

Eph. 2, 8. — 1. Cor. 13. — 2. Cor. 10, 5.

Porro quod hic loquimini de cognitione Dei, qua sicuti est cognoscitur, id est, in essentia sua videtur, ignorantissime dictum est. Non ea cognitio non est viae praesentis, at futurae coelestis patriae, neque meritum, at praemium dicente beato Ioanne de Deo: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Iam vero quod profertis ex Apostolo tum ad Philippenses 2.: *Deus est qui agit in vobis, et ut velitis et ut efficiatis, pro bono animi proposito;* tum 2. Cor. 3.: *Non quod idonei sumus ex nobis ipsis cogitare quicquam tanquam ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est,* — quid, obsecro, uterque hic locus aliud probat, quam praedicta iam ratio vestra, nempe nos egere gratia Dei tum praeveniente ac operante, qua ad bonum exstimulemur moveamurque, ut cogitemus, velimus atque valeamus operari quae recta (90) sint, tum cooperante ac

1. Io. 3, 2. — (Phil. 2, 13.) — (2. Cor. 3, 5.)

[1] Dom. XII. p. Pentecosten.

subsequente, qua confortemur adiuvemurque, ut eadem perficiamus et in eis perseveremus. Verum hoc quis vel mediocriter eruditorum aut nescit aut negat, quando publica quadam oratione quotannis ita precatur Ecclesia: « Tua nos, quaesumus Domine, gratia semper praeveniat et sequatur, ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos [1] ». At in quo libero arbitrio haec derogant, cuius est, et inspirationi gratiae praevenientis acquiescere et gratiae subsequentis motioni collaborare seu cooperari? Deus enim iuxta vetus adagium laborantes adiuvat; hoc autem, quod dicimus, ea quae utrumque locum adductum circumstant, si nihil aliud, satis declarare poterunt. Nam in Corinthiis, posteaquam adversus pseudoapostolos ministerium apostolatus sui commendaverat, verba modo adducta subintulit, quibus vanae gloriae vitandae gratia omnium a se factorum Deum quidem facit auctorem, principem et causam, at se ministrum et cooperatorem, continenter addens: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti* etc. In Philippensibus autem et protinus ante verba iam citata praemiserat: *Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem operemini:* et continuo post eadem adiunxit: *Omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus* etc. Videtisne, quo pacto iuxta doctrinam Apostolicam adeoque secundum omnes divinas literas eadem nunc Deus, nunc homo facere dicitur, manifesto nimirum argumento, liberum hominis arbitrium in bonis operibus Dei gratiae ceu principali causae secundo loco ac ministerialiter cooperari. Denique prorsus eiusdem farinae est, quod ex Ioannis cap. 6. sequitur: Nam etsi *nemo venit ad* Christum, *nisi pater coelestis traxerit illum* per gratiam operantem et cooperantem, praevenientem et subsequentem, tamen acquiescere tractui * (Deus enim neminem trahit nolentem) et non obdurare corda nostra, si vocem eius audierimus, et statim pulsanti ostium aperire, hoc est liberi arbitrii et humanae voluntatis, quemadmodum iam saepe repetivimus.

[Marginal references: 2. Cor. 3. — (2. Cor. 3, 6.) — Phil. 2, 12. 14. — (Io. 6, 44.)]

(91) Ceterum audiamus, quod ex his omnibus contra liberum arbitrium concluditur: « Est ** Deus igitur, qui *omnia* in omnibus *operatur secundum divinae suae voluntatis consilium* » Eph. 1. O conclusionem egregiis scilicet Theologis dignam: Deus *operatur omnia* in omnibus; igitur homo nihil operatur libero suo arbitrio.

[Marginal reference: (Eph. 1, 11.)]

* tractatui. ** Estne.

[1] Dom. XVI. p. Pentecosten.

Profecto non magis haec argumentatio homini adimit liberum arbitrium, quam vel avi volatum, vel pisci natationem, vel armento vel pecori gressum, atque adeo suum cuique creaturae officium. Nihil enim in tota rerum natura feriatur ac torpet. Nam Paulus in universum pronuntiat, Deum omnia in omnibus operari, generaliter omnes actus creaturarum omnium complectens. Liberum autem arbitrium id est, quo ceteris homo creaturis anteit; nimirum ut dominus suorum actuum libere operatur *. Quanquam hoc ex Ephesiis adductum cum illo, quod ex Matth. cap. 10. in calce adiicitur, magis pertinet ad liberum arbitrium cum Dei providentia collatum. Nam Paulus ait, consilio divinae voluntatis (quam vocamus providentiam) in omnibus fieri omnia. Quod ipsum Christus apud Matthaeum, loco per vos allato confirmans, docet exemplo passerculorum et capillorum id usque adeo verum esse, ut etiam minutissima quaeque in toto mundo Dei providentiae subiecta sint, ita ut ne folium quidem arboris sine Dei nutu decidat. Quapropter, ut in summa rem totam complectamur, et ineptiae vestrae detegantur apertius, omnium vestrarum hic argumentationum vis in ea sita est: Liberum hominis arbitrium nihil boni aeterna ** vita dignum sine gratia Christi operatur; item: Nihil omnino in universo orbe contingit absque Dei providentia; igitur non est liberum hominis arbitrium. Quis vero huiusmodi nugas non exsilibet potius, quam responso dignetur? Quod si haec ex animi sententia tanquam graves et seriae responsiones a vobis adducantur, indigni plane estis ob ignorantiam, quibuscum sacris de rebus verba fiant. Sin vero (92) aliter sentientes istiusmodi cavillis ceu fumo aut pulvere simplicium oculis obiecto eos exoculare conemini, contra profecto estis digni ob malitiam, qui mola asinaria collo alligata in profundum maris demergamini, tot pusillorum millia quotidie offendentes, quando Christus eum, qui vel unum ex pusillis offenderit, eo supplicii genere dignum statuit.

At fortasse quis vestrum paulo doctior hic obiecerit, fieri non posse, ut Dei providentia vel mutetur vel fallatur. Proinde, si cuncta fiunt in orbe divinitus provisa, necessario eveniunt omnia; ubi ergo liberum hominis arbitrium? Obiectio.

Hic quam strictissime respondemus, immutabilem infallibilemque Dei providentiam indere quidem rebus necessitatem conditionis, at simplicem et absolutam minime; illam quoque necessitatem con- Dilutio.

* operetur. ** externa.

**sequentiae**, hanc vero **consequentis** diatribae Theologorum appellitare solent. Quod uti lucidius evadat, rem ipsam exemplo illustrare non gravabor. Si praescivit dominus Deus futurum, ut in haeresi vestra moriamini, necesse est ita fieri: en **consequentiae** necessitatem ex adiecta conditione subiectam. At **consequens** istud: Vos in haeresi vestra moriemini, simpliciter, absolute et omissa conditione prolatum haudquaquam est necessarium, quemadmodum absolute dicimus: Necessum est Deum esse, coelum necessario moveri et id genus alia. Potestis enim adiuti divina gratia, id quod et opto et spero, a diaboli laqueis aliquando resipiscere. Atque consimilem ad modum de ceteris omnibus, quae a libero hominis arbitrio proficiscuntur, intelligendum.

## ARTICULUS SEXTUS.

Igitur non esse in potestate * hominis facere quicquam vel omittere.

### Responsio.

Quaedam sunt opera, quae pro naturae nostrae necessitate a nobis facienda Deus constituit, simul atque in hanc lucem ab utero matris sumus egressi, videlicet edere, bibere, ambulare, quiescere cum aliis naturae operationibus, quae omnia prorsus inutilia sunt et Deo ingrata, quamdiu nobis nos relinquimur, (93) quales nati sumus. Nam *mala arbor* non nisi *malos fructus* producit. Matth. 7. Sed quem Deus novum hominem secundum spiritum efficit, eundem potentem facit ad operandum ea, quae apud Deum bona sunt et accepta. Gal. 5. Quae tamen nostris viribus non feramus accepta, sed Dei beneficentiae, quae nos ad ea opera potentes reddit et confortat, ad Philippenses quarto.

### Confutatio.

Quemadmodum in fronte praecedentis articuli diximus [1], et hic oberratis eadem (ut aiunt) chorda [2], nihil adversum respondentes.

* Igitur non omnem potestatem.

---

[1] Supra 116.

[2] *Ench.* Q 5 b: Lutheranorum synagoga nihil non videtur in dubium revocare, *quamlibet* sanctum, *quamlibet* ab orthodoxa Ecclesia receptum, et hanc

Nam et hoc articulo, ceu superiori connexo vobis obiecto de libero arbitrio, qua parte cum Dei providentia confertur, vos hic solum respondetis de ipso, qua parte cum gratia Christi comparatur; verum hoc interest (ni fallor), quod illic mihi egisse videmini rationibus atque scripturis adductis, praeter posteriora duo loca, de libero arbitrio post peccatum sub gratia iam constituto, quasi pro hoc statu homo tantum agatur spiritu Dei patiaturque solum in omni opere bono, Deus vero solus prorsus operetur, cum alioqui nihil minus a vobis effectum sit, ut ostendimus et aliquanto post nonnihil adiiciemus; hic vero mihi agere videmini de arbitrio libero ante gratiam sub peccati adhuc onere depresso, subindicantes et approbare conantes, omnia hominis opera gratiam antecedentia esse inutilia, Deo ingrata et peccata, veluti malos fructus malae arboris, donec per gratiam novus homo secundum spiritum effectus in Christo potens reddatur ad operandum ea, quae apud Deum bona sint et accepta. Istud autem esse falsum et erroneum, quanquam ex his quae sub articulo quarto [1] de bonis operibus disserta sunt, abunde constat, hic tamen ad errorem longe periculosissimum et quoddam desperationis barathrum funditus exterminandum, paucula non gravabimur adiicere. Nam iuxta Evangelicam parabolam hominis ab Hierosolymis in Hierico descendentis et in latrones lapsi, a quibus et spoliatus et vulneratus semimortuus ab eis derelictus est, — humanum genus peccato donis quidem gratuitis privatum est omnibus, at in naturalibus (94) tantummodo vulneratum, non etiam occisum [2]. Quo fit, ut

---

proscriptam haeresim refricat dicens rebaptizandos eos, qui pueri baptismum... rite susceperint: quos tota *chorda* vel ob id delirare *in confesso est.*

[1] Supra 115 sq.

[2] *Ench.* c. 38: (Statum peccato nondum infectum) transgressus legem perdidit... non quod totus enecatus sit, sed (ut *habet Evangelii parabola*) Nb *semivivus* relictus est, laesis videlicet viribus. Iuvatur in hoc statu (calamitoso) partim natura duce,... partim gratia praeveniente et cooperante... Etiam philosophi deprehenderunt invisibilia Dei (Rom. 1, 19; 2, 14; Sap. 23). In eo statu et orationes *Cornelii* conscendisse in coelum dicuntur, quanquam necdum Christo initiatus esset (Act. 10, 4). Quo consequitur, non omnia quae gentes agunt, modo rationis ductum sequantur, esse impia, esse peccata... *Ass.* 58: Sunt nonnulla opera etiam apud Ethnicos et infideles, quibus operantes, etsi non mereantur felicitatem aeternam, non sunt tamen peccatum mortiferum secundum exactam peccati rationem. Quin iis contingit nonnunquam *praeparatio ad vitam,* cuiusmodi sunt honor parentum, misericordiae viscera in pauperes naturae ductu elicita. — Cf. supra 119. 121.

Psalm. 4, 7. per naturae lumen (de quo et regius propheta: *Signatum est,* inquit, *super nos lumen vultus tui, domine;* et sublimis Evangelista: *Erat,* inquit, verbum Dei *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*), utpote duntaxat obscuratum, non autem prorsus extinctum, possit in qualem qualem veri Dei creatoris sui notitiam et religionem assurgere. Quod enim ad cognitionem attinet, Paulus de philosophis gentium attestatur: *Hoc,* inquiens, *quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis.* Quod vero ad cultum Dei pertinet, idem testatur de gentibus loquens: *Gentes enim quae legem non habent, natura quae legis sunt faciunt* etc. Vide, quemadmodum in Actis referat beatus Lucas: Athenis, celeberrimo quodam in toto terrarum orbe secularis philosophiae domicilio, ara *ignoto Deo* inscripta fuit, quem Paulus illuc veniens eis annuntiavit. Proinde sicut homo natura Deum cognoscere, ita quoque ipsum colere quadamtenus potest, sed non per omnia, uti necessarium est et humanae salutis ratio postulat. Quamobrem, etsi solius arbitrii nostri virtute haudquaquam efficere possumus aeternae vitae merita seu opera coelesti praemio digna, tamen facere possumus opera suo quodam modo bona, quae Theologorum coronae opera moraliter bona, id est, bonos mores, de quibus gentium philosophi scripsere, appellitant, quae non modo non sint peccata, sed nec inutilia nec Deo ingrata, quin immo talia, quae non solum mereantur aut post hanc vitam poenae mitigationem aut temporale aliquod praemium in vita praesenti, verum etiam quae a Deo respiciantur tanquam disponentia et praeparantia ad gratiam atque gloriam [1], cuiusmodi fuisse feruntur orationes, eleemosynae illius Cornelii Centurionis adhuc Ethnici [2], quemadmodum sub articulo quarto nonnihil attigimus [3], et mox iterum parum de ea re loquemur. — Porro quod hic opponitis malae arboris non esse nisi malos (95) fructus, verum esse quis negat? Sed quid tum postea? non enim mala arbor intelligitur mala hominis natura; nullius enim creaturae iuxta orthodoxam Ecclesiae fidem natura est mala, id quod Manichaeus asseruit; sed mala voluntas sive propositum, unde non

Marginal references: Psalm. 4, 7. — Io. 1, 9. — Rom. 1, 19. — Rom. 2, 14. — Act. 17, 23. — Act. 10, 4.

---

[1] « Haec dispositio et praeparatio ad gratiam et gloriam a Deo respecta » iuxta communiorem theologorum sententiam non est nisi *negativa,* quae sc. removet obstacula. Exemplo vero Cornelii Centurionis *non* probatur *positiva* praeparatio, quia non constat, eius orationes et eleemosynas *sine* ulla gratia fuisse factas.

[2] Cf. not. praecedentem.

[3] Supra 121.

possunt nisi mala quoque procedere externa opera, quemadmodum Christus apud Matthaeum de oculo simplici et nequam docet. At nullus hominum tam est deploratae malitiae, qui non vel aliquando bonam habeat voluntatem ac intentionem. — Quam denique admonitiunculam in calce annectitis, tanquam salutarem perlubenter amplectimur. Nempe si qua fiant in nobis opera bona post gratiam, ea non oportere viribus nostris accepta ferri, sed Dei beneficentiae, quae nos ad ea opera potentes reddidit et confortavit. Novimus enim in bonis operibus domino cum psalmographo[1] cantillandum: *Non* Psalm. 113, 1.
*nobis, domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam,* idque Apo- Hier. 9.
stolo nos docente: *Qui gloriatur,* inquit, *in domino glorietur.* 1. Cor. 1, 31.
Hanc, inquam, exosculamur adhortatiunculam ceu piam et fidelem, si tamen eo sensu dicatur, ne solum viribus nostris exclusa Dei gratia tribuamus opera bona post gratiam facta; at sin ea mente hoc dictum sit, quo totum prorsus uni ac soli divinae gratiae ascribamus, nihil autem humanae naturae seu libero arbitrio, quicquid boni sit in operibus nostris, neutiquam acceptamus. Id quod praeter dicta modo iterumque mox dicenda vel unum istud Pauli testimonium hic a vobis adductum dilucide refellit, quo ait: *Omnia* Phil. 4, 13.
*possum;* en naturae humanae seu libero arbitrii potestatem in Paulo. At subdit: *In eo, qui me confortat,* sive per Christum, qui me corroborat; en gratiam Iesu Christi Paulum corroborantem. Quid, quod vel unum istud confortandi seu corroborandi verbum, si modo quis diligenter expendat, hanc gratiae et naturae societatem in bonis operibus nostris praeclare ostendit? Sic oportet praedicare gratiam Christi et primas ei tribuere, ut interim naturae hominis sive libero eius arbitrio (quod et ipsum Dei munus est) non fiat (96) iniuria, sed etiam suae partes relinquantur; atque ita par est laudare opus humanae recreationis, ut opus creationis eiusdem non vituperetur. — Ceterum quod plurimi haereticorum circa liberum arbitrium non secus atque scopulum quendam in fide naufragium passi sunt, me pretium operae facturum existimarim, si universam de libero arbitrio disputationem quam brevissime hic velut auctarii loco perstringens paucis indicavero, quid omnino vel olim vel hodie haeretici de ipso sentiant, et quid Ecclesia catholica semper sibi

[1] « *Psalmographus* » occurrit etiam in aliis *Herbornei* scriptis v. g. in *Monade* C, in *Enchiridio,* in *Meth.* V. 2 etc. Alias dicitur etiam « *regius propheta* ». Ita hic, supra 61. 121 et infra 158.

constans ab initio in hunc diem usque de ipso credat, profiteatur et doceat, nimirum ut in tam ancipiti et periculoso themate pius lector habeat, quod fugiat quodve sequatur iter.

**Triplex de libero arbitrio disputatio.**

Est igitur triplex in universum de arbitrii nostri libertate inter Theologos disputatio, nempe de ipso cum gratia Christi collato gemina, et tertia in eodem cum divina providentia comparato. Nam ut omittamus Manichaeum et Iovinianum pugnantibus quidem e diametro sententiis, tamen ex aequo liberum hominis arbitrium prorsus de medio tollentes, quorum ille asserebat non posse non peccare hominem, hic vero ne peccare quidem posse semel accepta in baptismo Iesu Christi gratia: —

**Prima de libero arbitrio ante gratiam et sub peccato.**

**Prima** disputatio est **de libero arbitrio sub peccato et ante gratiam.** Hic Pelagius olim haeresiarches tantum libero tribuit arbitrio, ut ipsum suapte vi posse vel digne mereri praedicaret, quicquid homini ad salutem esset necessarium, nempe gratiam et gloriam; gratiam vero et auxilium Dei solum in hoc conferre, ut hoc ipsum faciat expeditius. At contra nostri seculi haeresiarches Lutherus errore quidem plane contrario, sed haud scio an minus pernicioso, tantum pro hoc statu eidem derogat, ut affirmet ipsum non posse nisi peccare, etiamsi optimum quod in se est faciat. Verum Ecclesia catholica moderamine semper in omnibus servato quasi mediam inter hos errorum scopulos viam secuta credit, profitetur ac docet, liberum hominis arbitrium pro hoc statu nihil quidem aeterna vita dignum operari posse, attamen interea opera (97) quaedam talia facere, quae non modo non sint peccata, verum etiam, quibus homo mereatur apud Deum aut aeterni supplicii alleviationem aut evasionem temporalis cuiuspiam incommodi, aut denique aliquam praesentis vitae commoditatem, immo sane quibus ad gratiam Dei se homo praeparet atque disponat, quae, uti supra quoque admonuimus, vocantur a Theologis opera moraliter bona. Hoc autem ita esse, quanquam bis iam et sub articulo quarto [1] et sub hoc ipso articulo lectori pio satis (ni fallor) persuasum est, tum quod contrarius Lutheri error (Pelagius enim cum haeresi sua iam pridem sepultus est) peccatoribus est ceu quoddam desperationis barathrum, uti diximus, paucula quaedam non pigebit iam tertio adiicere. Nam quae spes peccatori fuerit redeundi ad gratiam, si nihil omnino boni facere queat? quicquid vel extremis viribus

---

[1] Supra 119-120. 129-130.

agere conetur, semper peccatum sit? At dominus Deus ad Cain ira
concitatum, iam post peccatum [1] ait: *Subter te erit appetitus* tuus, Gen. 4, 7.
*et tu dominaberis illius.* An non brevissime iuxta et clarissime
docemur hisce verbis, liberum hominis arbitrium post peccatum et
ante gratiam non esse rem de solo (quemadmodum vos dicere so-
letis) titulo? Cur toties divina eloquia peccatores ad resipiscentiam
et conversionem excitant, si nihil boni faciendo cum Deo redire
valeant in gratiam? Cur dominus ait per Esaiam: *Redite praeva-* Esa. 46, 8.
*ricatores ad cor?* Cur per Ezechielem ait: *Convertimini ad me et* Ezech. 18, 30
*agite poenitentiam ab omnibus inquitatibus vestris, et non erit*
*vobis in ruinam iniquitas?* Cur ait per Ioelem: *Convertimini ad* Ioel. 2, 12.
*me in toto corde vestro?* Cur per Ioannem Baptistam, praecursorem
suum ait: *Poenitentiam agite, in propinquo est regnum coelo-* Matth. 3, 2.
*rum?* Cur denique ait ipse ad omnes: *Petite, et dabitur vobis?* Matth. 7, 7.
Breviter, omnes divinorum eloquiorum libri talibus peccatorum in-
vitatiunculis referti sunt. Sed hoc ipsum non minus luculenter
Evangelicae docent parabolae illae, quibus exempla peccatorum re-
sipiscentium nobis proponuntur. Nonne filius ille prodigus huius- Luc 15, 21.
modi supplicatione ad patrem suum facta describitur cum eo re-
diisse in gratiam: *Pater,* (98) *peccavi in coelum et coram te,*
*neque posthac sum dignus vocari filius tuus?* Nonne peccator ille
publicanus sui percussione et simili precatione ad Deum fusa iu- Luc. 18, 13.
stificatus in domum suam descendisse legitur: *Deus propitius esto*
*mihi peccatori?* Quis, obsecro, peccatores huiusmodi formulas poe-
nitentiae agendae nobis in exemplum praescriptas imitando magis
peccare crediderit? Quamobrem haec sententia, quae praedicat li-
berum arbitrium sub peccato, dum facit quod in se est optimum,
peccare mortaliter, non solum ut haeretica est fugienda, verum
etiam ceu desperationi quovis scelere ac flagitio graviori fenestram
aperiens omnibus modis execranda.

**Secunda** vero **de libero arbitrio** disputatio est de ipso **sub gratia** De libero arbitrio post peccatum.
**iam et post peccatum.** In hoc autem statu Pelagiani olim omnem
meriti substantiam, vim et pondus liberi tantum arbitrii viribus
ferebant acceptum in piis operibus nostris, gratiae vero divinae
maiorem tantummodo promptitudinem et alacritatem. Contra vero

---

[1] *Ench.* N 2: Post lapsum ad *concitatum* Cain dicitur: Quare iratus es... (Gen. 4, 7)... Iam si subter nos appetitio..., non igitur necessitate adigimur ad malum, non necessitate adveniunt omnia.

hodie Lutherani, ceu Manichaei posthumiae proles, dum nihil libero arbitrio praeter peccatum attribuunt, stulte et imprudenter errorem illum evitare volentes in contrarium prolapsi sunt (dicente Flacco: Dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Et rursus: In vitium ducit culpae fuga, si caret arte) contendentes hoc: Quicquid boni habent merita nostra unam solamque Dei gratiam totum et omnino in nobis agere, liberum vero arbitrium duntaxat ab agente in nobis Dei spiritu velut instrumentum duci, moveri ac pati. At Ecclesia Dei catholica ceu Petri navicula suo quodam more inter extremos haereticorum errores perinde ac Scyllam atque Charybdim, medium veritatis iter tenens, eo moderamine naturam et gratiam in hominum meritis contemperat, ut quamvis divinae quidem gratiae primas (uti par est) partes ascribat, humano tamen arbitrio suas quoque relinquat, docens ipsum Deo cooperari, et istius * cum Deo, ceu principali causa, secundo loco esse bonum opus efficere. Quod ipsum etsi universae scripturae phrasis nusquam non dilucide commonstrat, quippe in qua Deus vocatur noster adiutor, dominus et paterfamilias, (99) nos autem servi, operarii, mercenarii, dispensatores, villici, agricolae, vinitores et aedificatores aliisque nominibus translatitiis, quibus praelare significatur, nonnihil agere nos et non tantum recipere seu pati; tamen duo loca hanc in rem aptissima proferam ex Apostolo Paulo, summo alioqui gratiae Dei praecone, utpote quam in se maximam expertus fuerit, ex persecutore Christi praedicator eiusdem factus. Unus est 1. Cor. 3.: *Etenim,* inquit, *Dei sumus cooperarii;* sic enim rectius vertit Erasmus illud Θεοῦ γάρ ἐσμὲν σύνεργοι. Σύνεργος enim ad verbum interpretatur cooperarius. Alter vero est huius ipsius epistolae 15. capite, quo loco de se verba faciens: *Gratia Dei,* inquit, *sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius ceteris omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quis his, quaeso, verbis pro hac re gratiae et naturae in bonis operibus coniunctione et cooperatione mutua dici potuit manifestius?

[Margin: Horatius.] [Margin: (1. Cor. 3, 9)] [Margin: (1. Cor. 15, 10)]

Tertia denique conflictatio est **de libero arbitrio, qua parte cum Dei providentia comparatur,** longe omnium et implicatissima et periculosissima, non a Christianis modo, verum etiam ab Ethnicis olim philosophis, diu multumque quaesita et a nullo diligenter satis atque constanter expedita. Hic Epicuraei negata Dei providentia de rebus, ut liberum homini servarent arbitrium, docuerunt, casu et

[Margin: De libero arbitrio cum providentia Dei collato.]

* « istius » deest.

temere agi omnia. Stoici vero e regione libero hominis arbitrio sublato, ut Dei providentiam tuerentur, omnia ineluctabilis fati necessitate fieri praedicabant. Verum nobilissimi philosophorum Academici, sive Platonici et Peripatetici seu Aristotelici, utrumque et Dei providentiam et libertatem humani arbitrii conciliare quidem conati sunt, ita videntes omnino necessarium, at qua id ratione fiat, neutri ad Ecclesiae catholicae sensum per omnia satis explicarunt. At Christiana religio sola utrumque inscrutabili quadam ratione coniungit, intellectum ad obedientiam Christi captivum ducens, idque propter (100) divinae scripturae auctoritatem, quae haec ambo nusquam non praedicat, tanquam totidem universae religionis fundamenta et bases. Nam absoluta omnium rerum necessitas ob immutabilem Dei providentiam semel admissa, protinus omnem simul scripturam evertit; haec enim in summa praecipit, vetat, consulit, dissuadet, adhortatur, absterret, promittit, minatur, consolatur, exprobrat, obtestatur, benedicit, maledicit, et (uti Paulus inquit) docet, arguit et corripit: quae omnia liberum hominis arbitrium praesupponere ac exigere, quis non videt? Quare supervacaneum prorsus arbitror, adversus errorem adeo manifestarium proferre testimonia scripturarum, quando nullum fere caput in sacris bibliis esse reor, unde non possit haeresis ista confutari. Nam error iste Stoicorum tam est absurdus, ut etiam a ceteris gentium philosophis excellentioribus, nempe Platonicis et Aristotelicis, iampridem explosus sit. — Primo enim incivilissimus est, utpote omnem humanam rempublicam, magistratum, ordinem, statum et convictum tam secularem quam Ecclesiasticum evertens. Tollit enim leges, instituta, mores, praecepta, consilia, monitiones, increpationes, virtutes et vitia, opera sive merita bona et mala, laudes et vituperia, praemia et supplicia. — Deinde inhumanissimus est, utpote convertens hominem in bestiam vel potius in truncum, aut quolibet horum deteriorem faciens, quando aequa necessitate premantur omnia; et solus tantum homo, si quid peccet, si modo peccare dicendus sit, supplicio afficiatur; — ad haec impiissimus, utpote religionis cuiusque tam falsae quam verae preces, ritus, ceremonias et officia de medio tollens; — postremo maxime blasphemus, utpote Deum faciens sceleratissimum et iniquissimum, velut omnium ubique scelerum auctorem et homines sine causa culpaque punientem. Haec enim omnia consequi perempto libero hominis arbitrio et absoluta omnium rerum necessitate recepta, qui non cernat, opinor esse ne-

2. Cor. 3.

minem. Quo factum, ut ab initio nascentis Ecclesiae nullus Christianorum in absurdissimam haeresin istam lapsus esse comperiatur (101) praeter Viclevum in Anglia, Hussum in Bohemia et Lutherum nunc demum in Saxonia, idque extremis his fere diebus, ut intelligatis nihil quidem vos habere, quod inventi novitate gloriemini.

Porro diximus hanc de providentia divina et libero arbitrio disputationem esse tum difficultate, tum discrimine plenam, quod difficulter inquiritur et periculose aberratur. Quocirca satius fuerit, venerabunde admirari hoc Dei arcanum, quam curiose perscrutari et cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Quo loco scribit Origenes, non modo nullum hominem sufficere, sed etiam nullam omnino creaturam, ad perscrutandum, qua ratione Deus omnem naturam rationalem, servata unicuique proprii arbitrii libertate, dispenset. Hieronymus vero quodam in loco dicit, Apostolum implicuisse magis quam solvisse quaestionem. Itaque vel hic inprimis necesse est, iuxta consilium Apostolicum captivum ducere intellectum ad obsequium Christi et cogitare, non fas esse scire omnia, et ut ait ille: Multa dei celant homines, non omnia servus clausa videt domini. *Nam qui scrutator est Maiestatis,* inquit sapiens, *opprimetur a gloria.* Nonne igitur et hi duo articuli de absoluta rerum omnium necessitate contra liberum hominis arbitrium tanquam vel absurdissimae haereses iustissime vobis obiecti fuere?

[Marginalia: Rom. 11, 33. — 2. Cor. 10, 5. — Horatius Petrarcha. — Prov. 25, 27.]

## ARTICULUS SEPTIMUS.

[Marginalia: De veneratione sanctorum, reliquiarum et imaginum.]

Impiam esse sanctorum invocationem, multo vero magis venerationem reliquiarum et imaginum [1].

### Responsio.

Haec verba clare indicant grave odium vestri animi contra nos. Non imus inficias, hactenus esse a nobis praedicatum divorum in-

---

[1] De veneratione Sanctorum, reliquiarum et imaginum *Enchiridion* agit c. 41., cui titulus: « Divorum corpore exutorum intercessio pro nobis apud clementissimum Deum necessario credenda est a fidelibus ». Et c. 42: « Sancti non latriae, sed duliae cultu coli possunt, proinde possunt et ad horum memoriam imagines ac picturae citra omnem idololatriam erigi ».

vocationem nobis necessariam nulla aperta scriptura posse ostendi. Et hodie quoque id docemus vel constantissime; nec eorum reliquias ac imagines dehonestamento afficimus, ubi docemus, sanctorum (qui in hac mortali carne nobiscum conversantur) nuditatem rectius levari oportere auro et argento, quam statuas in templis illis tam sumptuose ornari cum magna pauperum iniuria, et sanctorum ossa humi defodienda esse, et imagines e templo amovendas, quae idololatriae praebent occasionem, quod saepe antehac nobis compertum est.

## (102) Confutatio.

Quemadmodum de veneratione sanctorum, reliquiarum et imaginum plebem Christi docueritis, ipsa facta loquuntur, quando compluribus in locis, quibus ista facta vestra dominantur, non modo imagines ex templis excussae, et reliquiae suis ornamentis exspoliatae, verum etiam ipsae divorum feriae cum omni cultu et honore suo prorsus abrogatae sunt, passimque blasphemiae et convicia non in alios modo sanctos, verum etiam in sanctam sanctorum Deiparam virginem Mariam licenter et impune iactitantur. Quocirca nullo quidem ex animi odio, id quod novit is, qui solus cor intuetur, haec vobis obiecimus (errores, fateor, vestros odimus, non personas, quibus praeter sanam mentem et doctrinam nihil imprecamur), at ita certiores facti, cum ex incolis regni fide dignis, tum ex secutis doctrinae vestrae fructibus, tum, quod mihi certissimum est, ex libellis editis per nonnullos factionis vestrae complices in Germania, quibus invocatio sanctorum tanquam idololatria plane culpatur. Ea si non sit impietas, tum quid sit impietas, me ignorare lubenter agnosco. Verum vestro more aliud inter vestros agitis, aliud coram iudicibus accusati respondetis.

Sed ut demus interim, nulla posse aperta ostendi scriptura, divorum invocationem nobis esse simpliciter et absolute necessariam, tametsi (ni fallor) abunde iam constat ex iis, quae in primo congressu de Evangelio disseruimus, quam parum habeat virium ista argumentatio; tamen quod nec itis inficias nec inficias ire potestis eam apprime utilem esse: cur tanto pusillorum offendiculo, quod sub tam gravi comminatione Christus vetuit, oleum ut aiunt, camino adiicientes, haec disseminatis, et quidem (ut stulte dicitis) constantissime, in vulgum plus satis ad Dei sanctorumque cultum De sanctis. Matth. 18.

et implorationem ubique torpentem, tanta eumque utilitate privantes, nisi quod (si dicere fas sit) ex patre diabolo estis, qui per vos quasi quaedam organa sua et divis honorem et hominibus salutem invidet. An ignoratis, divini (103) verbi dispensatorem oportere iuxta
Luc. 12, 42. parabolam Evangelicam non modo fidelem esse, verum etiam pru-
1. Cor. 6, 5. et 10, 22. dentem, nimirum, ut cum Apostolo dicere norit: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Porro quoniam et rei veritate et luce scripturarum adacti, etsi non expresse, tamen tacite videmini concedere, utilem esse nobis sanctorum invocationem, missis singulis utriusque testamenti locis tectioribus, qui hanc in rem adduci possent, ex universa scriptura unum generale argumentum quam luculentissimum produxisse contentus fuero. Sunt enim complura, quae etsi uno alterove scripturae loco non sunt expressa, tamen ex omnibus Dei eloquiis inter se collatis ultro consequuntur.

Nonne constat per utriusque testamenti decursum, homines adhuc in terra positos posse vicissim pro se orare, et mutuas orationes invicem esse petendas, id quod Paulus in omnibus facit epistolis? Quanto magis ergo sancti, cum Deo regnantes et voti per omnia compotes, pro nobis apud Deum intercedere possunt, eorumque suffragia nobis sunt imploranda? Tanto sane, quando illam coelestem vitam hac terrestri perfectiorem esse constat. Nam Christus
(Matth. 11, 11). posteaquam dixerat: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista,* subiecit: *Qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo.* Paulus quoque praesentem vitam cum futura
1. Cor. 13, 10. conferens ait: *Cum venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur*
Phil. 1, 21. *quod ex parte est;* unde alio in loco *mori lucrum* sibi esse ducit, quandoquidem morte omnis vitae imperfectio abiiciatur. Neque vero quis recte dixerit, alienum esse a statu felicitatis divorum, ut pro mortalibus apud Deum intercedant. Nam Christus ipse, caput san-
Rom. 8. Hebr. 7. ctorum iuxta doctrinam Apostolicam, secundum humanitatem pro
Matth. 10, 24. nobis interpellare dicitur. *Non est discipulus supra magistrum,*
Luc. 6, 40. Io. 13. *nec servus supra dominum suum.* Hoc autem solo potissimum argumento gloriosus ille Hieronymus in hoc themate disserendo adversus Vigilantium contentus fuisse videtur, dicens: « Si Apostoli et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse (104) solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos »? Nihil enim hoc uno in tota disputatione illa gravius validiusque invenio. Atque mea quidem sententia catholico cuique facit satis, maxime quod sancti in domino

mortui non tam cognitione et affectu, quam situ tantum et loco a nobis separati sunt; *charitas* enim (unde mutua beneficiorum inter homines collatio proficiscitur) Apostolo teste *nunquam excidit.* 1. Cor. 13, 8. Omnia vero ad se pertinentia in speculo Trinitatis vident. At obduratis et a Deo in reprobum sensum datis satisfieri potest nunquam.

Iam vero quod subditis, nullo vos dehonestamento afficere De reliquiis. sanctorum reliquias et imagines, docendo sanctorum (qui nobiscum in hac mortali carne conversantur) nuditatem rectius levari auro et argento, quam reliquias et statuas in templis illis sumptuose ornari cum magna pauperum iniuria, et proinde sanctorum ossa humi defodienda esse: — profecto, infelicissimi mortalium, hoc vos scribere cogit, imo per vos loquitur spiritus ille immundus et Satanas in angelum lucis se transfigurans, praetextu curae pauperum, quemadmodum olim in Iuda proditore fecit; qui ad sanctorum me- Matth. 26. morias et monumenta, virtute reliquiarum in obsessis saepenumero vehementer excruciatus, id per vos vestrosque intercessores haereticos iam pridem agit, ut a conspectu hominum removeantur. Quin certe, si quid ista ratio vestra de pauperum iniuria probabilitatis haberet, tum pari iure (quod vos, scio, huiusmodi colore molimini) omnia monasteria, collegia, templa et id genus alia in honorem Dei sanctorumque erecta demoliri liceret ad sublevandos pauperes. *Non* (Ps. 1, 4). *sic, impii, non sic.* Venerandi sunt sancti in suis reliquiis, et levandi pauperes in corporibus suis; *haec oportuit facere, et illa* Matth. 23, 23. *non omittere.* Nam utrique sunt fratres et membra Christi: idcirco quicquid utrisque aut honoris aut commoditatis impenditur, Christus sibi factum existimat. Noverunt et Theologi et iurisconsulti, varios esse modos donandi quicquam ad causas pias, prout spiritus sanctus unicuique suggerit. (105) Neque tam commendat eleemosynam ac quodvis opus pium ille cui exhibetur, quam is cuius nomine suscipitur. Nulla hic iniuria pauperibus facta est; quin potius ex veneratione sanctorum et reliquiarum vel maximum ipsis emolumentum accessit. Nam, ut ne dicam quotidie pauperes emendicare stipes aliasque eleemosynas nomine divorum: quae gens sub coelo tot habet xenodochia, tot nosocomia, tot gerontocomia, tot orphanotrophia perpetuasque eleemosynas fundatas, idque in memoriam honoremque sanctorum et reliquiarum, quot una natio Christianorum? Quod si quid impietatis haberet cultus et exornatio reliquiarum in monumentis, capsis aliisque repositoriis ipsarum, nonne

dominus utique reprehendisset, quo loco tam acriter Scribarum et
Matth. 23, 29. Pharisaeorum crimina obiurgat? At ubi dixisset: *Vae vobis scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum et ornatis monumenta iustorum,* verbis mox adiectis non damnat illud, sed quod non virtutem prophetarum, at patrum suorum imitarentur malitiam, qui eos occiderint, cupientes implere mensuram patrum suorum et interficere Christum, qui maior erat, quam Abraham et omnes prophetae. Quemadmodum et hodie nihil aut parum confert sanctorum reliquiarumque cultus et veneratio, nisi et virtutes eorum pro virili nostra imitari studeamus. Quoniam si iuxta naturae legem apud omnes gentes pium habetur, in hominis cadaver exhibere humanitatem, contra vero impium exercere saevitiem, ut quod sit altera pars humanae substantiae; quanto magis apud nos futurae resurrectionis certam spem habentes, qua credimus fore, ut quemadmodum corpora terrenae passionis et meriti fuere socia, ita futura sint aliquando coelestis gloriae ac praemii consortia beatorum spirituum in coelo cum Christo regnantium, ossa omni honore affici par est, praesertim quando et Deus ipse signorum et miraculorum gloria illa illustrare non dedignetur, et nos maioresque (106) nostri tot inde beneficia humano generi collata certo didicerimus ac etiamnum quotidie conferri experiamur. Nonne iuxta
4. Reg. 13, 21. Regum historiam cadavere hominis in sepulchrum Helisaei proiecto, cuius anima nondum erat glorificata, contactu ossium Helisaei *re-*
Act. 19, 12. *vixit homo et stetit supra pedes suos?* Nonne iuxta Actorum historiam inter alias virtutes non vulgares, quas Deus per manus Pauli mortalem adhuc vitam agentis edebat, etiam *sudaria et semicinctia* deferebantur *a corpore eius super infirmos, et recedebant ab eis morbi, et spiritus mali egrediebantur?* Quid quod
Act. 5, 15. (ut eodem in libro legitur) vel sola *venientis Petri umbra* aegroti sanabantur? Neque vero quicquam est, si quis dicat vixisse tum adhuc Petrum et Paulum; imo nunc demum vere vivunt. Haec enim quae dicitur vita, non tam vita est, quam mors quaedam perpetua; unde iuxta divinae scripturae phrasim sancti non mortui, at dormire frequenter dicuntur, idque nimirum non tam secundum spiritus felicissime cum Deo viventes, quam secundum corpora [1].

---

[1] *En.* (fer. V. post II. Dom. Quadr. Fol. 90 b - 91) copiosiorem dant declarationem: Qui dormiunt ut homines, in corpore mortali id factitant... Quae vero in Christo dormiunt, quae in sinum Abrahae deportatae sunt animae, ob hoc

Verumtamen non desunt nobis historiae ab auctoribus fide dignissimis conscriptae de innumeris miraculis ad sanctorum memorias sive monumenta exhibitis, ut sine impudentia summa negari non possint omnia. Quamobrem non modo sanctorum ossa et redacti ex eis pulveres, verum etiam aliae quaelibet ipsorum exuviae sacratissimorum corporum contactu sanctificatae, per quas tot humano generi beneficia Deus largitur, nobis omni reverentia, honore et cultu prosequendae sunt.

Postremo quod adiicitis, iconoclastae miserrimi, imagines e templis amovendas, quod vulgo praebent idololatriae occasionem, illic trepidatis *timore, ubi non erat timor*. Nullum enim in veneratione sanctorum, reliquiarum et imaginum est idololatriae periculum ad Ecclesiae sensum et intentionem. Nam haud adoramus sanctos uti deos [1], secundum naturam et essentiam, id quod solum vetat primum decalogi praeceptum adversus idololatriam de uno Deo colendo (107) datum. Sic enim inter alia dicitur: *Non habebis deos alienos coram me*. At veneramur uti divos, hoc est, divinitatis participes, et sanctos, id est, in bono confirmatos, et tanquam Dei amicos et fratres Christi secundum carnem (quibus nominibus ipse discipulos adhuc in terra viventes dignatus est) invocamus, non ut ipsi nobis tribuant gratiam et gloriam, id quod solius est Dei, sed ut apud Deum pro gratia et gloria nobis patrocinentur, idque per Iesum Christum unicum mediatorem primarium inter Deum et hominem atque caput sanctorum omnium, cuius ipsi sunt membra et intercessores secundarii. Quam Ecclesiae intentionem satis declarare poterant vel illae solemnes litaniae, iam plus mille annis ab Ecclesia in usu habitae, in quibus dicitur ad Deum: « Miserere nobis », ad sanctos vero: « Orate pro nobis », ac publicae orationes, quas collectas appellant, utpote magna ex parte ad Deum patrem porrectae ac per Iesum Christum conclusae, sanctorum meritis precibusque gratiam et gloriam nobis precantes. Porro quicquid honoris atque cultus vel reliquiis vel imaginibus a nobis exhibetur, in ipsos refertur beatos spiritus, quorum gratia fit, quicquid

De imaginibus.

Psalm. 13, 5.

Exod. 20, 3.

dormire dicuntur, quod iam requiescant a laboribus suis, quod blanda quiete aeternae felicitatis perfruantur etc.

[1] *Ass.* 127: *Imagines* nunquam *deorum vice* habitae sunt ab orthodoxis veris, sed ita permissae, uti in archetypum nos ducant nosque commoneant praeclare gestorum piorum hominum, adeoque neque exterminandae.

hac in re agimus, quosque in reliquiis imaginibusque colimus. Cum itaque sit idem honoris et culturae genus per se quidem primo sanctis, ac reliquiis imaginibusque alterius gratia et secundo loco impensum, ut illic, ita hic quoque idololatria nulla committitur, neque vero hic oportet idiotas quosque ad plenum huius venerationis nosse rationem. Ut * in aliis fidei nostrae sacramentis et ceremoniis, ita et ** hac in re (meo quidem iudicio) simplici hominum turbae publica Ecclesiae fides et intentio sufficit; tametsi neminem opinor hodie adeo rudem, qui hac parte aliquando peccet. Quodsi per se imaginum et statuarum usus idololatriae praeberet occasionem, nunquam Deus, qui solum imagines alienorum deorum
Num. 21. Io. 3. vetuerat, per Mosen in deserto serpentem aeneum pro signo erigi iussisset, cum populus ille foret in (108) idololatriam alioqui propensissimus. Quin potius bene volentibus plurimum utilitatis imaginum usus adfert. Imagines enim simplices instruunt, admonent scientes, afficiunt omnes [1]. Quis enim, qui vel statuae vel imaginis admonitu Deum sanctumve aut honorans aut invocans (modo in gratia et charitate fuerit) coronae suae gradum aliquando non adiecerit? Quo factum, ut imaginum usus sit publice approbatus, et concilio Nicaeno secundo [2] et Constantinopolitano [3] et tribus conciliis Lateranensibus [4], quem graeci imperatores circiter centum annos tyrannice oppugnarunt, fuitque potior causa transferendi a Graecis ad Germanos imperium. Carolus autem ille Magnus quatuor libros adversum iconoclastas conscripsisse fertur. Immo Ioannes Damascenus in quarto de orthodoxa fide libro auctor est ex traditione Apostolica, Ecclesiam habere usum imaginum, ut non iniuria hic rursus exclamare liceat: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum! Nam in secundo articulo priscas Ecclesiae sanctiones, consuetudines et ceremonias summa cum laude recepistis. In articulo au-

* At.
** ut.

---

[1] *Ench.* (P 2[b]): Quantum vero ad imagines attinet, id fatendum Christianis: Imaginibus indoctum vulgus in archetypum duci, non quo iis tribuant aliquid numinis — neque enim tam vecordes sunt Christiani — sed ut in ipsis praeclarissimorum virorum certamina, vitam fidemque spectent, sitque hoc ***idiotis*** pictura, quod legentibus praestat scriptura.

[2] a. 787.

[3] IV. a. 869.

[4] Annis 1123. 1139. 1179.

tem praesenti tanquam vestri immemores easdem in veneratione sanctorum, reliquiarum et imaginum cum vituperio reiicitis aut certe non per omnia probatis.

Ceterum neque hic est, quo in malitia vestra tanquam inventores novi dogmatis gloriemini. Nam quod ad sanctos et reliquias attinet, vetus est * error Basilidis, Eunomii, Ioviniani et Vigilantii, et ab ipso gloriosissimo Hieronymo iam pridem peculiari volumine confutatus; deinde post aliquot secula a Catharis, Pigardis, Valdensibus, Viclevicis et Hussianis diverso tempore et loco renovatus. Quod vero ad imagines pertinet, est haeresis Feliciana [1] in concilio Francfordensi ad Moenum damnata, quam postea resuscitarunt in Bohemia Orphani et Thaboritae. Quis ergo non videt hunc quoque articulum vobis optimo iure obiectum, e quo praeter tres haereses iam olim condemnatas tot exorta sint praedicatione vestra in populo scandala. **A quibus haereticis error hic sit compilatus.**

## (109) ARTICULUS OCTAVUS.

Nullum esse post mortem purgatorium nec ullam culpam poenamve remitti post hanc vitam [2]. **De purgatorio.**

### Responsio.

Hunc articulum agnoscimus, quoniam ** canonica scriptura nusquam meminit purgatorii; unde non iniuria credimus, huiusmodi purgatorium monachorum ac sacrificulorum somnium esse et inventum, ut suo ventri et vitae in otio degendae prospicerent. Nam Christus Io. 15: *Omnia* (inquit) *quae accepi a patre, tradidi vobis;* sed de purgatorio nihil locutus est usquam in Evangelicis literis. Itaque psaltes ille divinus David Psal. 43. statum eorum (qui carnis mole exuti sunt) silentium vocat, quod parum certi hac de

* « est » deest.
** quando.

[1] *Feliciani* haeretici, auctore quodam *Felice, Christum* dixerunt filium Dei adoptivum, non naturalem; nitebantur ab Ecclesia auferre sanctorum imagines. Eorum error condemnatus est anno 794 sub Constantino VI. et Hadriano I. itemque in concilio Francfordensi. — Cf. tamen *Hergenröther,* Kirchengesch. I. (2. Aufl.) 555.

[2] Cf. *Ench.* c. 48. Q 2 etc.: « Nonnullis animabus post mortem ex divinae iustitiae decreto certus expiationis locus deputatus est ».

re nos scire voluit de statu illorum, sed sibi soli tale mysterium servari.

## Confutatio.

Quandoquidem vos hunc articulum vestrum agnoscitis, nos vicissim haereticos vos agnoscimus, utpote quo contineatur haeresis persaepe iam a maioribus nostris damnata, quemadmodum ordine hactenus observato mox in calce [1] annotabimus. Verum audiamus, quibus tandem argumentis: « Principio », inquitis, « quoniam canonica scriptura nusquam meminit purgatorii ». Herculeam scilicet validamque rationem et plurimarum haereseum parentem; at quam enervis plane sit inefficax huiusmodi a pronuntiatis sive testimoniis negativa colligendi ratio, cum in omni disciplinarum genere noverunt dialectici omnes, tum in Theologia potissimum sat, opinor, superque iam liquet ex iis, quae in primo congressu de ipso Evangelio disseruimus; latius enim patere verbum Dei, doctrinam Christianam seu Evangelicam, et Theologiam, quam ut angustis canonicae scripturae finibus coërceatur, illic (ni fallor) abunde commonstratum est [2]. Deinde, quod more quodam vestro hic ut alibi semper ad scripturam canonicam quasi summum in terris tribunal appellatis: dicite, a quo tandem canonica utriusque testamenti scriptura dicitur canonica? An non a canone (110) per Ecclesiam catholicam approbato [3]? Quare si Ecclesiam auditis in scriptura probanda, cur in statuendo purgatorio eandem contemnitis? Sed haec in primo congressu fusius. Postremo hic illud peculiariter addo, quod etsi vox haec (purgatorium) in canonica scriptura nusquam invenitur, tamen rem ipsam hac voce significatam illic haberi et inveniri, paulo post quam luculentissime demonstrabimus, non quidem iuxta sensum vestrum, at orthodoxorum patrum, apud quos solos et Evangelium et veram eius intelligentiam fuisse in eodem congressu primo copiose docuimus [4]. Verum permulta esse huiuscemodi, quis vel mediocriter doctus ignorat? Nonne (quo ex pluribus unum proferam exemplum) duae totius nostrae religionis ac fidei bases sunt, Deum esse unum in essentia et trinum in perso-

---

[1] Infra 151.
[2] Supra 59 sq.
[3] Supra 51.
[4] Supra 47 sq. 63. 64.

nis; e diverso autem Christum unum in persona et binum in essentia? Sed ubi tandem vel essentiae vel personae nomen Deo attributum in canonica scriptura comperitur? At rem utroque vocabulo designatam illic et contineri et Deo attribui, quis catholicorum addubitat? Ceterum disputandi necessitas cum haereticis (ut Augustini verbis utar) nova subinde vocabula Ecclesiae peperit [1]. Non est laborandum de nominibus, ubi de rebus constat, maxime quoniam, ut in primo quoque congressu dictum est, verbum Dei et Christi Evangelium non in litera, sed in spiritu, non in sermone sed in sensu consistit.

Nunc vero consequenter audiamus illationem tam eleganti simul ac nervosa argumentatione collectam. « Unde (inquitis) non iniuria credimus, huiusmodi purgatorium monachorum ac sacrificulorum somnium esse ac inventum, ut suo ventri et vitae in otio degendae prospicerent ». — Dignam hercle proposita ratione conclusionem. Nam impudenti coepta mendacio impudentiori concluditur. Quid tu ais (os impudens), quisquis ita scripsisti? Num Dionysius Areopagita, num Origenes Adamantius, num Gregorius Nyssenus *, num Ioannes Damascenus, num beatus Athanasius, num (111) Ioannes Chrysostomus, et hi quidem graeci —; et inter latinos, num Cyprianus, num Lactantius, num Prudentius, num Hieronymus, num Augustinus, num Ambrosius, num Gregorius, num Alcuinus, num Bernardus, num denique alii complures viri partim graeci, partim latini et eruditione et sanctimonia clarissimi, fuere monachi et sacrificuli (quemadmodum vos contemptim dicitis), ventri et otio dediti? Nonne horum alii opes deliciasque etiam habitas ultro relinquentes nudi et pauperes Christum pauperem nudumque sequi maluerunt? Nonne alii, hoc etiam non contenti, sua insuper corpora Christi nomine in mortem tradentes scripta sua quasi cruoris sigillo confirmarunt? Nonne alii ne monachi quidem, aut ne sacrifici quidem omnino fuerunt? Nonne omnes denique perpetuo frugalissimos atque negotiosissimos fuisse literaria eorum monumenta tum numerosissima tum eruditissima palam toti mundo ostentant **? Literae siquidem (inquit Hieronymus) sudoris comites sunt et laboris, sociae ieiuniorum non saturitatis, continentiae non lu-

* Nicenus.
** ostentantur.

[1] Id magis explicat in « *Haereticorum catalogo* » (*Mon.* Q 6[b]; Q 7).

xuriae [1]. At horum omnium testimoniis (nisi et instituti temporis ratio vetaret) purgatorii fidem adstruere possem. Quin Ioannes Damascenus inter veteres et graecanicos Ecclesiae doctores haud postremi nominis totum libellum de uno purgatorio scripsisse fertur, quem tamen nec graece nel latine mihi hactenus videre contigit. Qua igitur fronte tu, nugacissime sycophanta, effutire ac mentiri audes, purgatorium monachorum ac sacrificulorum esse somnium et commentum, idque ventris et otii gratia, cum tam insigni tot tantorumque doctorum contumelia, quorum ne uni quidem corrigiam calceamenti solvere tota factio vestra digna fuerit, et cum tanto simplicis et indoctae plebis offendiculo, pro qua Christus sanguinem suum effundere non dubitavit?

Sed agite, pergamus audire, quibus mediis tam impudens mendacium confirmetur. « Omnia (inquitis), quae Christus audivit a patre suo, nota fecit discipulis suis, ut ipse testatur apud Ioannem. Sed de purgatorio nihil locutus est usquam in (112) Evangelicis literis ». — At hic primo respondemus, non omnia Christi tum dicta
Io. 20. et 21. tum facta literis esse mandata teste beato Ioanne in calce sui Evangelii, quemadmodum in primo quoque congressu admonuimus [2]. Deinde Christus post istud verbum a vobis adductum apud eundem Evangelistam publice coram suis professum esse, se habere multa quae ipsis diceret, at eos tunc non potuisse ferre, quod rudes adhuc et nondum spiritu sancto uncti haud capere poterant mox simul omnia; haec autem ab eo suis esse dicta, nonnulli doctores
Act. 1. sacri autumant post ipsius resurrectionem, quando teste Luca per *quadraginta dies* apparuit *eis et* loquebatur eis *de regno Dei*. Ad extremum inter ea, quae in ipso Evangelio scripta habemus, multa sunt tectius obscuriusque dicta, quae nisi spiritu sancto revelante intelligi nequeunt, unde pollicitus est, se missurum suis
Io. 16; 14, 26. paracletum spiritum sanctum, qui eos doceret omnia et suggereret eis omnia, quaecunque ipsis dixerat. Sed Apostoli et discipuli Iesu Christi atque successores eorum orthodoxi patres ex Evangelio purgatorium esse docuerunt. Quamobrem etsi iuxta vos, quibus spiritu sancto destitutis liber Evangelii signatus et clausus est, in Evangelicis literis nusquam fit purgatorii mentio; attamen secundum Apostolos virosque Apostolicos et orthodoxos patres, apud quos

[1] Affertur eadem Hieronymi sententia in *Methodo V*.
[2] Supra 73.

germanum Evangelium et verum ipsius sensum fuisse in primo congressu ostendimus[1]; id autem ita esse mox a nobis indicabitur.

Postremo concludentes istud adiicitis: « Proinde divinum psaltem David statum eorum, qui carnis mole exuti sunt, vocasse silentium, quod parum certi hac de re nos scire voluit » etc. — Quis, Deum immortalem, istiusmodi argumentationes frigidissimas non irrisione potius excipiat, quam responsione dignetur? Hactenus fere collectum est: Nihil de purgatorio scribitur, ergo non est. Nunc vero talis collectio prodit: Nihil certi de purgatorio scitur; ergo non est. Quae posterior certe ratio, si quid valeret, eadem simul opera negabimus (113) atque tollemus et coelos et inferos, ac una cum Aristippo, Epicuro et Lucretio vanam esse fabulam credemus, quicquid de manibus narratur, maxime quando (ut hic dicitis) status omnium, qui mole carnis exuti sunt, a regio propheta silentium appellatur propter incertitudinem, quam de ipso habemus. Quin cum insipiente iam in corde nostro dicemus: *Non* Psalm. 13, 1.
*est Deus*, quoniam ipse propheta eandem ob causam ait, Deum posuisse *tenebras latibulum suum. Quis enim cognovit sensum* Psalm. 17, 12.
*domini, aut quis consiliarius eius fuit?* aliaque id genus plurima Rom. 11, 34.
passim leguntur, quam parum certi de Deo cognoscamus. — En tibi, pie lector, quales agunt Theologos isti nostri magisterculi, qui posteaquam duos, tres aut quatuor annos in Academia quapiam, vel in otio et voluptate paternam substantiam absumpserunt, vel studio et lectione seculares literas tractarunt, reversi ad patriam, ne nihil didicissse videantur, mox se scire putantes quae nunquam didicere, et protinus in suggestum convolantes apud simplicem plebeculam de rebus sacris tanquam ex tripode pronuntiant. Hi sunt, quibus nostri seculi calamitates (mea quidem opinione) non minima ex parte debemus. Neque vero haec velim accipi, quasi certum non sit, vel coelum, vel tartarum, vel purgatorium esse, quin ut illa, ita hoc esse fide tenemus, qua nihil certius. Sed id agebamus, ea ratione per vos adducta, quae generaliter de statu omnium, qui carnis mole exuti sunt, loquebatur, non minus tolli coelum et tartarum, si quid valeret, quam purgatorium. Etsi enim nullius horum, sicut neque Dei plenam et certam per omnia cognitionem in terris habemus, tamen quodlibet illorum esse tenemus, atque e scriptura, quatenus nobis sufficit, cognoscimus.

[1] Supra 63. IV.

Nam uti paucis quibusdam purgatorium adstruamus, nonne vel
Purgatorii adstructio. solus ille locus ipsum constituerit: *Quicunque dixerit verbum*
Matth. 12, 32. *contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra*
*spiritum sanctum, non* (114) *remittetur ei neque in hoc seculo*
Io. 18. *neque in futuro.* An non sicuti Christus apud Ioannem Pilato respondens, regnum suum non esse de hoc mundo, confessus est iuxta sacros doctores, se, etsi non huius mundi, tamen alterius generis habere regnum; ita hic asserens apud Matthaeum, peccatum in spiritum sanctum non remitti nec in praesenti nec in futuro, itidem a contrario sensu confessus est, peccatum esse, quod etsi non in praesenti seculo, tamen in futuro relaxetur [1]. Nam in Evangelio
Esa. 10. verbum abbreviatum, ne apex quidem otiose ac supervacanee positus credi debet. Sed ubi tandem peccatum in futuro seculo re-
Esa. 35, 8. mittetur? Num in coelo? At de coelesti Hierusalem ait Esaias: *Via facta vocabitur, non transibit per eam pollutus.* Et Ioannes in
Apoc. 21, 27. revelatione ait: *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum.* Num in tartaro? At illic nulla remissio; qui enim illuc mittuntur, eunt
Matth. 25, 41. *in ignem* et *supplicium aeternum,* et *hiatus ingens* inter coelum
Luc. 16, 26. et tartarum *firmatus est,* ut non sit mutuus utrimque transitus. Restat igitur, locum esse quendam medium et purgationis carcerem, levioribus quibusdam culpae maculis in futuro seculo eluendis destinatum, quod Ecclesia purgatorium appellat. Hoc sane loco ceu apertissimo simul et efficacissimo, Augustinus, Gregorius et Bernardus in purgatorii adstructione usi comperiuntur, neque ullus unquam catholicus contradixit. Verum audite tubam Evangelii Paulum non modo adserentem purgatorium, sed etiam pene ipsius qualitatem et locum nominatim explicantem. Nam de poena locum talem
1. Cor. 3, 11 15. habet: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam: uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim domini declarabit, quod in igne revelabitur,* (115) *et uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit mercedem accipiet; si cuius opus*

---

[1] *Ass.* 164: « Ad eum igitur locum mittentur eae *manes,* quae secum ferunt aes alienum, lignum, foenum, stipulam, quae novissimum quadrantem reddere debent, quae eiusmodi sunt obstrictae peccato, quod iuxta Matthaeum in futuro seculo remitti potest.

***arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen tanquam per ignem*** [1]. Haec ille. Auditisne hic aliquot homines per ignem salvos fieri? Sed ubi tandem? Num in coelo? At nullus illic ignis. Num in tartaro? At nulla ibi salus. Quapropter locus in orbe sit necessum est, quo animae hinc migrantes, levioribus adhuc culpis obnoxiae, per ignem expientur. Atque hoc sensu locum hunc acceperunt Hieronymus, Ambrosius, Gregorius et Alcuinus, statuentes ex eo ignem purgatorium, nec quisquam hucusque catholicus refragatus est. De loco autem purgatorii talem habet passum de Iesu Christo loquens: *Humiliavit semetipsum factus obediens* **Phil. 2, 8-10.** *usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu coelestium, terrestrium et infernorum* etc. At qui sunt inferni genu in nomine Iesu flectentes? numquid in tartaro et ima parte inferorum collocati? At de his ad dominum regius ait propheta: *Non mortui laudabunt te, domine, nec omnes qui descendunt in infernum.* **Psalm. 113, 17.** Et Esaias itidem ad eundem ait: *Quia non infernus confitebitur tibi,* **Esa. 38, 18.** *neque mors laudabit te.* Imo, uti divinus ait de his psaltes ad dominum: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* **Psalm. 73, 23.** Reliquum est igitur, ut sint iustorum animae, hinc in gratia et charitate migrantes, et nondum ad plenum a terrenis sordibus expurgatae, in superiore inferorum parte (quod purgatorium appellamus) positae. Praetereo alia scripturarum loca eodem pertinentia. Non enim in summa temporis angustia prosequi vacat omnia.

**Ex scripturis inter se collatis.** Sed ut etiam singulus quisque scripturae locus purgatorium non evincat, quid tum postea, quando ex universa scriptura inter se collata purgatorium vel sole lucidius colligitur? Nonne passim nos divina eloquia docent, omnes nos esse peccatores? qua in re non dubia, ut * iuxta proverbium testibus utar non dubiis, una oratio dominica (116) nulli non cognita id abunde testatur, in qua omnes debita sive peccata nostra agnoscimus et confitemur; at eadem Dei eloquia iustos et iniustos, bonos et malos distinguunt. Quo igitur migrabit iustus et peccator, nimirum a quotidianis qui-

* ne.

---

[1] *Ench.* Q 2ᵇ 1. Cor. 3, 11-15. citatum verbaliter. Dein: Observa quod dicit: quasi per ignem. Neque enim ignis ille *infernalis* salvat aut prorsus purgat, sed perpetuo incendit, perpetuo cruciat; erit igitur ignis iste *purgatorius* expiandis animabus deputatus.

busdam et levioribus culpis, sine quibus praesens vita non agitur, nisi eas vel martyrio, vel alio charitatis opere in morte deleverit? Num protinus in coelum evolabit? At nullum in orbe malum manet impunitum; poena autem in coelo non habet locum, dicente beato Apoc. 21, 4. Ioanne de civibus supernae Hierusalem: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra.* Nihil quoque sordidum introire potest in regnum coelorum, dicente libri sapientiae auctore Sap. 7, 25. de participatu aeternae sapientiae: *Nihil inquinatum in eam incurrit;* et Christo subscribente: *Beati mundo corde, quoniam* Matth. 5, 8. *ipsi Deum videbunt.* Num ergo protinus in tartarum praecipitabuntur? At iusti sunt, amici et filii Dei sunt, haeredes regni sunt et vestem nuptialem charitatis habent. Oportet igitur in orbe praeter coelum et tartarum esse carcerem quendam, animarum mediocriter bonarum purgationi destinatum, quo leviores culpae temporariis cruciatibus eluantur, priusquam Dei faciem videre queant et coelestis gaudii participes fieri. — Huc addo, quod sacris passim literis erudimur, in gravioribus etiam peccatis (quae criminalia et mortalia vocitamus), post culpae condonationem sive remissionem, temporariae cuiusdam poenae reatum sive debitum obmanere, idque molestia quadam et afflictione solvi (quam rem Theologorum coronae satisfactionem appellitant), uti mox sub articulo sequenti [1] ostendemus. At quo tandem hinc ille migravit eo in statu, nempe omni culpa vacuus, temporali adhuc poenae obnoxius? Num in coelum? At debitor est. Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est. Huiusmodi quoque solutio fit per cruciatum, qui illic, uti diximus, locum non habet. Num ergo mittetur in tartarum? At omni culpa vacans est, filius regni, nulla quoque ibi (117) redemptio fit. Superest igitur, ut sit medius in orbe locus inter coelum et tartarum, ubi temporalis poenae debitum hic in vita non exsolutum postea dependi queat, quod purgatorium appellamus.

Ceterum, ut etiam nec ex singulis nec ex universis scripturae locis inter se collatis purgatorium statui possit: nonne propter ea, quae in primo congressu diximus, — ne quid interim dicam de probatissimis revelationibus, quas de purgatorio habemus, — merito unicuique homini catholico satisfaciunt et Apostolica traditio et universalis Ecclesiae consuetudo, ex quibus usum pro defunctis orandi

---

[1] Infra 156 sq.

tenemus, qui sine purgatorio utique superfluus esset ac inutilis. Unde quidquid postea sub articulis XXI.[1] et XXII.[2] pro cura mortuorum afferemus, pro stabiliendo quoque purgatorio valet, sed nihil non suo loco et tempore dicendum. Mihi sane non minus est certum purgatorium esse, quam esse vel coelum vel tartarum. Porro cur tam parce et tecte omnino divinae literae de purgatorio loquantur, id equidem in causa esse crediderim, tum quod apud Iudaeos, quibus Christus et eius Apostoli verbum Dei primum annuntiabant, cura mortuorum (quae purgatorium supponit) agebatur, ex maioribus ante legem per manus tradita et accepta; tum quod apud gentes in principio nascentis Ecclesiae omnes fere in philosophia fuere Platonici, qui omnem poenam futurae vitae purgatoriam et temporalem adserebant; tum denique, quod hoc de purgatorio dogma mortalibus blandum et gratum est atque creditu perfacile, scilicet ut homo etiam quamlibet sceleratus tum purgatione fretus de salute non desperet. Proinde ad homines a vitiis timore supplicii absterrendos divinae literae saepius et apertius aeterna nobis inferorum tormenta proponunt. Quo factum est etiam, ut a multis seculis purgatorii fides inconcussa fuerit in Ecclesia, donec exorirentur tandem haeretici, qui alias fere blandiores, hic tamen inclementiores, odio et invidia excaecati, negarent purgatorium. Nam (118) Armeni[3], Saraceni et Graeci, Romanae sedis odio, cui primatum cedere coacti fuissent, ipsum sustulerunt; Albigenses vero, Valdenses, Viclevici, Hussiani e Rutheni invidia cleri ex opibus deliciisque ipsius concepta, rati, se hac via Ecclesiae opes facile ablaturos, si modo purgatorii fides e mentibus hominum aboleri posset. Graeci tamen in concilio Florentino sub Eugenio IV. errorem agnovisse feruntur et abiurasse. Sed vulgus Graecorum in eandem postea haeresin dicitur esse relapsum.

---

[1] p. (186 sq.) [2] p. (192 sq.)

[3] « *Armeni* proprium habent primatem, quem catholicum appellant cuique obediunt velut alteri papae. In celebratione natalis domini errant, quia in die Epiphaniae nativitatem domini celebrant. Quadragesimam observant stricte. Sacerdotes eorum in missis aquam vino non apponunt, sicut nec Graeci; clerici portant coronas latas et rotundas, et laici eorum tonsi sunt capitibus in modum crucis. In sextis feriis carnes comedunt et *Surianis* (qui Graecorum institutiones et ritus in omnibus imitantur et secreta Christianorum ad infideles proditorie deferunt) contrariantur ». Ita Bernardus Lutzenburgensis in « Catalogo haereticorum » Colon. 1537. F. 3. — *Armeni* occasione concilii Florentini Ecclesiae Romanae iterum uniti fuerant, ut testatur Bulla *Eugenii IV:* « Exultate Deo adiutori nostro », d. 7. Iul. 1439.

Itaque nec hic est, quo dogmatis novitate gloriari possitis. Nonne igitur hic quoque articulus, toties iam haereticus maiorum calculis condemnatus et a vobis pro vestro agnitus, iustissime vobis obiectus est?

## ARTICULUS NONUS.

De sacramentis. Tantum duo esse sacramenta, baptismum et Eucharistiam, cetera vero humana esse figmenta.

### Responsio.

Vocabulo sacramenti significari possunt omnia opera Christi, modo stricte et contentiose accipiatur. Sed si secundum usum vulgarem sumamus, tantum duo sunt sacramenta novi testamenti, scripturarum testimonio stabilita, baptismus et Eucharistia. Ea Christus a se instituta suo verbo tanquam duo externa signa apposuit, ut commonefaceret nos per ea sui promissi, ac de gratia, misericordia et peccatorum remissione, veluti per arrabonem, nos certiores faceret ac fidem faceret suo sermoni. Verum, quoniam haec sacramenti ratio et conditio in aliis quinque non reperitur, a sacramentorum numero ea repudiamus, tanquam mera hominum commenta, quatenus ad sacramenti naturam attinet, ut iam diximus.

### Confutatio.

Principio nominis sacramenti distinctionem, quam hic in fronte praemittitis, et nihil erat necessaria, nec nos * ignorabamus eam, nec in diverso sensu captiose vobiscum acturi eramus; tamen quoniam sana et vera est, libenter amplectimur, idque mentem alioqui vestram potius quam orationem attendentes, quod parum (119) aptis verbis animi sententiam explicatis. Nam prior illa verbi significatio, qua omnia Christi opera adeoque mysteria quaevis alia sacramenta dici possunt, lata est et ampla. Haec autem posterior, qua ** vulgo hactenus Ecclesia *** septem esse sacramenta credit, profitetur atque docet, pressa et stricta; haec enim pauciora sunt, illa vero plurima. At conclusionem deinde mox a distinctione subiectam, nempe

* n: ** quam.
*** Ecclesiae.

in posteriore vocabuli significatu duo tantum esse sacramenta novi testamenti, baptismum videlicet et Eucharistiam, ut erroneam, infidelem, et ex multis haeresibus antiquis consarcinatam (quemadmodum in fine mox indicatur) omnibus modis abominamur repudiamusque. Porro (ne multis hoc loco premam istius vestrae factionis levitatem et inconstantiam, qua antesignanus vester olim tria sibi sacramenta pro tempore ponenda scripsit, nempe baptismum, poenitentiam et panem, ut eius verbo dixerim; nunc vero in deterius haereticorum more proficientes, poenitentia quoque sublata duo tantum relinquitis, tametsi nec illa quidem incontaminata et illaesa) universae probationis hic per vos adductae (quo involutius obscuriusque dicta explicatius lucidiusque promam) duo ad summam video esse capita ceu fundamenta. Unum est vetus illud et commune vobis asylum: Haec duo sola testimonio scripturarum esse stabilita. Quod sane quam plane nihil habeat virium, etsi iam ante sat superque commonstratum est et in primo congressu diffusius [1], et astrictius sub praecedenti articulo [2], tum * quod non omnia humanae saluti necessaria, seu credenda seu agenda canonicis scripturis expresse continentur, tum quod non omnia Christi vel dicta vel facta literis exarata sunt; id tamen impudentissimum esse mendacium paulo post ostendemus, unumquodque sacramentorum scripturarum testimoniis asserturi **. — Alterum est nova quaedam ratio istiusmodi sacramenti, de quo agimus, quam tecte subindicatis ***, nimirum ut ad sacramenti rationem, (120) naturam et substantiam pertineat verbum divinae promissionis de gratia sive misericordia et remissione peccatorum, cui sacramentum a Christo velut externum signum arrabonis loco sit appositum, quo nos promissi sui certiores redderet verboque suo fidem adstrueret; hanc autem sacramenti rationem duntaxat in baptismum et Eucharistiam competere dicitis; proinde vos cetera quinque a sacramentorum numero repudiare tanquam mera hominum commenta.

Primum hic certe nescio stultitiamne an ignorantiam, an potius utrumque mirari et ridere debeam. An non plane ridiculum se praebuerit, qui cum alio disputationem ingressurus de re qua-

* tamen. ** assentiri.
*** subiudicatis.

[1] Supra 54 sq. 72. 73.
[2] Supra 144 sq.

piam novam eius rei finitionem, non solum ab adversario non receptam, sed etiam a nullo ante id temporis auditam pro suo sensu illi praescribere velit? Sic enim quidvis facile disputando consequi liceret. At rerum finitiones sunt elementa sive principia disciplinarum, quae tum immobilia, tum omnibus confessa esse oportet, quemadmodum in dialecticis praecipitur. Nam si vobis integrum esset, vestro vobis arbitratu quamlibet sacramenti praescribere finitionem, non modo facile possetis evincere, haec duo tantum esse sacramenta, verum etiam ne unum superesse quidem e septem omnibus. — Deinde fatemur quidem sacramenti rationem constare duobus, nempe elemento sive signo, et verbo sive oratione, eaque duo sufficere ad completam sacramenti rationem, veluti materiam et formam ipsius; at verbum hoc ad sacramenti naturam pertinens semper esse promissorium, omnino negamus. Nonne in illis quidem sacramentis, quae promissionis verbum habent, non tam * ipsum ad sacramenti rationem et substantiam attinet, sed ea potius verborum formula, qua sacramentum quodque conficitur? Ut enim in uno exempli causa ostendam, in baptismate non istud promissionis
Marc. ult. (16, 16) verbum: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* ad baptismi naturam pertinet, ut (121) absque ipso non consistat, sed
Matth. ult. (28, 19) hoc potius verbum: Ego baptizo te *in nomine patris et filii et spiritus sancti,* quod non est promissorium; atque hoc tamen, non illud in baptismate gratiam praestat.

Quocirca novam sacramenti finitionem istam una cum suis auctoribus repudiantes ad veteris iam pridem ab Ecclesia finitionis praescriptum redimus **, qua sacramentum novi testamenti a Theologicis definiri solet *invisibilis gratiae visibile signum efficax,* hoc est, non significans modo, ut Mosaicae legis sacramenta, verum etiam efficiens conferensque gratiam.

Septem Evangelica quam brevissime docebimus esse in Ecclesia Dei sacramenta, tanquam efficacia divinae gratiae signa a Christo instituta, ab Apostolis tradita et a maioribus nostris hucusque credita et observata. Verum etsi nec baptismum nec Eucharistiam omnino recte ac fideliter cum Ecclesia catholica tractatis, quod tamen conceditis utrumque esse sacramentum, de quo praesens est
Poenitentia. disputatio, ea praetereuntes protinus ordiemur a **poenitentiae** sacramento, utpote omnibus post lapsum necessario, cuius Ecclesia

* « non tam » deest.
** « redimus » deest.

tres facit partes, nempe contritionem cordis, confessionem oris et satisfactionem operis. Sed quando contritionem cordis negare non potestis, tametsi de huius initio ab Ecclesia dissentientes hallucinemini, reliquias partes ab interitu vindicabimus.

Principio igitur, nonne ad confessionem oris adstruendam (in qua potissimum huius sacramenti ratio consistit) suffecerit vel unus ille Evangelii locus Ioannis XX, quo Christus, posteaquam a resurrectione suis apparuit, flavit in eos dicens: *Accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorumcunque retinueritis, retenta sunt?* Quis vero non videt hoc loco, dum absolvendi potestas a peccatis Christi discipulis eorumque successoribus presbyteris quibusque confertur, eadem simul opera sacramentalem ab eo confessionem institutam? Nam qua ratione sacerdos a peccatis quempiam absolvet, (122) nisi peccator ei crimina sua confitendo detegat? Hic autem et in remissione peccatorum invisibilis gratia, et in verbo remittendi seu absolvendi visibile quoddam et efficax signum insinuatur; non enim id absque visibili quopiam signo fieri potest; hoc vero esse manuum impositionem Ecclesia Dei optima scripturae interpres confitendi usu et consuetudine publica comprobat[1]. Neque vero necesse fuit, uti peccatoribus confessio praeciperetur, quae spontanea esse debet ex dolore cordis ultro profecta; at potestate absolvendi sacerdotibus a Christo collata satis erat infirmo medicum ostendisse. Quo fit, ut mea quidem sententia de huiusmodi confessione alia novi testamenti loca non incommode accipi possint, aut potius debeant, veluti cum et Lucas in Actis inquit: *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes facta sua,* et Ioannes ait: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra;* et Iacobus denique apertius de ipsa loquitur, siquidem, ubi proxime presbyterorum meminisset, docens extremam unctionem ab eis in aegrotatione quaerendam, protinus intulit: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini,* prae-

Confessio. (Io. 20, 23.) Act. 19, 18. 1. Io. 1, 9. Iac. 5, 16.

[1] In aliis Herbornei operibus hanc singularem sententiam neque legimus, neque quicquam eidem contradictorium offendimus. Invenitur autem eadem sententia in parochi Iacobi Schöpperi « Catechismo brevi et catholico », pro iuventute edito. Tremoniae (Dortmund, 2ª vice anno 1549): « Quid est sacramentum poenitentiae? — Est, in quo per *impositionem manuum* poenitentibus confertur remissio peccatorum ». Cf. Der Katholik. 1897. 77. Jahrg. 3. Folge XVI. Band p. 111. n. 22.

clare indicans *, confessionem quoque presbyteris esse faciendam; maxime vero quoniam (uti diximus) Ecclesia Dei viventis optima scripturae interpres ex verbo Dei ita confitendum esse publico usu docet [1], et orthodoxi patres, apud quos verum Dei verbum et Evangelium fuisse in primo congressu docuimus [2], in monumentis suis multipliciter confirmant.

Porro quod tertiam partem poenitentiae, nempe **satisfactionem**,
Satisfactio. id est, expiationem aut solutionem sive redemptionem rubiginis cuiusdam animae a peccato contractae ac temporalis poenae cuiusdam (cui vel in hoc vel in futuro seculo vel eluendae aut depen-

* iudicans.

---

[1] *Ench.* c. 23: « Non sat fuerit Deo confiteri, nisi etiam ministro vice Dei fungenti peccata detegas ». Inter alia haec habet: Confessionem auricularem... mihi satis Ecclesiae praxis interpretari videtur. Neque enim existimo tam gravissimum onus et Dei ministris et poenitentibus impositum, nisi *Dei verbo insinuante* et veluti ob oculos ponente, quid utrisque agendum, siquidem mortalis criminis lepra animum infecerit. Ut *videlicet* illi *medici* loco sese constitutos sciant, quorum interest, miseras ac desperatas alioqui conscientias per vivum Dei verbum sanare, elisas erigere, *infirmas* obfirmare spemque consequendae veniae ingerere. Atque ob id vel (H 3) consultissimum fuerit, frequentius suam turpitudinem denudare prudenti et experto *medico*, qui vulneribus medendis certa adhibere potest pharmaca. Hi vero qui peccatis obnoxii sunt, delicta agnoscant, morbum intelligant, quod lethale vulnus inflictum est, atque tum deinde doleant, detestentur: utque sint certissimi se in gratiam receptos, ad eum confugiant, qui cum Dei vice, tum Ecclesiae perfungitur. Hoc voluisse Christum cum *facto* tum verbo constat. (Ms. 8, 4; Io. 11, 44; 1. Cor. 3, 9; 2. Cor. 1, 23). — Accedit facto *verbum*, quo *instituta* ac ceu *insinuata* est sacramentalis illa confessio. Insufflavit enim in eos dicens: « Quorum remiseritis etc. (Io. 20, 23)... Accipite, inquit, vos apostoli vestrique successores, qui legatione pro me, penes quem prima est potestas condonandi peccata, fungemini: vestrum erit remittere et retinere, quo certiores sint sibi noxam *condonatam* seque ad Ecclesiae gremium rediisse. Vobis ligandi et solvendi, remittendi ac retinendi peccata facio (H 3 b) potestatem. Verum cum sitis homines, mihique soli corda patescant hominum, vos lateant, operae pretium fuerit *infirmis* conscientiis, aperire morbum, retegere vulnus. Sunt enim ministri Dei iudicis loco constituti; atqui rerum incognitarum nemo bonus iudex. *Necessum* ergo erit, ut singula, quae iusta examinatione occurrere in animum poterunt, crimina manifestent, quo iudex ille atque arbiter sacerdos apertius intelligat, quae remittere, quaeve retinere debeat, quo singulis morbis congruentem adhibeat medicinam rursusque Ecclesiae conciliet.

Accedit iis *usus primitivae Ecclesiae:* Act. 19, 18; 1. Io. 1, 9; Iac. 5, 16. (Observa, quaeso, hoc loco similes occurrere locutiones, textusque scripturae *eosdem eodem* ordine, quo supra, afferri).

[2] Supra 63. IV. 64.

dendae per afflictiones, incommoda et molestias, peccator communi quidem lege post culpam de misericordia condonatam atque remissam adhuc obstrictus [1] remanet) prorsum reiicitis et detestamini (123), non possumus facere, quin eam quoque non tam pro rei utilitate ac argumenti copia, quam pro temporis angustia et instituti ratione de innumeris prope testimoniis divinae scripturae quam paucissimis iuxta ac clarissimis vindicemus, maxime, quod, uti sub proximo dicebamus articulo [2], basis est ac fundamentum purgatorii, curae mortuorum et indulgentiarum. Ut igitur nomen hoc in sacris literis nusquam inveniatur hoc certe sensu, et quantumlibet aures vestrae ab hoc nomine abhorreant, rem tamen eam, quam modo periphrasi quadam circumloquebamur, illic contineri indubium est *. Nonne vel locus hic unus evicerit? Ioannes enim, ille domini praecursor et Baptista, in deserto baptismum poenitentiae in peccatorum remissionem praedicans, illis qui veniebant ad ipsum, ut in Iordane baptizarentur ultro confitentes peccata sua, tamen post confessionem iniungit satisfactionem dicens: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae.* Cui simile est illud, quod Paulus ad regem Agrippam inter alia refert, se gentibus annuntiasse Iesum Christum, ut poenitentiam agerent et converterentur ad Deum digna poenitentiae opera facientes. Auditisne poenitentiae fructus sive opera et quidem digna, sive quae deceant resipiscentes? At quae sunt poenitentiae opera? Nimirum, quae pro peccatorum expurgatione suscipiuntur. At quae sunt *digna* poenitentiae opera? Profecto uti sanctorum patrum expositione didicimus, quae ita suscipiuntur, ut quantitati culpae poenae itidem quantitas respondeat, et graviora peccata gravioribus tormentis expientur, iuxta illud: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Et rursum secundum illud: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Unde Christus apud Matthaeum indicans, peccati delectationem afflictione supplicii pensandam esse, quo loco civitatibus eis, in quibus plurimas edidisset virtutes exprobrat impoenitentiam, praeter alia dicit: *Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.*

Matth. 3, 8. Luc. 3, 8.

Deut. 25, 2.

Apoc. 18, 7.

Matth. 11, 21.

* « indubium est » deest.

---

[1] *Ench.* H 4 b: *Post remissam atque condonatam culpam manet* homo *poenae temporali obstrictus.*

[2] Supra 150.

At hic lubens a vobis audierim: Huiusmodi (124) digna poenitentiae opera, de quibus ex Evangelio nunc audivimus, peccatorum remissionem praecedunt an subsequuntur? — Profecto vos saltem neutiquam dicere potestis ea praecedere, quandoquidem iuxta vos quicquid antecedit gratiam, per quam est peccati remissio, peccatum est, uti dicebatur sub articulis V.[1] et VI.[2] Reliquum igitur est, ut subsequantur. Quare constat post peccati remissionem communi quidem lege nonnullas adhuc ipsius superesse reliquias, nempe rubiginem quandam animae et poenae temporalis reatum, quos afflictionibus quibusdam vel hic vel alibi expiari oporteat, id quod satisfactionem scholae vocant. Ceterum dies me deficeret, si omnia vel exempla poenitentium vel scripturarum testimonia percurrere vellem, idque unamquamque satisfactionis partem, nempe orationem, eleemosynam et ieiunium[3], quibus tum alia quaevis opera pietatis includuntur, quae merentur et coronae gradum adiiciunt, quatenus e gratia et charitate progrediuntur, at quatenus eadem voluntariam habent afflictionem et molestiam, satisfaciunt et poenae gradum abiiciunt.

Semper, pie lector, meminisse oportet, ita misericordem esse
Nota. dominum Deum, ut nihilo secius sit vel summe iustus; ac aeque nihil contra iustitiam facere[4] atque contra misericordiam, dicente
Psalm. 24, 10. propheta regio: *Universae viae domini misericordia et veritas.*
Psalm. 7, 12. *Deus enim* (ut idem alibi dicit) *iudex est iustus, fortis et patiens.*
Psalm. 100, 1. Unde alio in loco: *Misericordiam,* inquit, *et iudicium cantabo tibi, domine.* Quocirca probi doctoris est, qui iuxta parabolam Evan-
Matth. 13, 52. gelicam similis est *homini patrifamilias proferenti de thesauro suo nova et vetera,* sic quidem praedicare gratiam et misericordiam

---

[1] Supra 123. 124.

[2] Supra 128. 132.

[3] *Ench.* H 6[b]: Remittitur autem et expiatur,... si *orationibus* si *ieiuniis,* si malorum ob Christum tolerationi incumbamus. — Et I: Id ubi fit, *satisfactionis* habes *rem,* etsi nomenclaturam non habeas. Iam cum constet de re ipsa, frustra de voce pugnamus. Verum quid valeat *oratio,* quid *eleemosynarum* largitio hac in re conferat, iamiam dicemus. — Vide *Enchiridii* capita 26. 27. 28. — Vox: « nomenclatura » occurrit infra p. (145).

[4] *Ench.* H 5: Erit igitur ei exsolvenda poenae aliquota pars, cui peccata remittuntur. Idque vel ex eo constat, quod Deus ipse, etsi *misericors,* est tamen *et iustus,* teste David (Ps. 100, 1). Exigit ea *iustitia,* ut nullum malum sit impunitum: punitur autem vel spontaneis, vel a Deo ipso inflictis poenis.

novi testamenti, ut interea severitatis et iustitiae veteris instrumenti non obliviscatur. Potest utique Deus optimus maximus (quis negat) pro immensa clementia sua condonare simul culpam et poenam omnem[1], praesertim ubi hoc ipse, qui solus *renes et corda scrutatur,* amaram cordis contritionem exigere (125) videt, id quod singulari quodam privilegio nonnullis quoque concessum esse divina testantur eloquia. At ex adverso communi lege pro immensa iustitia sua post relaxationem culpae nonnullius adhuc poenae reatum dependi ac satisfieri ab homine postulat.

Nunc ut alia quatuor sacramenta quam paucissimis adseramus, pro **confirmatione** quidem legimus in Actorum historia: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Christi Iesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum.* Sed eadem quoque historia id ipsum Ephesi contigisse memorat: *His,* inquit, *auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos.* Auditisne hic quoque post baptismum novi testamenti visibile signum, nempe manuum impositionem, et efficax sive collativum gratiae, nempe spiritum sanctum omnis gratiae fontem. Neque vero consentaneum est, Apostolos huiusmodi signo usos esse, nisi ex instituto et exemplo domini ac praeceptoris sui Iesu Christi, id quod Evangelista ibi subindicat, ubi ait, oblatos fuisse Christo pueros, ut manus eis imponeret[2] et oraret super eos; hoc autem signum Ecclesia Dei confirmationis sacramentum appellat, quod, sicut baptismo regeneramur ad vitam, ita confirmatione corroboramur ad pugnam contra diabolum, carnem et mundum. Est itaque confirmatio sacramentum novae legis a Christo institutum.

Confirmatio.

Act. 8, 14-17.

Act. 19, 5. 6.

---

[1] *Ench.* H 5: Non enim refragor Deum *pro immensa clementia sua* posse et *culpam* et *poenam omnem condonare.* Verum quae a *communi lege* exorbitant.

[2] *Ench.* G 7[b]: Ab omnibus Christianis receptum est confirmationem esse sacramentum, partim Christi facto, *quando manus infantibus imposuit,* partim Apostolorum exemplo declaratum. — Afferuntur eodem ordine primo Act. 8, 14-17, deinde Act. 19, 5. 6.

Pro **extrema** vero **unctione** legimus, quod Apostoli ungebant oleo multos aegros, et sanabantur [1]; at explicatius hac de re beatus Iacobus praecipit dicens: *Infirmatur quis ex vobis; inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Auditisne (126) et hic aliud Evangelii visibile signum, videlicet in olei unctione, ac effectivum gratiae, videlicet in remissione peccatorum. At verisimile non est, Apostolos tale signum usurpasse praeter Christi praeceptoris et institutum et exemplum. Quapropter et extrema unctio Evangelicum sacramentum haberi debet.

Extrema unctio. Marc. 6, 13. Iac. 5, 14. 15.

Pro **sacro** autem **ordine** apud beatum Paulum clarissima subinde testimonia legimus, in iis praesertim epistolis, quas ad ordinatum a se Episcopum Timotheum scribens in eis quoslibet Ecclesiae ministros instruit. Nam in priore quidem ait: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii,* et (uti luculentius vertit Erasmus) auctoritate sacerdotii. In posteriore autem: *Propter quam causam* (inquit) *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

Ordo sacer. 1. Tim. 4, 14. 2. Tim. 1, 6.

Num hic quoque auditis aliud Evangelicae legis visibile signum, nempe impositionem manuum, et ipsum quoque gratiae collativum, idque nominatim auctoritate presbyterii sive sacerdotii. Sed quis credat, Apostolos huiusmodi signo gratiae (quam solus dat dominus) uti potuisse, nisi ex instituto atque praecepto domini ac magistri nostri Iesu Christi? Hoc autem signum ab Ecclesia Dei ordo vocitatur. Est igitur et ordo sacramentum Evangelicum a Christo institutum. Verum de ordine rursus postea, cum de sacerdotio agetur [2].

Denique pro **matrimonio** legimus apud eundem Apostolum (ut ceteris obscurioribus praetermissis unum locum adducam longe luculentissimum) ad Ephesios in haec verba scribentem: *Mulieres,* inquit, *viris suis subditae sint sicut domino, quoniam vir est*

Matrimonium. Eph. 5, 22. 31. 32.

---

[1] *Ench.* G 8 b: Huius institutionem a Christo factam ex eo liquet, quod Apostoli eo usi sunt: *Ungebant* (inquit Marcus 6, 13) *multos oleo et sanabant.* Id non attentassent, quemadmodum et Paulus aliud nihil dicit se fecisse (Rom. 15), quod non per ipsum Christus effecerit.

[2] p. (137 sq. 142 sq.)

*caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiae, ipse salvator corporis sui.* Deinde complusculis verbis huc pertinentibus interiectis tandem subnectit: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum; ego autem dico: in Christo et Ecclesia.* Num hic etiam aliud visibile signum novae legis auditis, nempe in nomine sacramenti? (127) et rursus rem sacram, cuius sit hoc signum, nempe in coniunctione Christi et Ecclesiae [1], cuius non nisi per gratiam participes esse possumus. Quid hac in re, quaeso, a quoquam dici potuit apertius? Ceterum ne quis forte obstrepat, matrimonium modo significare rem sacram iuxta hunc Apostoli locum, at non praestare sive conferre gratiam — nonne hic Apostolus palam illud confutat? Nam quomodo *honorabile coniugium in omnibus et thorus immaculatus* erit? Quomodo mulier *salvabitur per filiorum generationem, si manserit in fide et dilectione,* nisi matrimonium coniugatis gratiam adferret? Profecto citra Dei gratiam neque thorus carebit macula, neque filiorum generatio salvabit, verum potius damnabit. Nulli ergo dubium, quin et matrimonium sit novi testamenti sacramentum. Qua igitur temeritate vos, Plautini et Terentiani Theologi, qui ab heri et nudiustertius in sacras literas illotis (ut aiunt) pedibus [2] irrupistis, pronuntiare audetis contra praeiudicium universalis Ecclesiae tot seculorum, tot populorum, tot denique doctorum et unanimi sensu et usu concordi approbatum, duo tantum esse sacramenta, baptismum et Eucharistiam, reliqua vero mera hominum commenta!

**Hebr. 13, 4.**

**(1. Tim. 2, 15.)**

Ceterum ne hic quidem est, quo in malitia vestra gloriemini; sed hic articulus, uti multas habet partes, ita et a pluribus haereticis veteribus est corrogatus. Nam totus pene quoad quinque sacramenta est Valdensium, Viclevicorum, Hussianorum, Ruthenorum, quoad aliqua vero eorum partim est Montanorum, partim Heraclitarum, partim denique Albigensium. Nonne igitur hic quoque articulus, tam multipliciter ac portentose haereticus, omni iure vobis fuit obiectus?

**A quibus haereticis hic articulus sit corrogatus.**

---

[1] *Ench.* P 3[b]: Matrimonium fidelium... esse sacramentum *sacrae rei,* hoc est, *coniunctionis Christi et Ecclesiae efficax signum...* Eph. 5, 22. 31. 32... Hebr. 13, 4. — Ceterum, ut theologi recte observant, hoc argumentum ex solo textu apud Eph. petitum, non est convincens *sine traditionis* testimonio.

[2] Cf. *Meth.* T 5[b]: Ne *illotis* (quod dici solet) manibus accedas. — *Parad.* (Fol. 36): Ne sinamus eosdem in hoc ipsum *illotis irrumpere pedibus.*

## ARTICULUS DECIMUS.

De communione laicorum sub utraque specie.

Negare laicis ex calice Christi sanguinem, est contra Christi exemplum et doctrinam.

### Responsio.

Hunc articulum (quantus est) nobis adserimus, nunquam ab eo vel digitum latum discessuri, cum Christi habemus (128) exemplum, qui utramque sacramenti partem dedit discipulis suis: corpus et sanguinem sub pane et vino, quod Marcus prae ceteris significantius exprimit cap. 14: *Biberunt,* inquit, *ex illo omnes.* Christi etiam institutum habemus, qui omnes ex calice iussit bibere, ut scribit Matth. cap. 26. Quos autem putavit, cum dixit: *Omnes,* luculenter satis indicat Evangelista in eodem capite, ubi ait, Iesum accepisse panem et calicem, benedixisse ac dedisse suis discipulis. Nunc vero, qui se Christi discipulos profitentur, eis sub utraque parte sacramentum iure debetur, quoties id sumere cupiunt, et eo modo, quo Christus instituit, aliis vero neutra pars debetur.

### Confutatio.

Dubitare potuimus *, num haeretici essetis ipsi, an haereticis tantummodo credentes et ab eis decepti, citra tamen pertinaciam. At quando hunc articulum (quantus est) non modo vobis palam adseritis, verum etiam adiicitis, nunquam vos ab eo vel digitum latum discessuros, nimirum errori pertinaciam superaddentes, ex ore proprio vos iudicantes, servi nequam, et schismaticos et haereticos vos condemnamus. Quid enim praeter errorem in fide pertinacem ad haeresin praeterea desideratur? Neque vero habetis, id quod vos hic dicitis, pro communione laicorum sub utraque sacramenti specie, panis videlicet et vini, Christi vel exemplum vel institutum. — Principio quidem quod, uti omnes Evangelistae referunt, huius sacramenti describentes institutionem, Christus in extrema coena cum solis duodecim Apostolis accubuit. Sic enim
Matth. 26, 20. Matthaeus habet: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.*
Marc. 14, 17. Marcus vero sic: *Vespere autem facto venit cum duodecim.*
Luc. 22, 14. Lucas denique hoc pacto: *Cum facta esset hora,*

* poterimus.

*discubuit, et duodecim Apostoli cum eo.* At hi tum recens a Christo sacerdotes eadem opera creati fuerunt, quemadmodum postea dicemus sub articulo decimotertio[1] de sacerdotio. Quo fit, ut ex hoc Christi tum exemplo tum instituto (129) non laici, at potius sacerdotes hoc sacramentum in utraque specie panis et vini sumere debeant, id quod ab Ecclesiae initio ad haec usque tempora in missae sacrificio ubique ac semper observatum est. Proinde cum vestris maioribus haereticis aliis Evangelium lippis hic oculis (ut semper) intuiti estis, prementes distributivam hanc voculam (omnes) perinde, ac si ad omnes Christianos referri debeat, et non considerantes, eam ad convivas tum praesentes tantummodo referri, quos Evangelistae duodecim Apostolos fuisse concorditer memorant.

« At Evangelistae ipsi (dicitis), quos putarunt omnes, Christi discipulos interpretantur. Quotquot ergo se Christi discipulos agnoscunt, tam laici, quam sacerdotes, in utraque specie iuxta magistri exemplum et institutum hoc sacramento uti debent ». Sed et hic pari lippitudine oculorum laboratis, non prospicientes de solis illis duodecim discipulis (qui peculiariter Apostoli dicuntur) Evangelistas mox paulo ante inibi locutos fuisse, uti modo verbis Evangelistarum inductis ostensum est. Omnes enim Apostoli Christi fuerunt eiusdem quoque discipuli, at non vicissim; unde fatemur, qui Christi non sunt quoquo modo discipuli, eis neutram sacramenti partem deberi. — Deinde hoc quoque notandum, quod Christus tum primo venerandum Eucharistiae sacramentum instituit, neque pro laicis, neque pro sacerdotibus tantum, sed in totius Ecclesiae usum pro utrisque; idcirco sub utraque sui parte tum celebrare par fuit. Quapropter uti Christi tum exemplo tum instituto respondeatur, satis est, ab aliquibus in Ecclesia sacramentum hoc sub utraque sui parte celebrari, id quod in missae sacrificio presbyteri quotidie faciunt. — Postremo et animadvertendum illud, quod ad rem imprimis pertinere arbitror, et ex cuius ignorantia vel saltem inconsideratione errorem istum promanasse crediderim, quod in Eucharistia non attenditur diversa sacramenti et sacrificii ratio. Nam quatenus est **sacrificium**, representat et (130) continet Christum, ut hostiam in ara crucis oblatam, in qua separatio corporis et sanguinis facta fuit. Quamobrem et hoc pacto spectata, et olim est per panem et vinum a Melchisedech adumbrata, et a Christo in pane

[1] Infra 175 sq.

et vino instituta, et ab Ecclesia per sacerdotes in missae sacrificio sub utraque specie celebrata, nimirum, ut hac specierum diversitate corporis et sanguinis in cruce separatio designetur. At quatenus sacramentum est, Christum significat et continet ceu spiritualem animae cibum, quo Deo unimur, et (ut ita dixerim) incorporamur, id quod toti Christo et indiviso convenit. Idcirco hac ratione olim praefigurata est in altera tantum specie, videlicet panis, ut in manna, ut in panibus azymis, ut in pane subcinericio Heliae, et a Christo Apostolis solius nomine panis saepius expressa, et ab Ecclesia laicis sub specie tantum panis distributa. Iam Christus, veteri lege cum suo sacerdotio atque sacrificiis in esu agni paschalis consummata, post extremam coenam, novae legis et sacerdotium et sacrificium condens, instituit Eucharistiam, non tantum ut sacramentum, sed multo magis etiam ut sacrificium. Proinde tum
1. Cor. 11. Evangelistae hoc loco, tum Apostolus Paulus in Corinthiis nihil aliud, quam hoc Christi factum recensens, illic utriusque speciei
Io. 6, 33. 51. 48. 50. 52. meminerunt. At ubi Christus apud Ioannem de Eucharistia loquitur tanquam sacramento, Evangelista speciei tantum panis iterum atque iterum meminit, veluti cum ait dominus: *Panis* verus *est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo;* iterum: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi;* rursus: *Ego sum panis vitae;* denique: *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur; si quis manducaverit, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Auditis, quoties hic panis nomen repetitur, nulla interim vini mentione facta. Quo pacto et Apostolus interdum unius soliusque speciei panis meminit. Hinc sacerdotes (**131**) in missae quidem officio, quoniam Eucharistia tanquam sacrificio utuntur, sub gravi crimine utramque speciem sumere debent. At ubi extra missae celebrationem iidem de manu sacerdotis Eucharistiam ceu sacramentum accipiunt, more laicorum panis tantummodo speciem accipiunt. Quamobrem abunde (ni fallor) constat, non esse adversus Christi doctrinam, exemplum et institutum, laicis sacramentum Eucharistiae in altera tantum specie, videlicet panis, communicari. Quin potius Christi et Apostolorum exempla in diversum nobis suppe-
Luc. 24. tunt. Christus enim duobus illis discipulis in Emmaus euntibus iuxta sacros doctores in sola panis specie hoc sacramentum administravit. De primis quoque Christi fidelibus (inter quos iam laici
Act. 2, 42. fuere) Lucas in Apostolorum Actis refert, quod *erant perseveran-*

*tes in doctrina Apostolorum et communicatione, fractione panis et orationibus.* Quo in loco nullam vini mentionem fieri videmus. Sed ut etiam vel exemplo vel instituto vel praecepto Christi vel etiam universalis Ecclesiae ritu doceri posset, ministratam aliquando laicis utramque huius sacramenti speciem, quorum alioqui nullum vere fiet unquam [1], quamvis in particularibus aliquot Ecclesiis eum aliquando morem fuisse haud inficiari possimus —, cur tum Ecclesia iustis e causis citra Dei, sacramenti et plebis iniuriam ritum et morem eum immutare non posset? Nonne in baptismo, summae necessitatis sacramento, formam: *In nomine patris, filii et spiritus sancti,* a Christo praescriptam mox a principio aliquamdiu mutavit, in nomine Christi baptizans [2]. Nonne vel in hoc ipso Eucharistiae sacramento multa partim instituit, partim mutavit? Nonne alia utitur forma in consecratione calicis, quam vel ullus Evangelista vel Apostolus Paulus habeat? Nonne vino aquam in calice miscet, id quod Christus non legitur fecisse? Nonne aliquamdiu in pane fermentato consecravit, ne (132) videretur iudaizare, cum non ignoret consecrasse Christum in azymis? Nonne demum instituit, ut hoc sacramentum post coenam a Christo exhibitum a ieiunis sumeretur? Cur igitur eadem Ecclesia eiusdem semper auctoritatis, hinc quidem in populo aetatis, imprudentiae, morbi et id genus alia incommoda, illinc vero in vino acedinis, corruptionis, nauseationis [3], vomitus, effusionis, aliaque huiusmodi pericula considerans, vini speciem laicis adimere non valeret, idque in honorem Dei ac

---

[1] *Ench.* c. 18. G 7[b]: Nihil minus suscipit laicus sacerdote, quantum attinet ad *rationem sacramenti,* fructus et utilitatis, si modo constanti fide, purgato corde, humili spiritu accesserit. — Ib. G 7[b] supra: Accedit iis Ecclesiae determinatio, quam Christus praecipit audiendam, quae haud dubie nunquam alteram speciem reliquisset laicis, altera adempta, si id usus *totius habuisset Ecclesiae.*

[2] Haec opinio fundatur in male intellectis locis Actuum 2, 38; 10, 48; 19, 5; 22, 16, ubi baptizari dicuntur quidam « in nomine Domini Iesu Christi », i. e. baptismo ab ipso instituto et potestate ab ipso collata. Nam *forma* baptismi iisce verbis non exprimitur. Error auctoris iam fuit Hugonis a s. Victore et Petri Lombardi, item Ioannis Roffensis, ex quo exscriptus est a Ioanne Dietenberger et fortasse etiam a nostro Herborneo. Toletus hanc opinionem etiamnum probabilem esse putavit; id quod esse nequit post declarationem concilii Tridentini. Cf. *Catech. Conc. Trid.* Pars II. c. II. q. 13. — *Lehmkuhl,* Theol. moralis II. n. 64. 5. d.

[3] *Ench.* G 6[b]: Ut interim sileam *effusionis periculum,* periculum *acedinis, corruptinis, ac nauseationis.*

Eucharistiae reverentiam et sine ulla populi defraudatione, quandoquidem tantum gratiae spiritualis habeat sub una specie panis, quantum sub utraque haberet, praeter meritum fidei et obedientiae, quod nunc accipit, dum et sub altera specie tantumdem contineri credit, et matris Ecclesiae consuetudini paret, ut merito hoc
1. Cor. 11, 16. loco sufficere posset ac deberet solum illud Apostolicum: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei,* maxime quando haec Ecclesiae consuetudo duplicis concilii generalis, nempe Constantiensis [1] et Basileensis publico decreto confirmata sit. Proinde quando sub articulo secundo procerum Ecclesiasticorum constitutiones et consuetudines Ecclesiasticas cum verbo Dei non pugnantes (id quod de laicorum communione sub altera specie iam ostendimus) summa cum laude recepistis, et nunc in hoc praesenti articulo diversum agitis, nonne merito rursus exclamare licebit: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum?

## ARTICULUS UNDECIMUS.

Igitur omnes Episcopos et sacerdotes, ut fures et nebulones et proditores, in hunc usque diem spoliasse laicos usu alterius partis sacramenti Eucharistiae.

### Responsio.

Revera praeter Christianam rationem, Christi exemplum ac institutum, factum est, ut calix laicis negetur, quod utique spirituale tum furtum, tum latrocinium est, tametsi multi hic simplici ignorantia peccaverunt.

### (133) Confutatio.

Revera neque praeter Christianam rationem, neque praeter Christi exemplum ac institutum est factum, ut laicis calix negetur, sed potius tum ad exemplum et institutum Christi, qui et duode-

---

[1] *Ench.* c. 18. G 6[b]: Adfuit igitur (sc. Christus) patribus sacro in *Constantiensi concilio* (1414-1418) decretumque de non sumenda altera specie roboravit, atque proinde servandum, quod *inibi* iuste determinatum est.

cim Apostolis iam tum sacerdotibus Eucharistiam sub utraque specie, duobus autem in Emmaum euntibus discipulis adhuc laicis sub altera specie tantum [1] communicavit, tum ad rationem Christiano homine dignam multiplicem, quemadmodum paucis modo attigimus; in summa, ne qua Christo (quantus est) in Eucharistia contento fiat irreverentia et iniuria, unde omnium calamitatum, quibus hoc seculo nostro iampridem affligimur, ut sunt frequentes Turcarum incursus, civiles ac intestinae seditiones, novae pestes et inauditi morbi, denique anni steriles omniumque rerum caritas, unam eamque praecipuam causam adserunt viri quidam pii quotidianam irreverentiam, hac tempestate venerabili sacramento Eucharistiae passim et impune vario ac multiplici abusu illatam.

Verum ut ad flosculum istum vestri Evangelii, id est, convicium in Episcopos et sacerdotes iactum, respondeam, primum dicite, quaeso mihi, ecquis aliquando furtum vel latrocinium commisit absque commodo proprio et alieno damno? At e calice laicis negato quid aut emolumenti sperant sacerdotes, aut detrimenti patiuntur laici, quando tantumdem gratiae spiritualis (uti modo diximus) sub una specie panis habent, quantum sub utraque specie tam vini quam panis haberent [2], praeter fidei ac obedientiae meritum, quod eis hinc accedit? Nonne ubi Christus ait: *Amen, amen* Io. 6, 54.
*dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis,* quem locum maxime hic soletis urgere, solius panis tam crebro meminit, vini autem (134) ne semel quidem, ut iam dictum est, nimirum, quod utrumque, tam sanguis quam caro, sub una panis specie contineatur. Absit enim infidelitas illa, ut putemus vivam Christi carnem illic exsanguem esse. Porro sacerdotes ob rationem praedictam Eucharistia tanquam sacrificio utraque specie utentes, cum sint publici Ecclesiae ministri, non pro se modo, verum etiam pro omni populo in persona Ecclesiae sacrificant et offerunt. Quare populus audiens missam cum gaudio credere debet, etiam sese spirituali quadam sumptione sanguinem Christi bibere. Cum ergo laici praeter solas vini species, colorem, odorem et saporem hoc Ecclesiastico more nihil spirituale perdant, qui poterit dici spirituale vel

---

[1] *Ench.* G 7: Sic et Christus *discipulis in Emmao* non utramvis speciem, sed *alteram,* nempe panis, legitur tradidisse (Act. 2).

[2] Cf. supra 165 n. 1.

furtum vel latrocinium? — Deinde mihi dicite, oro, nonne furtum omne dolo, latrocinium vero omne vi committitur? At nulla hic esse potest doli suspicio, quando sanctissimi viri ac homines Dei clarissimi, ut Ambrosius, Hieronymus, Eusebius, Benedictus aliique complures ex hac luce migraturi sub una panis specie hoc sacramentum accepisse leguntur, et quotannis in sacro die Parasceves, sacerdotes in una tantum specie panis Eucharistiam sumunt, et quotidie per totum anni circulum sacerdotes, aut ex aegrotatione aut alia quavis ex causa Eucharistiae sacramentum extra officium missae de aliena manu sumentes, una panis specie contenti sunt, quemadmodum et modo annuimus. Neque hic violentiae suspicio esse potest, quando tot principes potentissimi, duces, reges et imperatores, potentia seculari universo sacerdotali ordine infinito superiores, iam a tot seculis una panis specie contenti, hoc Eucharistiae sacramentum acceperunt.

Porro risu magis, quam responso dignum est, quod vos, egregii scilicet Theologi, a multis hic ignorantia peccatum esse dicitis, in tot viros tum eruditione, tum sanctimonia iam a tanto tempore toto in orbe celeberrimos, ac omni vita, nocte atque die (135) in divina lege meditatos, qui a multis iam seculis hunc communionis laicorum morem sub altera tantum specie tum scripto, tum usu comprobarunt, quorum ne uni quidem universa colluvies vestra vel matulam porrigere digna fuerit[1]. Quin si aut dolo, aut vi, aut ignorantia Episcopi et sacerdotes laicos altera eis specie debita spoliassent, cum aliquo eorum spirituali detrimento, aut salutis iactura, nonne, citra spem omnis commodi temporalis, sese filios gehennae ac perpetuae damnationis effecissent? Quis id credat, quando nonnulli eorum miraculis in orbe coruscant, qui hoc tum docuisse tum fecisse leguntur? Non igitur dolo, non vi, non ignorantia haec Ecclesiae consuetudo introducta est, sed pietate, sed ratione, sed scientia, neque citra divinae legis auctoritatem, neque citra universae plebis assensum. Qua ergo fronte vos, impudentissimi nebulones, ipsi quovis proditore, fure ac latrone deteriores, utpote non pecunias furantes, aut corpora hostibus tradentes, aut ea ipsi ne-

---

[1] *Ep. ad Col.* A 3: Hi (sc. Apostoli tui) sunt Maternus, Severinus, Euergistus, Solinus, Cunibertus etc. doctrina, sanctimonia, miraculorum potentia incomparabiles, quibus nec *digni sunt, ut matulam porrigant* corrigiamque calceamenti solvant, qui hisce temporibus sese evangelicos iactitant.

cantes, at simplici popello, pro quo Christus mori non dubitavit, ipsam salutem aeternam vestra haeresi et perfidia eripientes, et eorum animas occidentes atque in manus daemonum tradentes, Episcopos et sacerdotes accusare non veremini nebulones, proditores, fures atque latrones, eo nomine, quod laicos usu alterius partis sacramenti Eucharistiae spoliarint; vestrarum potius erat partium, exhortari populum, et ad alteram speciem digne sumendam, quo darent operam, non tam ut varie, quam ut digne hoc venerabili sacramento participarent [1], et ad rectam fidem habendam, quo crederent tantumdem accipere sub altera specie, quantum sub utraque sacerdotes, et se a missae fructu, in qua pro omni populo hoc sacramentum in utraque specie offertur, nullo pacto alienum esse, maxime vero, quod in Evangelicis quoque sacramentis totam iustificandi (136) virtutem uni solique fidei tribuitis, sacramentalibus autem signis nihil. Verum homines ad nihil magis quam ad seditionem nati, potius vultis, istud populare dogma praedicando, vulgi favorem quaerere odiumque et invidiam eius in clerum excitare, quam matris Ecclesiae consuetudinem sequendo pacem, concordiam et unitatem conservare.

Ceterum neque hic est, quo gloriari possitis in malitia vestra ceu novi dogmatis auctores. Est enim haeresis maiorum vestrorum, nempe Viclevicorum et Hussianorum, duplici concilio generali, Basileae videlicet et Constantiae celebrato condemnata. Qua de causa utique hic articulus iustissime vobis fuit obiectus, tum ut schismaticus, quatenus ab universalis Ecclesiae ritu dissentitis, tum ut haereticus, quatenus falso pertinaciterque creditis, utramque speciem Eucharistiae laicis ad salutem esse necessariam. **Quorum sit veterum haereticorum.**

## ARTICULUS DUODECIMUS.

Omnes Christianos utriusque sexus esse sacerdotes [2]. **De sacerdotio.**

### Responsio.

Hanc esse nostram doctrinam minime diffitemur, quam sacrarum literarum testimonio pro virili nostra defendemus 1. Pet. 2.

---

[1] *Ench.* G 7 b: Id magis curandum, *ut digne, quam ut varie* communicemus.

[2] Cf. *Ench.* c. 15: De sacerdotio fidelium interno, et Ecclesiastico, quodque non omnes fideles Ecclesiasticis rebus deputati sunt.

et Apoc. 1. et 5. Et Christus eam ob causam venit in mundum factus homo, ut quod esset, nos efficeret, nempe reges et sacerdotes.

## Confutatio.

Proinde nos vicissim, e propria confessione ista, doctrinam vestram esse haereticam pronuntiamus, quando hic ipsi haeresin confiteamini, iam olim ab Ecclesia damnatam, quemadmodum in calce quinti hinc sequentis articuli[1] commonstrabimus. Sed interea, quibusnam argumentis pro virili vestra (quod dicitis) eximiam istam doctrinam asseratis, paulisper audiamus.

Primo quidem tria sacrarum literarum testimonia profertis, 1. Pet. 2, 9. quorum primum est, quod Petrus ad omnes ait Christianos: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* etc. Secundum Apoc. 1, 5. 6. huic simile, quod Ioannes in fronte Apocalypseos de Iesu Christo scribens ait: *Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris* (137) *in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et patri suo.* Tertium utrique superiori par apud eundem est, huius Apoc. 5, 9. 10. ipsius libri cap. 5., quo loco viginti quatuor seniores coram agno occiso, nempe Iesu Christo, procidentes et gratias ei agentes, inter alia dicunt: *Redemisti nos Deo sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Hic (quo simul ad omnia respondeamus, utpote tantumdem valentia) principio, ut nemo non intelligat, quam nihil minus efficiant haec scripturarum testimonia, quam illud, quod vos per ea intenditis, quamque turpiter in vestram et aliorum perniciem Dei verbo abutamini —, nonne dominus ad universum Israëlem seu omnes Iudaeos eadem multis ante seculis locutum fuisse legi- Exod. 19, 5. 6. mus: *Si,* inquit, *audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de multis populis et in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Sed quis unquam dixit, omnes propterea Iudaeos fuisse sacerdotes? Atque praedicto forte loco Petrus et Ioannes alludunt. — Deinde quod si haec non legeritis, aut potius non memineritis, haec ipsa per vos adducta verba facile vos admonere poterant, alium sensum in eis quaerendum esse, nisi perfidiae vestrae merito iampridem liber scripturae vobis esset si-

[1] Art. 16. infra 191-2.

gnatus et occlusus, ut legentes non intelligatis. Dicimur nempe * his in verbis non sacerdotes modo, verum etiam reges. At si quis assereret, nos omnes esse reges omnesque nos aequa cum rege quemque sua potestate praeditos, nonne reus laesae maiestatis capitali supplicio afficeretur? Proinde quando nos non minus ex adductis locis evincimur reges esse, quod capitale fuerit, quam sacerdotes, nimirum dicere oportet, locutionem in scripturis allatis non propriam esse, at figuratam, in qua tropus sit, quae metaphora, hoc est, translatio grammaticis appellatur. Qui schemata et tropos (138) ignorat et figuratam locutionem a propria discernere nescit, inutilis scripturae lector est. Nam uti reges, ita sacerdotes dicimur omnes, non proprie, at translatitie, non natura rei, at similitudine. Sicut nempe ** reges dicimur spirituali quodam, interno ac invisibili regno, non quo publice quis alios sibi subiectos gubernat, verum quo se ac sua quisque privatim regit, carnem spiritui et sensum rationi et rationem Deo subiiciens: ita quoque sacerdotes vocamur spirituali et interno ac invisibili sacerdotio, non quo publice quis Deo in Ecclesia pro omni populo proprie dictum sacrificium offert, sed quo se ac sua quisque privatim offert Deo in sacrificium translatitie dictum, nempe ut regius inquit propheta:
*Sacrificium spiritus, laudis et iustitiae.* Et ut Paulus inquit Apo- Psalm. 50; 19. et 4.
stolus: Exhibens corpus suum *hostiam viventem, sanctam, Deo* Rom. 12, 1.
*placentem, rationalem cultum.* Neutrum vero, neque regnum neque
sacerdotium huiusmodi, sine gratia et charitate (quae per Iesum Chri- Io. 1.
stum facta est) salutariter administratur. Nam utrumque reipsa idem, non est aliud quam Dei cultus, qui non fit laudabiliter coram Deo sine gratia Iesu Christi. Aut si quis ita malit: Est gratia sive charitas ipsa. Proinde dominus noster Iesus Christus nos patri suo reges atque sacerdotes fecisse dicitur. Quid, quod Petrus ipse paulo ante locum ex eo adductum praeclare indicat, se de
spirituali sacerdotio locutum, quo loco ait inibi[1] de domino nostro 1. Pet. 2, 4. 5.
loquens: *Ad quem accedentes, qui lapis est vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretiosus, ipsi quoque veluti vivi lapides aedificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Coristum.* An non hic auditis domum spiritualem

* n: ** n:

---

[1] Cf. 166 n. 1, ubi « inibi » eodem sensu adhibetur.

et hostias spirituales? Quocirca cum sacerdotis officium sit offerre hostias, nimirum ad Petri mentem, ut fidelis quisque est spiri-
1. Cor. 3. tuale templum domini, quemadmodum et Paulus ait; ita (139) spiritualis quoque est sacerdos, Deo spiritualem hostiam iugiter offerens, nempe non pecudem alienam, ut olim Iudaici sacerdotes, at proprium corpus in holocaustum suavissimi odoris domino quotidie mactans. — Ad summam igitur, quemadmodum in sacris literis passim dicimur nunc milites, nunc agricolae, nunc vinitores, nunc villici, nunc dispensatores, nunc operarii, nunc mercenarii aliisque huiusmodi nominibus tranlatitie dictis, ita quoque in locis scripturae adductis reges ac sacerdotes appellamur, nimirum non proprie, at translatitie, non materia rei, at similitudine, uti modo dictum est. Aut certe tota natio Christiana regale sacerdotium sive regnum sacerdotale dicitur, quod dominum et auctorem nostrae religionis habemus regem et sacerdotem Iesum Christum, cui tanquam capiti membra coniuncti et uniti sumus omnes, atque huius unionis gratia non singuli quidem, at universi vocamur regale sacerdotium aut sacerdotale regnum, quo loquendi genere aut civitatem aut populum Episcopo subiectum vulgo sacerdotalem appellare solemus, tametsi non omnes in eo sint revera sacerdotes. Hoc autem Christianis nunc exhibitum, Iudaeis olim promissum fuit, proinde ad utrosque dictum.

Postremo in confirmationem post scripturas istiusmodi ratiunculam subiicitis, nempe Christum eam ob causam venisse in mundum et hominem factum esse, ut quod esset, nos efficeret, nempe reges et sacerdotes. — O praeclaram rationem, tantis scilicet Theologis dignam! Num omnes ergo sumus inter Deum et hominem mediatores? num humani generis redemptores? num servatores hominum? num Ecclesiae capita? num primogeniti in fratribus? num unigeniti filii Dei? num denique dii etiam? idque non participatione modo, verum etiam natura? At haec omnia Christus erat. Ut ergo in ceteris, ita quoque in regno et sacerdotio Christus nos fecit, quod ipse erat, nempe (140) non essentia, sed participatu solum, idque duplici sensu, vel quod universi ceu membra caput habemus Iesum Christum et regem et sacerdotem, vel quod singulos effecit spirituales quosdam et reges et sacerdotes, nempe per gratiam seu charitatem in honorem Dei nos quotidie tum regentes tum offerentes, quemadmodum iam diximus. — Verum si vel mica salis ac iudicii * foret in vobis, in ista saltem ratione vestra (quando

* indicii.

scripturam truncare nefas est) regis nomen suppressissetis. At nescii (veritate nimirum vos invitos adigente) simul et reges et sacerdotes esse nos omnes concluditis. Quapropter, nisi forte rei laesae maiestatis regiae haberi velitis, asserentes, omnes quoque subditos esse reges et pari cum rege suo potestate praeditos, profecto necessum est, ut confiteamini, quemadmodum non proprie, sed translatitie tantum reges dicimur omnes, ita et omnes nos pari locutionis forma vocari sacerdotes. — Ceterum praeter huiusmodi regnum atque sacerdotium improprie ac translatitie dictum, quod est tantummodo spirituale, internum ac invisibile omnibusque Christi fidelibus commune tam egenis quam divitibus, tam servis quam liberis, denique tam foeminis quam maribus, aliud praeterea esse regnum et sacerdotium proprie dictum pro hoc tempore legis Evangelicae, quod sit corporale, externum et visibile, certisque ac idoneis tantummodo personis a Deo concessum, cuius ministerio Ecclesia Dei publice utitur (quemadmodum praeter spirituale et privatum cuiusque templum est publicum et materiale Dei templum, quo fideles conveniunt omnes), vel hic unus ipse Petrus, unde testimonium protulistis, abunde vos docere poterat, nisi liber scripturae vobis iam pridem clausus esset. Nam et reges quosdam a turba veluti praeeminentes a subditis, et sacerdotes seu presbyteros a plebe tanquam pastores a grege apertissime distinguit. Subditos enim (141) cohortans ad obedientiam principibus exhibendam: *Subditi,* 1. Pet. 2, 13. 14.
inquit, *estote omni humanae creaturae propter dominum, sive regi tanquam praecellenti, sive praesidibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* E diverso autem sacerdotes ad curam plebis agendam exhortans: *Presbyteros,* 1. Pet. 5, 1. 2.
inquit, *qui inter vos sunt, obsecro (qui sum et ipse presbyter), pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes* etc. Quis, oro, nisi talpa caecior [1] non videt hic in Ecclesia describi peculiares quosdam, ut reges, ita et sacerdotes, non solum a reliqua turba separatos, verum etiam praestantiores ac eminentiores. Sed enim nunc et tempus et ordo postulant, ut argumentis vestris plane sophisticis et captiosis, utpote rudi populo

[1] *Mon.* C. 4: *Nisi talpa caecior* sis adeoque lamia totus... G 4[b]: *Caecitatem* huius *talpae* et dolos et rimas observemus. P 4[b]: Tam est in aprico, ut nemo, *nisi talpa caecior non videat.* — Cf. supra 96: Desinite... esse in propriis vitiis *talpae,* in alienis *lyncei.*

aequivocatione illudentibus, prorsum dissolutis atque contritis, quibus tantum evincitis invisibile sacerdotium (quod est translatitie dictum) esse omnibus commune, quod ultro damus, sacerdotium visibile (quod est proprie dictum), peculiare quibusdam in Ecclesia, fusius aliquanto firmiusqne sub articulo iam sequente adstruamus.

## ARTICULUS DECIMUS TERTIUS.

Nullum esse visibile vel externum sacerdotium.

### Responsio.

Nihil hoc articulo verius, siquidem novum testamentum aliud nescit sacerdotium, quam quo omnes Christiani ex aequo sunt sacerdotes per Christum. Sed alia ratione loquitur de iis, qui Ecclesiae praeficiuntur ex consensu multitudinis in verbi et sacramentorum ministratione aliisque officiis exercendis, quae ministris Ecclesiae incumbunt, quae nisi vocatus nemo sibi vindicet *, ut latius in sequenti articulo explicamus **.

### Confutatio.

Nihil hoc articulo cum omni responsione falsius. Nam totum quod hic dicitur, vetus haereticorum commentum est (uti post in calce XVI. articuli [1] ostendemus), non ex sincero autem iudicio, sed ex (**142**) venenato cleri odio in plebis favorem, sacerdotii funditus exterminandi gratia, excogitatum ac ementitum, utpote non solum ab omni scriptura, verum etiam ab omni prorsus ratione abhorrens. Quapropter etsi vestro quidem sensu reprobo, in quem a Deo iam pridem traditi estis, novum testamentum aliud nescit sacerdotium, quam quo omnes Christiani ex aequo sunt sacerdotes per Christum, quod sacerdotii genus nos internum ac invisibile modo diximus; tamen *** orthodoxorum patrum sensu (quem in primo congressu germanum verumque Evangelii sensum esse docuimus [2]), novum testamentum aliud sacerdotii genus quibusdam in Ecclesia

* vendicat. ** explicemus.
*** tum.

[1] Infra 191-2.
[2] Supra 51. 63-64.

proprium agnoscere (quod e regione modo externum vocamus ac visibile), quam lucidissime ac validissime commonstrabimus.

Principio (ut intelligamus, de quo est disputatio) Apostolus sacerdotem ab officio hisce verbis finire videtur: *Omnis,* inquit, *Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae apud Deum aguntur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* etc. Qui sane locus non tantum intelligi debet de legali sacerdote, quoniam generali ratione omnem Pontificem describit, neque de sacerdotio invisibili ac interno * communi omnibus, quoniam aperte delineat Pontificem ex aliis hominibus electum et pro aliis constitutum, ceu mediatorem inter Deum et populum in divinis officiis, quorum primum atque summum exprimens ait hoc esse, donaria et victimas pro peccatis offerre. Quod ipsum quoque neutiquam intelligi potest de sacrificiis spiritualibus et internis, quandoquidem ea similiter omnibus ex aequo communia sunt. Quo fit in summa, ut externus visibilisque sacerdos intelligatur is, qui ex toto populo electus et divino cultui mancipatus, nomine totius populi Deo publice ministrat. Hic itaque locus, quanquam vel solus evincit novum testamentum necessario externum et visibile sacerdotium quoddam agnoscere, nonnullis peculiariter accommodatum, tamen ex (143) hac sacerdotis functione, ceu fundamento quodam iacto, rem ipsam altius paulo stabiliam atque firmabo. Nam hic protinus evadit manifestum, haec quatuor, nempe legem, religionem, sacrificium et sacerdotium, indissolubili quodam vinculo cohaerere, ita ut nulla ratione separari queant. Siquidem lege Deum cognoscimus, religione agnitum colimus; cultus autem Dei potissimum fit sacrificio; sacrificium denique offerre sacerdotis est. Quamobrem, ut nulla fuit unquam gens aut natio tam barbara, tam effera, tam immanis, quin per naturae legem qualemcumque numinis cuiuspiam ac divinitatis cognitionem habuerit Deumque aliquem sive verum sive falsum qualicunque religione coluerit: ita quoque nullus fuit ullo seculo populus, qui non habuerit et sacrificia quaedam, quibus Deum suum coleret, et sacerdotes quosdam ex se electos et a profana plebe separatos, qui rebus sacris tantum et divino cultui destinati, pro omni populo sacrificia Deo offerrent, id quod ex Ethnicorum historiis testatissimum esse, qui modo antiquitatis studio teneatur, opinor ignorare neminem. Unde sacra Geneseos historia sacerdotum Pharaonis (qui sub lege adhuc naturae in Aegypto fuere) meminit. Hinc quo-

Hebr. 5, 1.

Gen. 47.

* aeterno.

que legem scriptam humano generi a Deo per Mosen datam, utpote legis innatae reparationem, simile sacerdotium habuisse, videlicet externum, visibile ac certis tantummodo personis a Deo concessum, notius est ex veteris instrumenti libris, quam ut ad hoc ostendendum laborem insumere oporteat. Quis enim ignorat, illic unam tri-
Num. 4. bum leviticam in ministerium tabernaculi et altaris dominici fuisse divinitus electam, adeo ut non * modo Core, Dathan ** et Abiron
Num. 16. sacerdotale officium sibi usurpantes, Deo vindicante, a terra sint absorpti, verum etiam reges alioquin uncti, at diversae tribus, ut Saul et Ozias, hoc ipsum faciendo Deum graviter offendisse (144)
1. Reg. 13. legantur, quorum ille regni sui interitum divina ultione accepit, hic
2. Par. 26. lepra repente a domino percussus est ad diem usque obitus sui. Quid, quod in hac ipsa tribu levitica ne omnes quidem viri, ut de pueris et mulieribus taceam, sacerdotali titulo erant insigniti? Sed quanquam omnes quidem in ministerium domini erant acciti, tamen alii eorum aliis muneribus obeundis erant destinati, quemadmodum Exodus, Leviticus et liber Numerorum plane testantur. Denique nemo vel mediocriter doctus ignorat, quam multa passim legantur in veteris instrumenti libris, et legalibus et historicis et hymnidicis et propheticis, de propriis tum officiis tum vitiis sacerdotum, ut nulli dubium esse possit, in lege Mosaica fuisse quoddam externum ac visibile sacerdotium, non modo non commune in omnes utriusque sexus et cuiusque aetatis homines, sed ne in omnes quidem viros unius eiusdemque tribus leviticae. At vero, quoniam lex vetus Mosaica fuit typus et umbra novae legis Evangelicae, dicente
1. Cor. 10, 11. Apostolo: *Omnia in figura contingebant illis,* nempe Iudaeis, et
Hebr. 10, 1. rursus: *Umbram* habet *lex futurorum bonorum,* et Evangelica lex est utriusque legis, tam innatae, quam scriptae consummatio [1], quemadmodum in primo congressu diximus: — nimirum ut figurae ac umbrae lux, veritas et res ipsa respondeat, necessum est, hanc quoque legem Evangelicam novum habere sacerdotium, utrique superiori consimile, hoc est externum ac visibile, tum quod homo, duplici natura visibili ac invisibili constans, gemino itidem cultu, videlicet externo et interno Deum creatorem suum colere debeat, tum quod sacerdotium illud internum atque invisibile, de quo sub praecedenti diximus articulo, omni legi aequaliter sit commune.

* « non » deest. ** Chore, Datan.

[1] Cf. supra 60.

Nam quemadmodum Apostolo teste *translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio* (145) *fiat,* ita vicissim lege translata oportet, ut sacerdotii quoque fiat translatio. Haec enim, uti modo dictum est, naturali quodam consequio sese comitantur. Hoc autem sacerdotium tanto minus in omnes promiscuae ac profanae multitudinis competere liquet, quanto ipsum sacerdotium Evangelicum * et innatae et scriptae legis sacerdotio augustius ** esse sublimiusque constat, id est, quanto lux umbra, veritas figura, Evangelium lege, denique Christus Mose dignior est ac eminentior. Hebr. 7, 12.

Porro illud est, quod ut alibi, ita et hic vobis imponit, occidenti *** scilicet literae pro vivificante spiritu ubique adhaerentibus, quod nusquam in toto instrumento novo huius externi visibilisque sacerdotii novae legis Evangelicae sub hac nomenclatura, nempe sacerdotii, mentio fiat. Verum non animadvertitis, id haudquaquam temere factum, at singulari spiritus sancti consilio. Christus enim, qui non venit *solvere legem at implere,* factus *sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret,* non instituit novum sacerdotium ante, quam ex hoc mundo migraturus esset ad patrem, nempe in extrema coena. Quapropter veteri lege cum sacerdotio suo ad passionem usque Christi adhuc vim suam tenente, nusquam Christus externi ac visibilis sacerdotii, sub hoc quidem nomine, in vita meminisse legitur. Post Christi vero ascensionem, ubi iam Apostoli Evangelium orbi praedicare coeperunt, ubique tum in templis quotidie sacrificabatur, a Iudaeis quidem uni Deo vero creatori omnium, a gentibus vero diversis idolis hominum manu factis. Utrique **** autem sacrorum suorum ministros appellabant sacerdotes. Ideo Apostoli quoque a sacerdotis nomine temperabant, nimirum ne sacerdotii nostri cum sacerdotio aliorum fieret confusio, neve quis crederet, sacerdotium nostrum eiusdem esse rationis cum Iudaico aut gentili sacerdotio. At quemadmodum nova lex (146) Christi novo nomine vocata est Evangelium, ita quoque sacerdotes Evangelici novis interim nominibus complusculis in novi testamenti libris appellitantur, nempe Apostoli, discipuli, Episcopi, presbyteri, praepositi, praesides, pastores, dispensatores, doctores, ministri, et si quae sunt alia id genus tantumdem valentia. His enim appellationibus passim utitur novum testamentum, quoties de iis loquitur, qui ex populo electi pro populo constituuntur in iis, quae sunt ad

Matth. 5, 17. Gal. 4, 4. 5.

* « Evangelicum » et « sacerdotio » desunt. ** angustius.
*** accidenti. **** Uterque.

Deum, veluti mediatores quidam inter Deum et populum, quam externi visibilisque sacerdotis esse rationem ex doctrina Apostolica ostendimus [1]; donec Iudaeorum et gentilium templo cum suo sacerdotio funditus everso et praedicta ratione sublata, passim ab omnibus nostri presbyteri sacerdotes appellari coeperint. Proinde quando frustra de nominibus contenditur, ubi de rebus constat, maxime quoniam, ut iam ante dictum est aliquoties, Evangelium non in litera, at spiritu, non in sermone, at sensu collocatum est: ut etiam nomen quidem sacerdotii nusquam forte comperiatur in novo testamento de sacerdotio visibili Evangelico dictum, ipsam tamen rem illic contineri, nempe publicos esse ministros Ecclesiae seu populi divino cultui dedicatos, non solum a plebe separatos, verum etiam dignitate multo praestantiores, ex iis, quae dicta sunt, opinor (qui modo sit docilis) ambigere neminem. Haec autem ita se habere confirmant cum omnia, quae passim leguntur in literis Evangelicis de peculiaribus officiis Apostolorum discipulorumque erga populum, et e diverso populi erga Apostolos et discipulos; siquidem iuxta patrum expositionem Apostolis Episcopi, discipulis presbyteri successerunt in Ecclesia Dei; et quae loquuntur in Apostolicis epistolis de propriis muneribus praesidum Ecclesiae populique fidelis in subditos, et e contrario subditorum (147) in praesides Ecclesiasticos, tum vero totae tres illae Apostoli Pauli epistolae, nimirum duae ad Timotheum et ad Titum una. Nam ut superioribus epistolis suis ad Ecclesias directis universum fere Christi populum instruit, ita tribus his posterioribus ad Episcopos datis, in eis omnes Episcopos, sacerdotes aliosque Ecclesiae ministros ex professo docet, ita ut nulli mentis oculos habenti dubium esse queat, iuxta doctrinam et Evangelicam et Apostolicam esse publicos quosdam Ecclesiae seu populi ministros divinis officiis consecratos, a plebe discriminatos, quos ex descriptione externos visibilesque sacerdotes esse ostendimus. Ceterum adducendis huc scripturarum locis consulto supersedemus, partim quod nulli non sunt obvia, maxime ubi nunc ea observandi viam indicavimus, tum ex novis nominibus, quibus appellantur, tum a propriis officiis, quibus describuntur in novo testamento sacerdotes, praesertim quod omnia possetis eludere verbis istis, quae mox hic adiicitis, nempe omnes quidem huiusmodi scripturas intelligi de sacerdotibus Ecclesiae ministris, non quos ordi-

[1] Supra 175.

narunt atque consecrarunt Episcopi nostri, sed quos universae multitudinis sive plebis consensus sibi elegit atque constituit, nulla quidem potestate a reliquo populo distantibus, at solo ministerio, usu et exercitio populi consensu eis commisso, in verbi et sacramentorum administratione aliisque officiis exercendis etc., ita ut omnes Christiani ex aequo sint quidem sacerdotes, at officio ipso nemini liceat uti, nisi per multitudinis consensum, ideoque externum ac visibile sacerdotium non potestatis, at ministerii sit nomen.

Reliquum est igitur, ut haec duo sola quam strictissime confutemus, docendo * nempe, hoc visibile ac externum novi testamenti sacerdotium non ex plebis consensu, at ex Dei munere derivari, et huiusmodi sacerdotium non merum esse ministerium, (148) at spiritualem quandam potestatem solis legitime ordinatis Ecclesiastico ritu in sacerdotes propriam. Nam etsi prius illud satis iam constare poterat ex iis, quae in primo congressu de legitimo concionatore disseruimus [1], quemadmodum idonei Ecclesiae ministri a Deo eligi, vocari, designari atque mitti debeant, quodque ii habendi sint tanquam a Deo electi, vocati, designati atque missi, qui non a semetipsis, at a proceribus Ecclesiasticis, quos Deus Ecclesiae suae praefecit, huiusmodi ministerium acceperunt: tamen ut hic aliquanto plusculum illis addam —; si ex solo plebis consensu Evangelicum penderet sacerdotium, quo tum Evangelici sacerdotes a Pharaonis aliorumque gentilium sacerdotibus distabunt, quo meliores, quo digniores erunt? Siquidem legale sacerdotium neutiquam a plebe, sed a Deo collatum fuit. Ubi legitis in toto veteri testamento a plebe constitutos sacerdotes? Quanto minus ergo in novo instrumento sacerdotes hoc praestantiores, quo lex nova veterem antecedit, populi suffragiis creari possunt? Nonne Apostoli et discipuli, quorum illis Episcopi, his presbyteri successere, quemadmodum diximus, a Christo e multitudine citra ipsius assensum selecti, vocati ac instituti sunt? Nonne Paulus ipse Galatis suis scribens palam Gal. 1, 1.
asserit, se neque *ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum patrem* Apostolum fuisse constitutum? Nonne Paulus legitur alios deinde Pontifices sive *presbyteros per singulas* Act. 14.
*Ecclesias*, quibus evangelizaverat, constituisse, inter quos Timotheus Ephesiorum, et Titus Cretensium Episcopi fuerunt? Nonne Paulus

* « docendo » deest.

---

[1] Supra 36-44.

utrique horum praecepit, ut alios ordinent constituantque presby-
1. Tim. 5, 22. teros? Sic enim ad Timotheum ait: *Manus cito ne cui imponas,*
Tit. 1, 5. *neque communices peccatis alienis.* (149) Ad Titum vero sic: *Huius,* inquit, *rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui*
Act. 20, 28. *tibi.* Attamen Paulus ad maiores natu Ephesinae Ecclesiae Miletum accitos verba faciens ait: Spiritum sanctum eos posuisse *Episcopos regere Ecclesiam Dei,* praelare significans eos, qui legitime ab Episcopis in sacerdotes ordinantur, a Deo sacerdotii dignitatem accipere. Ubi, quaeso, in his locis omnibus aut quovis alio novi testamenti loco fit mentio de plebis assensu? Constat igitur ex his, ut aliorum Christi Apostolorum discipulorumque, ita Pauli quoque sacerdotium non a plebe, at a Christo profectum fuisse; deinde Timotheo, Tito aliisque, non plebis assensu, verum auctoritate Pauli donatum; postremo eandem potestatem ab eis in alios sine populi consensu transfusam, et nihilo secius * sacerdotium istiusmodi primitus a Deo promanasse. Est ergo sacerdotium Evangelicum non plebis, at Dei munus. Verumtamen etsi negare non possumus ob historias fide dignas, aliquando populum ad electionem admissum, et Episcopos pastoresque populi suffragiis esse creatos, tamen institutio et ordinatio nunquam penes populum fuit, at semper penes Ecclesiasticos proceres. Ceterum quod popularis illa res erat discordiae, iurgii, tumultus et nonnunquam caedis etiam plena, ita ut populus pro libidine sua nunc hunc exaltaret, nunc illum deiiceret, interdum quoque lapidaret; res ipsa persuasit, ut ius designandi Ecclesiae praesides vice totius populi, penes sola collegia Ecclesiastica foret, quemadmodum et alia permulta in melius Ecclesia Dei commutavit.

Nunc vero hoc posterius, videlicet externum ac visibile novi testamenti sacerdotium (150) non merum esse ministerium, at spiritualem quandam Dei gratiam, donum et potestatem, qua sacerdotes ad munus suum commodius sanctiusque obeundum reddantur idonei, non omnibus baptismo communem, at sacerdotibus ordinis sacramento propriam: — etsi quidem satis integro lectori persuasum esse poterat ex iis, quae sub articulo nono [1] de sacramento ordinis dicta sunt, tamen, ut nihil a quoquam desideretur, non pigebit eadem partim repetere, partim alia superaddere. Nam si dominus

* Hic additum est: « esse ».

---

[1] Supra 160.

Deus tantam Synagogae interiturae solicitudinem gessit, ut videns
Mosen solum, nimio curarum onere oppressum, ad Israelitici populi Num. 11.
gubernationem non sufficere, delectis ab eo iussu suo septuaginta
numero senioribus de spiritu impertierit, qui Mosi traditus fuerat,
quo et ipsi ad populum gubernandum aptiores efficerentur, quem
tamen populum Deus ipse repudiandum noverat; quanto maiori
curae Christo Ecclesiam suam perpetuo mansuram esse putabimus,
ut ministros ipsius ac praesides uberiore quadam gratia, dono et
potestate dignetur, quo ad eius populi gubernationem sint magis
idonei, quem sibi aliis repudiatis peculiariter elegit. Quid, quod
Apostolus (uti supra quoque retulimus [1]) Timotheum in Episcopum 1. Tim. 4, 14.
a se ordinatum expresse hortatur, ne negligat, sed suscitet gratiam 2. Tim. 1, 6.
sive donum Dei, quod in eo erat impositione manuum suarum, id-
que nominatim auctoritate sacerdotii, quemadmodum luculentissime
reddidit Erasmus? Quod ne quis uni Timotheo contigisse credat,
nonne hic idem Apostolus tum in Corinthiis, tum in Ephesiis inter 1. Cor. 12, 4-10.
divina charismata sive dona gratuita (151), per Christum hominibus
distributa, prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, pastorum at-
que doctorum munera recenset, de Christo dicens: *Idem dedit alios* Eph. 4, 11-13.
*quidem Apostolos, alios vero prophetas, alios autem Evangeli-
stas, alios autem pastores ac doctores*. Sed quem in finem? Au-
dite Paulum continuo subdentem: *Ad instaurationem sanctorum,
in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi*. Sed
quanto id tempore fiet? Eundem audite continenter addentem: *Do-
nec perveniamus omnes in unitatem fidei et agnitionem filii Dei,
in virum perfectum, in mensuram aetatis plenae adultae Christi*,
hoc est, usque ad seculi consummationem, ne quis cavillari possit,
id tantum in principio nascentis Ecclesiae factum. Quis, obsecro,
ex his non intelligat, iuxta doctrinam Apostolicam externum ac vi-
sibile novi testamenti sacerdotium, quod hic pastorum ac doctorum
nomine designatur, esse speciale quoddam Dei charisma, donum et
potestatem, non baptismo communem omnibus, at Episcoporum or-
dinatione sacerdotibus propriam? Porro geminam sacerdotalis or-
dinis potestatem Apostolis et discipulis eorumque successoribus a
Christo traditam esse, orthodoxorum primum interpretatione didi-
cimus, unam consecrandi corpus Christi verum, ante passionem eis
datam in extrema coena, simul atque sacerdotes creati sunt, quando

---

[1] Supra 160.

Luc. 22, 19. (teste Luca) dixit ad eos: *Hoc facite in mei commemorationem;* alterum vero absolvendi corpus ipsius mysticum sive membra eius, hoc est, populum fidelem, post resurrectionem illis datam, quando Io. 20, 23. (teste Ioanne) apparens illis, flavit in eos ac dixit: *Accipite spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt.* At ex aperta Evangelici textus narratione constat, utrumque dictum ad solos Christi Apostolos, semota hominum turba, et quidem cum baptizati iam dudum essent. Quocirca liquet, Evangelicum sacerdotium non merum esse ministerium, plebis assensu commissum, at spiritualem quandam potestatem, solis ipsis sacerdotibus post baptismum legitima Episcoporum ordinatione tributam.

## (152) ARTICULUS DECIMUS QUARTUS.

Igitur omnes in Christo baptizatos corpus Christi consecrare posse et facere omnia, quae sibi vindicant sacerdotes et Ecclesiae ministri.

### Responsio.

Omnes Christiani sic facti sunt sacerdotes per Christum et consecrati, ut denuo nullis ceremoniis, nempe unctionis, rasurae, opus habeant ad sacerdotalem functionem exercendam, id quod re ipsa vos ipsi fatemini, cum infantes a laicis domi baptizatos non reiicitis ab Ecclesia, veluti damnatos, si prius moriantur, quam in manus ministri Ecclesiae veniant; nec etiam Turcam aut alium quemvis infidelem, quem laicus in fidei nostrae mysteriis instruxit, etiam si diem obeat, priusquam Ecclesiae minister illius animum ulterius formandum suscepit. Verumtamen nemo sibi usurpet hoc muneris, nisi magna urgente necessitate, sed vocetur multitudinis consensu, ut supra diximus. Nam Paulus 1. Cor. 14. vult omnia fieri ordinate et decore in Ecclesia. Quomodo autem fiat ministrorum electio, docet nos spiritus sanctus in actis Apostolicis et literis Paulinis.

### Confutatio.

Quod sit a veritate prorsus alienum quod hic adfertur, ex iis quae iam proxime * diximus [1], integro lectori sat superque per-

* proprie.

[1] Articulo 13. supra 174 sq.

suasum arbitror. Nam si omnes Christiani (ut dicitis) ita facti sunt sacerdotes et consecrati per Christum in baptismo, ut ad sacerdotalem quamvis functionem exercendam denuo nulla ordinatione reliqua, ceremoniis quibuslibet facta, opus habeant: — cur dominus noster Iesus Christus (uti nunc ostensum est) solos Apostolos discipulosque suos, tum pridem utique baptizatos, ex hoc mundo rediturus ad patrem, novo sacerdotio instituto, denuo tandem in sacerdotes consecravit, donans illis eorumque successoribus geminam sacerdotalis ordinis potestatem, nempe conficiendi verum corpus suum, et absolvendi corpus suum mysticum? Cur spiritus sanctus Paulum et Barnabam, etsi a Deo iam ante in munus Apostolicum electos atque vocatos, denuo (153) tamen per prophetas et doctores Antiochenae Ecclesiae, qui tum aderant, in Apostolatus ministerium segregari voluit? Cur Paulus Timotheum et Titum, prius indubie baptizatos, denuo in Episcopos sive presbyteros ordinavit? Cur denique Timotheus et Titus a Paulo iubentur, alios oppidatim constituere presbyteros et Episcopos, nimirum aliquamdiu baptizatos, quando Paulus Timotheo praecipit, nec cui cito manus imponat? et iuxta Apostolicam Episcopi formulam oportet, eum non esse neophytum, at spectatae tum doctrinae tum probitatis. Quis ergo ex his non videt, Christiano homini post baptismum, ad sacerdotii munus rite obeundum, nova ordinatione opus esse? Porro hanc sacerdotum ordinationem sive consecrationem non sine certis quibusdam ceremoniis ex spiritus sancti magisterio acceptis, vel Apostolorum tempore factam, illa divinae scripturae loca iam aliquoties repetita palam ostendunt. Nam Paulus et Barnabas a prophetis doctoribusque tum Antiochiae degentibus impositione manuum in Apostolos ordinati sunt. Paulus item aperte testatur, Timotheum impositione manuum suarum in Episcopum a se consecratum. Denique Timotheo mandat, ne simili manuum impositione cito ac temere quemvis presbyterum constituat. Quare nulli dubium esse potest, iisdem ceremoniis ceteros quoque Apostolos ordinasse presbyteros ac Episcopos. Verum etsi aliarum quidem ceremoniarum, quibus hodie in ordinandis sacerdotibus Ecclesia utitur, in Evangelicis Apostolicisque literis nusquam fit mentio, tamen eas ex Apostolicis traditionibus, ut pleraque alia, quemadmodum in primo congressu monstravimus [1], absque scripto ad nos pervenisse,

[1] Supra 62.

vel illud unum mea quidem sententia evicerit, quod beatus Dionysius, sancti Pauli discipulus, libro coelestis hierarchiae cap. 5. de consecrandis Episcopis, presbyteris et diaconis, nimirum ex ritu Apostolorum, tam accurate praescribit.

At quod unctionis et rasurae tacita quadam irrisione nominatim (154) hic meministis, qui nos contemptim oleatos et rasos appellare soletis; nec ignoramus nec diffitemur, neutrum horum ordinatis conferre gratiam et potestatem ordinis, imo nullius plane momenti ac ponderis esse, nisi et externae unctioni corporis per oleum respondeat interna mentis unctio per gratiam, et visibili capitis rasurae a pilis consentiat invisibilis animi rasura a terrenis cupiditatibus, quorum utrumque spiritus sanctus per ordinis sacramentum in sacerdotibus ordinatis operatur, si modo citra obicem accedant. Nam sacramenta a Christo instituta sunt, quae gratiam conferunt, ceremoniae vero (quae sacramentalia vulgo nominantur) magisterio spiritus ab Apostolis pro sacramentorum ornatu et honestamento traditae sunt, haud tamen absque mystico quodam significatu. Qua de re, si quis plura scire velit, nempe quemadmodum huius sacramenti ceremoniae ex Apostolorum traditione ad nos manarint, quidve symboli teneant, is legat Thomam Valdensem, (Thomas Valdensis.) volumine sexto lucubrationum eius contra Viclevicos, quod de sacramentis inscribitur titulo VII°; et nonnihil de rasura sacerdotalis verticis apud Rupertum, (Rupertus.) olim Abbatem monasterii Tuitiensis e regione felicis Agrippinae Coloniae [1] in Rheni ripa siti, ordinis sancti Benedicti, virum praeter vitae sanctimoniam, et doctrina et dictione cum omni antiquitate certantem lib. II. de divinis officiis cap. 25.

Porro ea duo, quae pro sententia vestra subiicitis argumenta, nempe laicos posse, ubi extrema urget necessitas, et baptizare infantem et catechizare Turcam aut alium quemlibet infidelem, nihil minus, quam hoc, quod vos per ea vultis, efficiunt, nimirum omnes Christianos ex baptismo potestatem habere ad sacerdotalem quamvis functionem exercendam: tum quod (ut ostendimus in calce articuli proxime praecedentis [2]) sacerdotii potestas consistit in conse-

---

[1] Quam saepe Herborneus *Agrippinam Coloniam* **felicissimam** praedicet, legenti eius scripta in propatulo est. Vide e. g. *Notas* S *b*; ***Mon.*** Ep. dedicat. A 3. A 4[b] et ***Meth.*** S 8. — Quin etiam in ***Enchiridio*** (A 7[b]) « ***Ad lectorem*** »: Cuius, inquit, ego laudes, dum fata hos artus regunt, non cessabo resonare.

[2] Supra 181-2.

cratione veri corporis Christi (quod ex officio proprio quotidie habet offerre), et in absolutione corporis (155) mystici eiusdem, neutram autem * potestatem competere docuimus, nisi sacerdotibus Ecclesiastico ritu ordinatis; tum quod baptismus et poenitentia sunt sacramenta necessitatis; in necessitate autem Deus virtutem suam non solum non ministris, verum etiam ne sacramentis quidem alligatam esse voluit. Quapropter in necessitatis articulo non modo per laicum fieri potest infidelis ad fidem instructio, verum etiam baptismus per eum collatus et confessio eidem facta [1] vim habent, imo solum utriusque votum in hoc casu sufficit. Verum recte subditis, neminem oportere hoc muneris sibi usurpare absque magna necessitate, at eum tantummodo, qui legitime vocatus fuerit. At legitimam vocationem fieri non consensu plebis, sed procerum Ecclesiasticorum auctoritate, iam bis, et in primo congressu [2] et sub praecedenti articulo [3] satis, opinor, edoctum est. Sed utinam observaretis Pauli consilium hic per vos adductum, qui vult omnia 1. Cor. 14.
fieri ordinate ac decore in Ecclesia. Nihil enim vestra ista Ecclesia neque confusius neque deformius, in qua, sublato ordine rerum omnium pulcherrimo, instar veteris Socraticae ac Platonicae reipublicae, praetextu Christianae libertatis tum aequalia tum communia sint omnia. — Porro quod denique ministrorum electionem suffragiis populi debere fieri contenditis, ex actis Apostolicis et Paulinis epistolis haud satis, quando loca non proferuntur, quid sibi velit, ** intelligimus; nos enim bis iam ex utrisque diversum ostendimus, nisi forte electionem Mathiae Apostoli pro vobis facere creditis. At nihil minus. Non enim Mathias Apostolorum numero Act. 1.
ascriptus est plebis tantum consensu, at sententia universalis concilii totam Ecclesiam referentis, et quidem *** Petri tum summi Pontificis auctoritate coacti, tametsi ratio illa electionis per sortem in Ecclesia prorsus iam exoleverit. Quod autem illic nulla ceremoniarum in ordinatione Mathiae, sicut in Pauli et Barnabae ordinatione, mentio fiat, inde factum (156) doctores quidam autumant, quod tum

* « autem » deest.
** Additum est: « non ». *** qui.

---

[1] Confessio, deficiente sacerdote, in necessitatis casu laico facta, *certe utilis esse potest ad excitandam contritionem,* non autem efficax *ex opere operato.*

[2] Supra 42. 43.

[3] 179 sq.

spiritus sanctus nondum in Apostolos missus fuerat, qui eos postea docuit, ut aliorum sacramentorum, ita ordinis quoque ceremonias; Christus enim (uti diximus [1]) sacramenta instituit, sacramentalia vero spiritus sancti ministerio reliquit.

## ARTICULUS DECIMUS QUINTUS.

Omnes Romanos Episcopos (quos Papas appellamus) a temporibus Apostolorum fuisse antichristos, hoc est, Christi adversarios in doctrina et hypocrisi.

### Responsio.

Fieri potest, ut is articulus suo recessu plus veritatis claudat, quam ipsi creditis, etsi nunquam docuimus, omnes Romanae Ecclesiae praesides antichristos fuisse, sed illos solum, quos facili opera probemus ex ipsorum decretis, vetustis chronicis et aliis id genus scriptis, aliud docuisse aut nunc docere, quam quod Christi doctrinae sit consentaneum, quorum vestigiis vos strenue innitimini et Christi Evangelio, doctrinae et exemplo adversamini.

### Confutatio.

At contra potius fieri potest, ut is articulus plus erroris claudat, quam vos ipsi creditis. Nam, uti divus Cyprianus beato Cornelio, tum summo Pontifici Romano, scribens ait: Non aliunde haeres obortae sunt aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur; nam qui Romanum Pontificem contemnit, utpote Petri successorem, Christi vicarium et universalis Ecclesiae praesidem, penes quem sit totius Ecclesiasticae potestatis plenitudo, quemadmodum Christus apud Matth. 16. Io. 21. Matthaeum Petro promisit, apud Ioannem vero post resurrectionem 1. Tim. 3, 15. praestitit, Ecclesiam ipsam, quae *columna et firmamentum* est *veritatis* adeoque basis ac fundamentum totius nostrae fidei et religionis eadem opera contemnens *, non potest non prolabi brevius aut longius in multos errores, schismata et haereses, quemadmo-

* continens.

---

[1] Supra 184.

dum in capite huius tertii congressus[1] etiam praemonuimus. — Quod autem (157) subiungitis, vestro scilicet more, aliud inter vestros publice agentes, aliud privatim apud iudices accusati respondentes, nunquam vos docuisse, omnes Romanae Ecclesiae praesides a temporibus Apostolorum antichristos fuisse, sed illos solum, quos facili opera probetis ex eorum decretis, vetustis chronicis et aliud id genus scriptis, aliud docuisse aut nunc docere, quam quod Christi doctrinae sit consentaneum: — primo dicite, vos momi et critici: Qui constat istud cum eo, quod ad primum respondentes articulum dixistis, nunquam non errare nostram Ecclesiam[2]? Nos nempe caput et matrem agnoscimus Romanam Ecclesiam; quare si haec semper hallucinetur, qua ratione nunc tanquam immemores vestri adseritis, nonnullos tantum Pontifices Romanos fuisse antichristos, et a Christi Evangelio dissentanea docuisse? ut hic quoque vobis iterum occinere liceat Horatianum illud ab initio vobis obiectum: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum! — Deinde quod si res adeo facilis negotii sit probare, nonnullos Romanae Cathedrae antistites doctrina sua vel olim fuisse vel etiamnum esse antichristos, cur non ostenditis, cur non docetis, ut sit cui respondeamus? Sed, qui mos vester est, hyperbolicis istiusmodi mendaciis credulam plebem tanti domino suo Iesu Christo constantem miserabiliter abducitis. Nunc vero quod dicitis tantum, nihil probantes, nos vero cum tota Dei Ecclesia Catholica contradicimus, idque tot seculorum praescriptionem habentes; utri parti maior fides habenda sit, quis nesciat? Haud nobis clam est, signiferum vestrae factionis M. Lutherum fuisse quidem conatum ostendere, nonnulla Pontificum decreta pugnare cum Evangelio Christi eo in libro, quo sceleratissimae combustionis suae decretorum causas reddere tentavit. Verum quam frigide rationem incendii sui praestiterit, doctissimorum virorum opera toti iam orbi patefactum est. Illud modo nobis in universum (158) dixisse suffecerit in praesentia, quod (ne dicam post Apostolorum tempora Pontifices Romanos et martyrio pro Christi nomine coronatos et miraculis ab eo tum in vita tum in morte illustratos) **nullus omnino Ecclesiae Romanae praesul** (qualis qualis tandem ipse vita sit ac moribus; iudicem suum habet pastorem pastorum), donec Romanus manet Pontifex (manet autem quamdiu fidelis est), **aberrare potest in causis Ecclesiae ac fidei ad humanam**

[1] Supra 87. [2] 88.

**salutem necessariis, et quidem iudiciali determinatione, quam sedis**
Matth. 16. **auctoritate facit**; idque tum ob veridicam Christi promissionem Petro factam, nempe futurum, ut portae inferorum adversus Ecclesiam
Luc. 22. nullo tempore praevalerent, tum ob efficacem eiusdem orationem pro eodem fusam, ne quando fides ipsius deficeret. Error enim Romani Pontificis, tanquam universalis Ecclesiae pastoris, totius Ecclesiae per sequelam error foret. Unde beatus ille Christi martyr Cyprianus nihil veritus est ingenue profiteri, quod ad Romanos perfidia non possit habere accessum. Et gloriosus doctor Hieronymus nihil dubitavit scribere, quod Romae nulla primo coepit haeresis pullulare. Quamobrem si in hoc erramus, quod Romanorum Pontificum vestigiis strenue innitimur, decreta illorum amplexantes, utpote ad Evangelicam quoque doctrinam pertinentia, quemadmodum in primo quoque congressu [1] a nobis ostensum est; libenter erramus, nec, quoad vivemus, hunc errorem animis nostris evelli patiemur, tantis nimirum ducibus freti. Nam et Ambrosius magistram in omnibus se profitetur sequi Romanam Ecclesiam. Et Hieronymus ait: Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est; et alibi scribens ad Damasum Papam: Emendari, inquit, cupimus a te, qui Petri sedem tenes et fidem. Proinde hos sanctos Dei homines hac parte imitantes neutiquam credimus, nos Romanorum Pontificum inhaerendo vestigiis Christi Evangelio adversari neque doctrina neque exemplo, siquidem decreta eorum observantes atque praedicantes nihil contra Christi Evangelium vel docemus vel agimus, uti modo satis dictum est.

## (159) ARTICULUS DECIMUS SEXTUS.

Ergo omnes Episcopos et sacerdotes ab eis ordinatos esse Papistas, et non veros Dei sacerdotes.

### Responsio.

Hunc articulum nec omnino probamus nec reiicimus, sed qualis qualis est pro nostra doctrina non agnoscimus, quamvis maxima pars sacerdotum, qui ab eis creati sunt, re ipsa testantur se tales esse et nihil minus, quam veros Christi sacerdotes, quos ea de re Papistas dicimus, quod impiis Romanensium Pontificum decretis (qui

[1] Supra 65. 66.

Papae dici coeperunt) in totum sunt addicti, neglecto interim vero Christi sacerdotis officio.

## Confutatio.

Principio aut verus est et probandus, aut falsus et reiiciendus; nihil enim est tertium. Quo igitur pacto nec probare nec reiicere potestis? Deinde hanc vestram esse doctrinam, etsi tanquam viri duplices, inconstantes in omnibus viis vestris, ipsi non intelligitis, tamen e propriis dictis facile vos docebimus. Nam sub articulo XIII.[1] et XIIII.[2] asseruistis, legitimos Christi sacerdotes non debere sacerdotalem exercere functionem, nisi vocatos idque multitudinis consensu. At omnes nostri sacerdotes tantum ab Episcopis ordinati sunt, nullus autem solo plebis assensu creatus. Quocirca dum hic admittere videmini, aliquos sacerdotes a Papis aut Romano more consecratos esse veros Christi sacerdotes, nonne iterum hic vobis adeo parum constantibus obiectare licebit carmen Horatianum toties repetitum: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum? maxime quod nondum audivi, sacerdotes nostros in castra vestra transfugientes, exspectare populi suffragia, priusquam sacerdotale munus obeant. Iam vero quod additis, maximam partem sacerdotum, qui a Papis creati sunt, re ipsa testari, se nihil minus esse, quam veros Christi sacerdotes: — si ea hic mens vestra sit, ut istis verbis ipsam sacerdotii potestatem eis ademptam velitis, (160) omnibus modis refragamur. Ea enim vetus est et pestifera haeresis Valdensium, Viclevicorum et Hussianorum, qui docuerunt, improbitate ministrorum cassari vim et efficaciam sacramentorum, malosque sacerdotes in administratione * sacramentorum efficere nihil. At quanquam in aliis plerisque illis assentimini, tamen ut nulli per omnia haeretici conveniunt, ita hic ab eis dissidetis, nec in eorum omnino sententiam ire potestis, quando secundum vestra paradoxa omnes Christiani utriusque sexus, cuiuscunque vel aetatis vel conditionis, ex baptismo aequa potestate praediti sunt. Sin vero eo sint a vobis animo dicta, ut oratione ista et honestatem et doctrinam vero Christi sacerdote dignam velitis ademptam, profecto non sine magno

* administrationem.

---

[1] 174.
[2] 182.

animi dolore agnoscimus et confitemur; atque mea quidem sententia hinc omnis nostri seculi tempestas oborta. Non enim locum fidemque dedit signifero vestro M. Luthero contra praeiudicium atque consensum tot seculorum, tot nationum, denique totius Ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae, idque in haeresibus non semel maiorum auctoritate condemnatis, ipsius quidem singularis ulla virtus aut eruditio, — quam certe nullam adhuc esse nemo vel mediocriter doctus non videt —; sed flagitiosa multorum ubique sacerdotum vita atque inscitia, quam vel accusare vel vincere nullius plane negotii sit, praesertim iudice populo (in cuius gratiam agitis omnia) cum sua iam olim sponte, tum abominatione praesentium morum in Ecclesiasticos non parum accenso. At improba cleri vita nihil meliorem reddit haeretici causam, neque vera ministrorum Ecclesiae accusatio falsam Ecclesiae fidem veramque haeresin efficit. *Oportet offendicula fieri, at vae homini per quem.*
Matth. 7, 5. Verum hypocritae *primum trabem ex oculis vestris* eiicite, et tum videbitis, ut eiiciatis *festucam de oculo* fratrum vestrorum [1].

Postremo quod in calce annectitis, vos ea de re (**161**) sacerdotes nostros appellare Papistas, quod impiis Romanensium decretis (qui Papae dici coeperunt) in totum sunt addicti, neglecto interim vero Christi sacerdotis officio; — primum hic vos scire volumus, quod etsi contemptim vos quidem nos appellatis Papistas, haudquaquam tamen nominis Papae nos pudere. Nam qui Papam Christi vicarium, Petri successorem et universalis Ecclesiae pastorem non agnoscit patrem, nec Ecclesiam Christi sponsam habere potest matrem. Neque recens est Papae nomen (id quod in transitu subindicatis *), ab heri (ut aiunt) et nudiustertius natum, utpote saepius apud Hieronymum, Cyprianum aliosque veteres inventum. Porro Romanorum Pontificum (quos hic Romanenses fastidiose dicitis) decreta non esse impia, et in primo congressu [2] et sub proximo articulo [3] paucis in universum ostendimus. — Denique sacerdotes nostros in totum addictos esse decretis Pontificum, neglecto interim

* subiudicatis.

[1] Simili modo vertit Herborneus Luc. 6, 42. in *Methodo* T 4 b: *Eiice* primum *trabem* de oculo tuo tumque circumspicies, ut et *festucam* ex fratris oculo *eiicias* — quae versio *neque* convenit *Vulgatae* (Luc. 6, 42; Matth. 7, 5) neque *Erasmi.*

[2] 65.

[3] Art. 15. 187.

vero Christi sacerdotis officio, non minus impudenter mendax criminatio est. Quis enim ignorat, sacras utriusque testamenti literas longe quidem anteponendas, at interim tamen sanctiones Pontificum velut ipsas quoque a spiritu sancto profectas et ob id ad Christianam Evangelicamque doctrinam pertinentes, suo etiam loco in Ecclesia Dei non esse privandas? Verum haud satis divinare possumus, quod hic verum dicatis sacerdotis Christi officium. Nos quidem sub articulo XIII. [1] ex Apostolica sententia docuimus, praecipuum ac peculiare sacerdotis esse munus, offerre dona et sacrificia pro peccatis, id quod a nostris sacerdotibus quotidie celebrantibus minime negligitur. At praedicare verbum Dei non esse proprium ac substantiale officium sacerdotis, uti Lutherus vester docet, adeo ut eum qui verbum Dei non praedicat, omnino neget sacerdotem, primo inde colliquescit, quoniam etsi quis in sacerdotem consecratus (162) est, tamen, nisi ad verbi ministerium legitime fuerit accersitus, ut etiam sit divinae scripturae peritissimus, haudquaquam praedicationis officium usurpare debet, quemadmodum in primo congressu [2] demonstratum est. Huc accedit manifestum Apostoli testimonium, quo loco ait: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* 1. Tim. 5, 17.
An non hic palam Apostolus indicat, quosdam fuisse iam suo tempore presbyteros, qui verbum Dei non praedicarent (non enim id muneris datum est omnibus), sed divina tantum devote persolverent officia et Ecclesiastica sacramenta subditis administrarent? Denique Eusebius lib. IX. Ecclesiasticae historiae cap. X. per transcursum subindicat, in principio nascentis Ecclesiae simplicioribus quidem ac sanctioribus immolandi sacrificii officium, sapientioribus autem et doctioribus ministerium divini verbi praedicandi fuisse concreditum. Verum in his duobus articulis extremis nihil praeter Evangelii vestri flosculos, hoc est, convicia habentibus, more patrum vestrorum, id est, veterum haereticorum exemplo agitis, qui semper in Romanam Ecclesiam saevierunt atrocius, utpote quae sola omnium haeresum ceu monstrorum victrix ac domitrix semper extiterit.

A quibus haereticis compilati sint errores isti de sacerdotio.

Ceterum ne hic quidem est, quo gloriari possitis in malitia vestra, tanquam inventores novi dogmatis. Nam error hic de sacerdotio Evangelico, de quo sunt proximi quinque articuli, est haere-

[1] 175.
[2] 37 sq.

sis antiqua cum omnium sacramentum ordinis negantium, tum vero Cataphrygum, Peputianorum et Quinctilianorum etc. Nonne igitur et hi quinque articuli iure vobis tanquam haeretici sunt obiecti?

## ARTICULUS DECIMUS SEPTIMUS.

De coelibatu sacerdotum. Sacerdotes omnes oportere coniugatos esse, et uxoribus defunctis licere eis accipere alias, si voluerint.

### Responsio.

Primam huius articuli partem nunquam docuimus; idcirco nostram esse penitus negamus; scimus enim Dei (163) beneficio coniugium quibusvis esse liberum in novo testamento, nec quemquam ad id cogi debere, nisi qui donum continentiae non habet. Utatur ergo unusquisque dono sibi a Deo dato iuxta Pauli doctrinam 1. ad Cor. 7. et Christi Matth. 19. Porro alteram partem veram asserimus et a nostra doctrina profectam, maxime cum non pugnat cum sacris literis, nec scriptura discrimen facit (quantum ad hanc rem attinet) inter vulgus et Ecclesiae ministros.

### Confutatio.

Unde commodius hic ordiar, immundissimi sues, quam inde
Gal. 3, 3. quod ad Galatas suos ait Paulus: *Adeo stulti estis, cum spiritu coeperitis, nunc carne consummamini.* Haeccine illa spiritualis Ecclesia est, quam sub primo articulo iactabatis? Haeccine illa libertas est spiritus, quam sub articulo secundo praedicabatis? Hiccine spiritus ille est, quem plenis (ut aiunt) buccis apud omnes interdiu ac publice crepatis, ut privatim ac nocte carne fruamini.
Rom. 8, 13. At scriptum est: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Porro quanquam ad priorem huius articuli partem respondentes pro consuetudine vestra (quam secus apud ceteros atque inter vestros dicitis) aliquanto moderatius loquimini, quam et vos praedicasse a fide dignis accepimus, et aliquot factionis vestrae complices alibi docuisse certo scimus, qui nescio quarum interminatione poenarum omnibus presbyteris e suggesto publice coniugium imperabant: quando scilicet negatis vos docuisse unquam, oportere coniugatos esse sacerdotes omnes, tum vel sic in isto moderamine vestro duos

hic errores ipsi agnoscitis atque profitemini. Primo quidem quoniam vos scire iactatis, coniugium quibusvis esse liberum in novo testamento, idque iuxta Pauli doctrinam 1. Cor. 7., quo loco ait: *Dico* (1. Cor. 7, 8) *inconiugatis et viduis: bonum eis est, si manserint ut et ego; quod si se non contineant, contrahant matrimonium. Nam satius est* (164) *matrimonium contrahere, quam uri.* Nam etsi liberis quidem et castitatis voto non obnoxiis integrum est coniugium, et melius matrimonium contrahere quam uri[1], de quibus in praesentia loquitur Apostolus; tamen eos, qui propter Deum sese voto continentiae hac libertate privaverunt, citra damnationem non posse matrimonium contrahere, alibi hic idem Apostolus docet, ubi de iunioribus viduis verba faciens: *Iuniores,* inquit, *viduas de-* 1. Tim. 5, 11. 12. *vita; cum enim lascivire coeperint adversus Christum, nubere volunt habentes condemnationem, quod primam fidem irritam fecerunt.* Quapropter istiusmodi hominibus nec contrahere matrimonium nec uri bonum est, sed utrumque malum. Neque enim ad mentem Apostolicam is dicitur uri, qui carnis libidine tentatur, id quod etiam ad coelestis coronae cumulum facit, modo non consentiat; at qui concupiscentiae flamma superatur. Alioque Paulus contra suum ipsius consilium agendo peccasset, qui stimulum carnis quidem se pati conquestus est, at nunquam tamen contraxit. Iam Evangelici sacerdotes nostri, cum sacris primum initiarentur ordinibus, ex Ecclesiastica constitutione ac consuetudine solemniter perpetuam voventes continentiam, hac se carnis libertate ultra ipsi privarunt, quo maiori spiritus libertate in Christo frui possent. Quoniam ergo falsum esse docuimus, coniugium quibusvis esse liberum in novo testamento, non id scitis Dei beneficio, uti mendaciter gloriamini, at potius diaboli maleficio illusi hoc erroneum esse nescitis*.

Deinde alterum errorem confitemini, quando subditis, aliquos certe sacerdotes (de his enim sermo), nempe qui continentiae donum non habent, ad coniugium esse cogendos, idque iuxta Christi doctrinam Matth. 19. docentis, continentiam esse Dei munus, cum (Matth. 19, 11) ait: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* — Primo namque neminem oportet ad peccatum compellere; at Evan-

* noscitis.

[1] Ad obiectionem: *Melius nubere quam uri,* optime respondetur in *Mon.* c. 3. E 4 sq.

gelici sacerdotes (**165**) nostri propter solemne castitatis votum emis-
sum in acceptione sacrorum ordinum, citra criminale peccatum non
possunt inire matrimonium, uti modo dictum est. Proinde hodie
nulli sacerdotes, qualescunque tandem fuerint, ad coniugium sunt
compellendi. — Secundo continentiam esse divinum munus, quis
vel nescit vel negat? Sed quid tum postea? non enim continentia
modo, verum omnis etiam virtus atque opus bonum Dei donum
Iac. 1, 17. est, dicente Iacobo: *Omnis donatio bona et omne donum perfe-
ctum e supernis est descendens a patre luminum.* Nam uti Chri-
Io. 15, 5. stus de se ait: *Sine me nihil potestis facere,* nihil modo boni
(quod modo sit aeterna vita dignum) absque Christi gratia praesi-
dioque operari valemus, quemadmodum superius dictum est, cum
de gratia et libero arbitrio dissereretur. At gratia Christi omnibus
eum in veritate invocantibus parata semper, exposita est ac obvia,
Matth. 21, 22. iuxta propriam ipsius promissionem: *Omnia quaecunque orantes
Mar. 11, 24. petitis, credite quod accipietis, et evenient vobis;* quoniam, ut
Mar. 9, 22. alibi dicit, *omnia sunt possibilia credenti.* Proinde quisquis conti-
nentiam Deo vovit, iuxta beati Iacobi consilium *postulet cum fidu-
Iac. 1, 6. cia, nihil haesitans, a Deo, qui dat omnibus affluenter et non
improperat, et dabitur illi;* idque exemplo auctoris libri sapien-
Sap. 8, 21. tiae ita de se loquentis: *Ut scivi, quoniam aliter non possem
esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapere, scire
cuius esset hoc donum; adii dominum et deprecatus sum il-
lum* [1] etc. Quamobrem etsi continentia, quemadmodum virtus alia
quaecunque ac omne opus bonum coelesti praemio dignum, est
homini naturae tantum suae relicto non difficilis modo, verum etiam
omnino impossibilis; tamen ex adverso homini gratia Dei seu cha-
ritatis dono adiuto non solum possibilis est, sed etiam plane facilis.
Amanti enim nihil difficile. (**166**) Hinc Apostolo Paulo stimulum
2. Cor. 12, 9. carnis ter dominum deprecanti, responsum est: *Sufficit tibi gratia
mea.* Verum quod oratio pigri vana est; interea, dum quis pro
continentiae dono assidue Deum orat, ipse quasi manus simul ad-
movens, mulierum consortia fugiat, carnis libidinem abstinentia do-

---

[1] Eodem fere modo (amplificate tamen) iisdemque testibus probat *Herborneus* castitatis votum esse servandum posseque servari, in *Monade* c. 3. D 8 b. — E 2. — *Ass.* 154: Qui se non continent post solemne votum continentiae, ipsi sibi damnationem acquirunt; frenis enim orationum, ieiuniorum vigiliarumque lumbi incontinentiae restringendi sunt.

met et divinae scripturae studium colat; atque carnis vitia non amabit [1]. Nihil est igitur, quod nonnullos sacerdotes ad matrimonium compellendos esse causamini, eo nomine, quod continentiae donum non habent, quippe quod nulli recte volenti negatum sit. Alioqui eadem ratione homines ad quaevis peccata cogendi forent (siquidem sacerdotem matrimonium contrahere, uti diximus, ob voti transgressionem peccatum est), quod sicut de continentiae dono, ita de gratia Dei nemo hic est certus, iuxta illud: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Eccle. 9, 1.

At vero dum alteram propositi articuli partem veram asseritis et a vestra doctrina profectam, nempe uxoribus defunctis licere sacerdotibus ducere alias si voluerint, nimis quam rudem et crassum errorem confitemini atque a morte servatoris nostri nusquam (ubi modo Christi nomen viguerit) hactenus auditum, videlicet digamiam sacerdotibus esse licitam. Sed qua tandem fronte vos dicere non pudet, qui tantopere scripturarum peritia gloriari soletis, id non pugnare cum sacris literis, neque scripturam discrimen facere (quantum ad hanc rem attinet) inter vulgus et Ecclesiae ministros? An non meministis, Paulini scilicet Theologi, quemadmodum Paulus et Timotheum doceat, qualem ipsum esse oporteat Episcopum: *Oportet,* inquit, *Episcopum esse unius uxoris* 1. Tim. 3, 2.
*virum;* et Titum, qualem ordinare debeat Episcopum: *Si quis,* Tit. 1, 6.
inquiens, *est unius uxoris vir;* rursus de diaconibus sive ministris, quomodo itidem ad Timotheum scribat: *Diacones,* inquit, 1. Tim. 3, 12.
*sint unius uxoris viri.* Nonne his in locis Ecclesiae ministris Apostolica auctoritate digamia palam interdicitur? Sed quo in loco (dicite) vulgo sive laicis eandem divina scriptura vetat? (167) Ecquid ergo non pudet tam impudens mendacium verbo Dei ascri-

[1] *Ench.* M 4: Si obiicias sacerdotes moderni temporis incontinenter vivere, atque proinde solvendam legem olim conditam, respondeo, in dispensatione non attendendum, quid hominum peccata, sed quid iustitia, quid communis utilitas, quid necessitas exigat. Quanquam igitur inter sacrificos sint, qui foeda libidine oleant, qui incestis manibus sacra orgia contrectent, non est ob id iustissime edita lex totque conciliis roborata, tantis annorum curriculis recepta, violanda ac infrigenda, quin potius cogendi essent sacerdotes ad literarum studia, ad verbi ministerium, et ciborum frugalem usum, et ita demum cessaret carnis uredo. Sine Cerere (inquit quidam) et Baccho friget Venus. Sic sese castigasse Apostolos, sic viros doctrina ac vita conspicuos legimus fecisse, uti carnem in servitutem redigerent caelibemque vitam agerent.

bere? Nec enim loca haec ex Apostolo iam adducta sic accipi debent, id quod complices vestri factitare solent, quasi mandante hic Apostolo oporteat sive necessarium sit, vel Episcopum vel diaconum unam habere uxorem, alias nec Episcopatu nec diaconatu dignum futurum. Nam tum neque Ioannes Evangelista neque Paulus Apostolus nec alii complures Episcopi fuissent, utpote nunquam uxorati; sed ita potius, quemadmodum veteres orthodoxi patres tam graeci quam latini ea loca nobis enarrarunt, ut Apostolo praescribente modum, intra quem Ecclesiae ministri hic sese continere debeant, oporteat sive deceat, Episcopum ac diaconum post baptismum non digamum neque trigamum, sed monogamum ante ordinationem fuisse; alioqui futurum irregularem ac inidoneum. Nam ab exordio nascentis Ecclesiae, quando non tam virgines quam sacerdotes erant Ecclesiae necessarii, ob ministrorum paucitatem [1], is qui ante unam uxorem tantum duxerat eamque virginem, in sacerdotem ordinari poterat; at ea defuncta viduus ac caelebs vivere cogebatur, ita ut si ad secundas volasset nuptias, pro adultero habitus fuisset et deiectus a ministerii loco. Atque hoc ipsum etiamnum observare dicuntur Calabri, Graeci, Chaldaei et tota denique orientalis Ecclesia. Quocirca fuit aliquando et etiamnum alicubi est, ut coniugatus monogamus efficeretur sacerdos; at e diverso, uti sacerdos efficeretur coniugatus vel monogamus, nemo quoquo modo Christianus haberi volens a Christi morte aut ullo in tempore aut ulla in gente ante haec saecula tentasse legitur. Tantum igitur abest, ut digamia Evangelico sacerdoti post sacros ordines acceptos licita sit (id quod vos salacissimi ganeones, non tam Christi sacerdotes, quam Priapi et Veneris sacrificuli hoc loco asseritis), ut ne ante quidem digamus in sacerdotem Evangelicum ordinari queat (168) iuxta doctrinam Evangelicam. Verum quoniam legale sacer-

---

[1] *Ench.* M 3[b]: Nec iis obstat quod Paulus vult Episcopum *unius uxoris* esse maritum (1 Tim. 1; Tit. 1.), cum id non ibi agat Paulus, quod somniant Lutherani, sed quod Divus Hieronymus et Ambrosius testantur, nempe ne Episcopus, si quando ex matrimonio ad sacrum ministerium assumeretur, id quod sub *exordio nascentis ecclesiae ob ministrorum paucitatem* non semel fiebat, esset *bigamus* aut *trigamus*, sed *monogamus*, ne qua incontinentiae suspicio contra hunc suboriretur. — *Nota:* Quod supra in textu legitur « *digamum* », non « *bigamum* », ut Herborneus scribere solet, vestigium nobis videtur esse redactionis, ut ita dicamus, adornatae per Paulum Heliae, qui semper utitur forma « digamus, digamia ». Cf. *Secher*, Povel Eliesens Danske Skrifter 1855. pp. 423-424.

dotium erat uni levitico generi peculiariter addictum, et non quotidie ut nostri sacerdotes, illi, sed per vices in templo ministrabant, ne leviticum semen extingueretur, non vicissim modo, sed etiam simul eos licuit plures habere uxores.

## ARTICULUS DECIMUS OCTAVUS.

Igitur caelibatum sacerdotum esse inventum diaboli serviens Episcoporum commodis et avaritiae.

### Responsio.

Hic adversarii nostri non habent simplicem oculum; non enim damnamus omnem caelibatum in sacerdotibus tanquam Satanae inventum; quibus enim a Deo datum est, ut extra coniugium caste vivant, illis caelibatum non invidemus, sed hortamur, ut obviis ulnis amplexentur et dono tam coelesti utantur cum gratiarum actione. Verum illa castitate nihil minus castum, ad quam sacerdotes humanis decretis adiguntur, non sine gravi conscientiae laqueo, et illam esse diaboli inventum non denegamus, ut clare testantur verba Pauli 1. ad Tim. 4., et quantum haec Episcoporum servit quaestui, nemo non novit.

### Confutatio.

Quin potius vos oculum nequam habentes, utpote nihil spectantes praeter carnis delicias, totum corpus tenebrosum habetis. Nos enim loquimur vulgari more (scientes iuxta subiectam materiam sermones esse accipiendos) de caelibatu sacerdotum per Ecclesiam instituto ac proinde obligante; vos autem cavillantes ac dolose agentes, ne omnem prorsus caelibatum in sacerdotibus tanquam nimis impudici damnare videamini, eum quidem encomio adiecto probatis veluti donum Dei, et obviis ulnis amplexandum hortamini, et tam coelesti munere cum gratiarum actione utendum monetis, quo libere utuntur ii, quibus a Deo datum est, ut extra coniugium caste vivant. Sed istius technae imposturam satis opinor sub articulo praecedenti[1] deteximus. — At e diverso illa castitate nihil

---

[1] 192-196.

minus castum asseritis, et diaboli esse inventum non denegatis, ad quam sacerdotes humanis decretis (169) adiguntur, id est, Ecclesiastici moris caelibatum et obligatorium, et quidem, ut animadverto, duplici argumento: Primum hac ratione, quoniam Ecclesia huiusmodi decreto caelibatum, quem Deus liberum * omnibus reliquit sacerdotibus, necessarium efficiens, gravem conscientiae laqueum eis (1. Cor. 7, 35) iniicit contra doctrinam Apostolicam 1. Cor. 7. — Hic respondemus, Ecclesiam nulli hac in re laqueum iniicere; non enim praecipit alicui vitam perpetuo caelibem, quemadmodum Apostolus quoque dicit se consulere tantum, non praecipere virginitatem, ne cui laqueum iniiciat. Verum ex magisterio spiritus sancti legem naturae, scriptam et gratiae secuta, hinc propter summam Evangelici sacerdotii dignitatem, inde propter profana et sordida status coniugalis onera constituit, ne cui sacris initiari liceat ordinibus, ni caelibem deinceps vitam perpetuo se victurum promittat ac voveat, idque constituit non pueris aut adolescentibus, sed adultis viris, qui iam sciant eligere bonum et reprobare malum. Unde caelibatus quidem semper manet liber, at voventi fit necessarius. At quis tandem est laqueus, si quis ad hoc obstringatur, quod ipse, dum sacerdotio fungi volebat, ultro ac sponte promisit? Vulgatissima quippe regula est: Volenti non fit iniuria. Quocirca si quis hac caelibatus lege astringi nolit, sacris quoque ordinibus abstineat. Nulli enim praecepit Ecclesia neque sacerdotium neque caelibatum. At hoc mandavit, ut si quis velit fieri sacerdos, is in posterum caelebs vivat. Ideo se quisque probet, antequam sacros accedat ordines, ut postmodum adversus matrem Ecclesiam obmurmurare desinat. Proinde non lex caelibatus est damnanda, sed potius (mea quidem sententia) maiore aetatis, scientiae ac virtutis ratione habita, multitudo sacerdotum tam sensu quam aetate saepius adhuc puerorum coërcenda, quos maiores nostri Apostolico more presbyteros, id est, seniores appellare maluerunt. — Deinde vero Pauli testimonium (1. Tim. 4, 1-3) adiicitis 1. Tim. 4., quo loco in haec verba scribit: *Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus* (170) *desciscent quidam a fide attendentes spiritualibus impostoribus ac doctrinis daemoniorum, per simulationem falsiloquorum cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium* etc. Hic dicimus, Apostolum hoc loco de illis vaticinatum, qui postea exorti nuptias in totum prohiberent atque condemnarent,

* « liberum » deest.

pares eas stupro facientes docentesque, nullum omnino viri ac feminae concubitum esse honestum, quae, teste Beda, Tatiani ac Marcionis * haeresis [1] fuit. Nam et Deus in Paradiso nuptias instituit, et Christus in Evangelio comprobavit et sua praesentia quoque cohonestavit. At Ecclesia hac caelibatus sacerdotum lege neque vetat neque condemnat nuptias, quas etiam veluti sacramentum magnum veneratur, colit ac praedicat; sed votum castimoniae a sacerdotibus ultro factum violari prohibet, cum ante votum nuptiae illis etiam liberae fuissent. Sicut enim coniugatus uni prohibitus est cum altera contrahere, ita qui voto continentiae corpus suum Christo tradidit, alii corporis sui copiam facere non potest. Quanquam vero nuptiae quidem purae sint ac mundae, ad puritatem tamen Evangelico sacerdote dignam comparatae quodammodo impurae sunt ac sordidae, et quamquam honestae quidem sunt, honestior tamen castitas. Consilium autem est, minus aliquando bonum maioris gratia relinquere. Gen. 2. Matth. 19, Io. 2.

Ceterum quod in calce annectitis, Ecclesiasticam hanc legem de caelibatu sacerdotum Episcoporum servire quaestui; profecto ut quod res est fatear, in quibusdam Germaniae partibus (quid enim in regno Daniae agitur, me clam est) non modicum hic abusum esse scio eorum, quos fiscales Episcoporum appellitant, qui ex hac laudabili constitutione quasi vindemiam quandam sibi turpissime faciunt [2]. Quem (ut ab initio protestabamur) excusare

* Marciani.

---

[1] *Mon.* E 6: Nolo tamen existimes me sectari Marcionis et Manichaei dogma, qui nuptiis detraxerunt et *Tatiani* Encratitarum principis, qui omnem coitum spurcum confessus est (ut habet Hieronymus)... Sanctum est matrimonium: at sanctius multo caebilem vitam agere. Neque iis obviat quod Paulus dicit 1. Tim. 4. (1-3)... Nam certum est, Paulum eo loci adversus *Tatianum* et suos asseclas disserere, qui... matrimonium ac cibos, perinde atque suapte natura detestabiles prohibuere, id quod nullus unquam, qui monasticen professus, ne cogitavit quidem, ne dicam docuerit. De iis loquor, qui intra sanctae Ecclesiae sese continuerunt gremium. Probant id ea, quae hac de re... scripsere Alexander Halensis, Bonaventura, Thomas Aquinas et alii..., quorum lucubrationes passim in scholis protritae sunt.

*Tatiani* vel *Encratitae* dicti a *Tatiano* (inter Graecos doctissimo et nominatissimo, quamdiu fuit Christianus) praeter supra dictam haeresin etiam suos vetant carnibus vesci. Exstiterunt circa annum 175 sub M. *Aurelio* imperatore et *Anicelo* papa. Eundem errorem profitebantur *Marcionistae* haeretici (usque in sec. V.).

[2] F. Bartholomaeus de Usingen Ordinis Eremitarum S. Augustini in Libro Primo, Quo Recriminacioni respondet Culsamerice (etc... Duo Sermones: de Ecclesia; de Matrimonio Sacerdotum et Monachorum. Erffordie 1633. Fol. F 3 a) haec scribit: « Quibusdam videtur sic expedire, ut fieret propter vitanda tot

nec volumus nec possumus. At in quo hic abusus iustissimae constitutioni derogat? Num quae lex tam aequa, quae iniqui vel iudicis vel interpretis abusu verti non possit in arma iniquitatis? Verum calumniosa haec, dolosa et (171) maligna, sed etiam vetus, ut ait Hieronymus, haereticorum defensio est et destitutorum omni veritate, sub praetextu malorum morum, quos falsa iustitia persequuntur, pessimam ac pestiferam abscondere doctrinam. At non est vestrum (quemadmodum aliquoties iam diximus) Ecclesiarum pastores iudicare, quorum iudicium ipse pastorum pastor sibi reservavit dicens: *Ecce ego ipse super pastores.* Veniet, veniet profecto ille dies, nec longe est (ut beatus inquit Gregorius), in quo pastorum pastor appareat, et qui modo subditorum culpas per praepositos ulciscitur, tunc praepositorum mala per semetipsum puniens damnet.

Ezech. 34, 10.

Nunc, quod hanc Ecclesiae constitutionem de sacerdotali caelibatu, obiectionum vestrarum tela confringentes, neutiquam a verbo Dei dissentaneam sat ostendimus, reliquum est, ut nostra utcunque confirmantes eidem vel maxime consentaneam quam brevissime simul ac clarissime doceamus. Principio (ne multis agam de lege naturae, iuxta quam gentes vixerunt), quot passim lectitanti veterum historias occurrunt exempla summae castitatis gentilium sacerdotum? Nam ut de plurimis duo utriusque sexus exempla referam, nonne Galli magnae matris deûm Cybeles sacrifici castrabant seipsos, quo vel idolo mundius immolarent? nonne virgines vestales [1] perpetuae virginitatis voto erant obstrictae in tantum, ut si qua in voti transgressione deprehensa fuisset, viva in terram defoderetur? Nam et a Tibullo praeclare dictum est: Casta placent Superis. Quid, quod Ethnici sacerdotes ea nocte re venerea cogebantur abstinere. quando die postero mane deorum orgiis ministraturi essent? dicente quodam poëta: Procul hic sit ab aris, Cui

Adstruitur caelibatus sacerdotum.

De lege naturae.

Tibullus.

---

fidelium scandala et propter Episcoporum segnitiem et conniventiam. Illi saecularibus pompis et dominiis intenti haec relinquunt officialibus seu *fiscalibus*, ut vocant, suis, qui sibi *annuum proventum faciunt ex sacerdotum incontinentia* ». — Confer *Nic. Paulus,* Der Augustiner Barth. Arnoldi von Usingen. Freib. Herder. 1893. p. 81.

[1] *Mon.* D 8[b]: Neque enim solas spurcas libidines hic (sc. Franciscus Lamberti), sed etiam virgines Christo dicatas violare permittit, quod ne Ethnicis quidem concessum, si vera sunt, quae annales de Messanis, Thebanis, Milesiis et iis quae deae Vestae manus dederunt, referunt.

tulit hesterna gaudia nocte Venus. Quanto magis ergo Christianos addecet sacerdotes non idolo vano, at vero Deo sacrificantes, iuxta consilium proprium legislatoris Iesu Christi, castrare seipsos propter regnum coelorum, quo purius ineffabilia sacra contractent. Profecto non potest non et pudore et dolore affici pius homo, cui sit vel gutta Christiani sanguinis, quoties audit hac tempestate nostra, non praestare monachos et moniales, quos ceu totius nostrae religionis florem esse oportebat, quod olim gentium sacerdotes atque vestales praestiterunt.

(172) Deinde in lege scripta Deus non solum vetuerat, ne sacerdotes (quibus ob levitici seminis propagationem permissum erat coniugium) scorta ducerent uxores (id quod hodie passim fit, pro dolor et pudor! a nostris sacerdotibus, imo et monachis [1]), de sacerdote quidem magno ita per Mosen dicens: *Scortum et vile prostibulum non ducet uxorem, nec eam, quae repudiata est a marito, quod consecratus est Deo suo et panes propositiones offert. Sit ergo sanctus, quod ego sanctus sum dominus, qui sanctifico vos.* Et paulo post inibi: *Virginem ducet uxorem, viduam autem repudiatam et sordidam atque meretricem non accipiet.* De minoribus autem sacerdotibus per Ezechielem sic loquens: *Viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel; sed et viduam, quae fuerit vidua a sacerdote, accipient.* Non solum hoc, inquam, vetuerat dominus, verum etiam oportebat eosdem sacerdotes idoneas ex legis praescripto uxores habentes tempore suo, quo per vices ministrabant, uxoribus domi relictis, in templo totam hebdomadam permanere. Quin Abimelech (ut Regum testatur historia) noluit ante David eiusque pueris quicquam impartiri de panibus propositionis, quam intellixisset eos ad triduum a mulieribus, hoc est, ut Hieronymus interpretatur, ab uxoribus [2], mundos fuisse. Quid si haec in umbra, in veritate quid fieri oportet? Si tanta decuit castimonia legales typicosque Mosi sacerdotes; qui offerre debent panes non propositionis, at panem

De lege scripta.

Lev. 21, 7. 8. 13. 14.

Ezech. 44, 22.

1. Reg. 21, 4. 5.

---

[1] *Ench.* M 3[b] — M 4: Id si observarent Lutherani, non tam *passim* quibusvis etiam vilissimis *scortis*, etiam repudiatis ac viduis, cripticis coniugiis copularentur.

[2] Ib. M 3 *Abimelech noluit panes propositions* dare nisi *pueris*, qui ab heri et nudiustertius ab *uxorum congressu* abstinuissent (1. Reg. 21, 4. 5.); quanto magis iis abstinendum, qui *panem* illum mundissimum manibus contrectare debent, qui cibus est mundi, qui vita est hominum?

vivum, qui de coelo descendit, non carnes agnorum, boum, hircorum aliorumque immundorum animalium, at carnem et sanguinem immaculati agni Iesu Christi, idque non per certas temporum vices, at id quotidie possunt aut etiam facere debent: profecto si temporaria castitas * decuit illos, nonne hos perpetua iure decebit?

Ad extremum, quo ad legem gratiae veniam, nonne Christus novae legis Evangelicae conditor, ipse virgo de virgine natus et in morte virginem matrem discipulo virgini commendans, ipse consuluit aliquando sub eunuchorum (173) parabola continentiam et caelibatum? At quos e tota multitudine Christiana magis par est hoc sequi consilium, quam sacerdotes, utpote lucem mundi, salem terrae et totius dominici gregis pastores atque duces, ad quorum exemplum populus se componere debeat. Iam vero expendat mihi diligens lector, quibusnam rationibus priore ad Corinthios epistola Paulus, Evangelii tuba, a matrimonio dissuadeat et ad caelibatum exhortetur: *Velim*, inquit, *vos absque solicitudine esse. Qui caelebs est, curat ea quae sunt domini, quo placiturus sit domino. At qui duxit uxorem, solicitus est de his quae sunt mundi, quo placiturus sit uxori. Divisa sunt haec duo, mulier et virgo. Innupta curat ea quae sunt domini, ut sit sancta cum corpore tum spiritu. Contra quae nupta est, curat ea, quae sunt mundi, quomodo placitura sit viro.* At quem magis convenit curare, quae domini sunt, et corpore et spiritu esse sanctum, quam sacerdotem Evangelicum, utpote Christi vicarium in terris, inter Deum et hominem mediatorem et quasi terrestrem quendam deum. Quid, quod Apostolus eodem in loco docet coniuges, ut ex consensu mutuo aliquando se contineant, quo orationi vacent? An non ergo aequum fuerit, uti sacerdotes Evangelici perpetuo sese contineant, quorum interest iugiter vel orare vel sacrificare vel alio quovis modo in Ecclesia ministrare [1]? Nemo igitur hanc Ecclesiae constitutionem de

De lege gratiae.

1. Cor. 7, 32-34.

* charitas.

[1] *Ench.* M 2: (1. Cor. 7, 32-34.)... *quomodo placeat uxori.* Illud vero muneris (sacerdotis) hominem exigit ab omni negotio adeoque a re uxoria absolutissimum. *Volo* (inquit) *vos sine solicitudine esse.* Quae verba in quos magis conveniunt, quam in eos qui perpetuo altari suopte arbitratu, suapte deliberatione, nullo adigente consecrantur? Iam et illud observandum, quod Paulus monet *coniuges*, ut aliquanto tempore ab usu coniugali abstineant, *quo* commodius *oratione vacent.* Atqui sacerdotes non semel, sed *perpetuo* convenit altaribus esse addictos: *perpetuo* orationi vacandum. Ut igitur facilius Deo adhaereant, *perpetua* convenit eis a re uxoria abstinentia.

caelibatu eorum, qui in sacris ordinibus positi sunt, quodque illis uxores ducere haud liceat, non solum a summis Pontificibus Siricio et beato Calixto martyre ante annos mille trecentos factam, sed etiam a compluribus diversisque conciliis [1], imo ex canonibus Apostolorum profectam contemnat, veluti prorsus humanam; verum potius ceu quadamtenus divinam amplexetur, colat et observet, utpote in omni lege, naturae, scripta, gratiae fundatissimam. Proinde quoniam sub articulo secundo [2] procerum Ecclesiasticorum constitutiones cum verbo Dei non pugnantes maxima cum laude recipiebatis, (174) atque hoc loco totius Ecclesiae de sacerdotali caelibatu constitutionem verbo Dei maxime consentaneam summo cum opprobrio reiicitis, nonne iterum nobis in vos occinere licet illud Horatianum: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum!

Ceterum neque hic est vobis, quo iure in malitia vestra gloriari possitis, tanquam novo dogmate quopiam excogitato. Nam vetus est ista haeresis Ioviniani ac Vigilantii, coniugium et caelibatum aequalis meriti asserentium, iam olim a Hieronymo confutata; deinde multis post seculis a Ioanne Viclevo in lucem revocata. Sed hoc discipuli erroris vestri magistros vincitis, quod Iovinianus (teste Augustino) tantum virgines sacras, quae facile omni doctrinae vento circumferuntur, ad nuptias pellexit, ad sacerdotum vero deceptionem pervenire non potuit, et ipse coniugii praedicator, tamen ad evitanda coniugii onera coniugio abstinuit. At signifer iste vester cum sua cohorte Iovinianum utroque superavit. Quapropter et hi duo articuli vobis aequissime obiecti sunt.

**A quibus haec sit haeresis compilata.**

**Augustinus in lib. de haeresibus.**

---

[1] *Ench.* c. 35. M 3 b: Accedit iis Ecclesiae auctoritas, quam iubet Christus audire. Haec autem multis in comitiis nubendi facultatem iustissime ademit iis, qui sua sponte altari astringuntur. Legat qui volet decreta sacrosanctorum *conciliorum* Africani, Caesareensis, Mendensis, Carthaginensis, Ancharitani, Toletani, Arelatensis, Gerundinensis, itemque *Calixti, Siricii* et aliorum, quae hactenus latina suscepit et approbavit Ecclesia, a qua, nisi nothi malumus quam liberi esse, degenerare non licet citra perpetuam ignominiam. Hactenus enim universae Ecclesiae latinae ea concilia probata sunt, cui accessit et consuetudo ipsa, optima iuris interpres. Cf. supra 65-67. — *Ass.* 151: Ministri Ecclesiae, monachi ac moniales, qui *se iure contrahendi* sua sponte *privarunt* cum eunuchis Evangelicis, votum reddant quo astricti sunt, oportet, quod id Moses, David, Ecclesiastes, Paulus traditioque humana praecipiat, quae voto emisso accedit. — *Ass.* 152: Nulli magis constitutiones de caelibatu execrantur, quam *priapistici*, carnales et exiticii monachi, neque etiam eis aliquo modo suffragabitur Paulus ad Timotheum scribens.

[2] Supra 98.

## ARTICULUS DECIMUS NONUS.

Missam non esse sacrificium, adeoque nullum esse novi testamenti sacrificium visibile.

### Responsio.

Missam non esse sacrificium libere confitemur, quantumvis hoc male habeat multos; sed est monumentum quoddam sive memoria (ut Christus ait Luc. 22.) illius sacrificii longe pretiosissimi, quod ipse obtulit in cruce pro peccatis mundi, ut nos illius exemplo mactemus desideria carnis et veteris hominis pravas concupiscentias Rom. 12. Illud sacrificium, quamvis non sit obvium oculis, quando offertur, fit tamen ubi iam oblatum sit. Vetus siquidem homo, quo magis emoritur in nobis, tanto magis cognoscitur in nobis vivere Christus.

### Confutatio.

At nos e regione vos haereticos libere pronuntiamus, et quidem tales, quales antea nunquam in Ecclesia Dei emersere. Nam qui missam esse sacrificium (175) inficiaretur, ante hanc tempestatem nostram longe miserrimam, haereticorum invenimus neminem, nisi quod Ioannes Viclevus huic errori ansam dedisse videtur, inter cuius articulos a sacra synodo Constantiensi damnatos etiam ille commemoratur, non fundatum esse in Evangelio, Christum ordinasse seu instituisse missam [1]. Unde profecto vos antichristi praecursores
Dan. 8. et 12. iuxta Danielis oraculum aperte declaratis, quippe qui vaticinatus sit, non cessaturum universaliter in tota Ecclesia catholica iuge novi testamenti sacrificium (quam Ecclesia Dei missam appellat), nisi ad tempus, posteaquam antichristus in mundum venerit, id quod vos iam in particularibus aliquot Ecclesiis cessare fecistis. Nec iniuria quidem istud non potest non male habere pios omnes, tum quod auferens unicum legis nostrae sacrificium, missam, tollit eadem opera de medio sacerdotium, religionem, denique ipsam legem universam, utpote nativa quadam necessitudine devincta,

[1] Est *quintus* e 45 Viclevi articulis (damnatis a concilio Constantiensi et Martino V. per Bullam « Inter cunctas » 8. Kal. Martii 1418 et Bullam « In eminentis » eiusdem diei), qui ita habet: « Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit ».

quemadmodum sub articulo XIII[1] meminimus, et sub articulo proxime sequenti[2] repetemus, tum ob plurimos atque maximos sacrificii missae fructus a sacris doctoribus memoriae proditos et paucis sub articulo proximo[3] a nobis attingendos, quibus ista haeresi vestra et triumphans et militans et purgans * Ecclesia spoliatur, hoc est, qui sunt in caelo, in terra et sub terra. Quis, oro, cui vel in toto corpore una charitatis vena caleat, tanta totius Ecclesiae iactura non vehementer indoleat, maxime quando tam frivolis plane cavillis et omnino responsione indignis simplicem Christi plebeculam in tam absurdum errorem hactenus inauditum pellexistis, veluti quando hoc loco missam colligitis non esse sacrificium, quod est monumentum quoddam sive memoria (ut Christus ait Luc. 22.) illius sacrificii longe pretiosissimi, quod ipse obtulit in cruce pro peccatis mundi. Nam si quid valeret ista ratio, nec in lege naturae, nec in lege scripta fuissent (176) ulla sacrificia. Sicut enim hodie legis gratiae sacrificium, quam vocitamus missam, est imago rememorativa, ita olim sacrificia superioris utriusque legis omnia fuerunt figurativae imagines unici illius sacrificii longe pretiosissimi, quod pro peccatis mundi Christus in cruce Deo patri obtulit. Unde in revelatione beati Ioannis *agnus*, nempe Iesus Christus, *ab origine mundi occisus* dicitur, nimirum in typo sive figura veterum sacrificiorum. At sicut nemo proinde dixerit, illa non fuisse sacrificia, sic quoque nemo eam ab causam recte dixerit missam non esse sacrificium. Quin potius diversum e diametro consequitur. Solent enim, inquit Augustinus, imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Verumtamen immenso distat intervallo nostrum hoc unicum missae sacrificium ab illis veteribus. Illic enim imago sola fuit, hic vero praeter imaginem ipsa quoque rei veritas; illa duntaxat eminus ac obscure immolationem et hostiam crucis adumbrabant, hoc autem vere ac vivide repraesentat Deo patri crucis oblationem, exhibet atque offert, ita nimirum, ut eadem utrobique res oblata sit ob hostiae unitatem, at oblatio diversa sit ob disparem offerendi rationem ac modum, ideoque propter eandem hostiam veritas, at propter oblationem diversam imago sive memoria sit, et sacrificium quodammodo idem, quodammodo diversum, prout id nominis aut pro re aut pro oblatione ipsa

Apoc. 13, 8.

* « et purgans » deest.

[1] 175-177. [2] p. (182-3.) [3] p. (187.)

sumitur. — Quapropter ut ad vestram rationem istam aliquando revertar: « Missa est monumentum sive memoria sacrificii a Christo in cruce Deo patri oblati » — verum quidem esse fatemur, at, uti nunc auditum est, non est sola memoria, sive nuda commemoratio, qua sanctissimae passionis dominicae recordamur, id quod omnes Christiani iure perpetuo facere debent, et quomodo praesertim laici communicantes dominicae (177) passionis memoriam faciunt; verum etiam solemnis est repraesentatio seu imitatio eiusdem dominicae passionis per verba, gestus, vestes et ceremonias non quidem in se tantum spectatae* ad compassionem duntaxat excitandam —, id quod quotannis citra missae sacrificium in die Parasceves fit in Ecclesia —, sed repraesentatio est, inquam, ac imitatio dominicae passionis consideratae, quatenus per eam virtus, gratia, meritum et omnis effectus Christi ad nos derivatur, promanat et influit, idque cum nova et oblatione veteris illius in cruce factae oblationis et eiusdem hostiae tum oblatae praesenti exhibitione, quod non fit neque fieri potest nisi a sacerdote Evangelico legitime ordinato, habente vim consecrandi verum corpus dominicum. Atque totum hoc iam dictum Christus ipse complexus est pauculis verbis illis hic per vos adductis quidem, at neutiquam, ut oportet, intellectis. Non enim solum ait: Hoc commemoramini sive recordamini, (Luc. 22, 19) at dicit: *Hoc facite in mei commemorationem* Luc. 22. Quid autem Christus fecerit? Profecto, ut Evangelista verbis continenter antecedentibus commemorat, panem et vinum in carnem et sanguinem proprium consecraverat, Deo patri obtulerat et discipulis sumendum porrexerat. Idcirco quod continuo subditur: *Hoc facite in mei commemorationem,* tantumdem valet, ac si dicatur: Consecrate, offerte et sumite. Est ergo missa, in qua tria haec fiunt, non memoria solum illius sacrificii crucis, sed potius quoddam memoriale factum, quod ipsum quoque sacrificium est, utpote repraesentatio atque oblatio nova antiquae oblationis in ara crucis factae, cum prasenti eiusdem hostiae exbibitione, idque ex institutione ac praecepto domini nostri Iesu Christi [1].

* spectare.

---

[1] *Ench.* c. 16. G[b]: Institutum est (sacrificium missae) iis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quo loco verbum *facere* haud vulgariter accipitur, quo indoctum vulgus solet, quandoquidem idem significat, quod operari sacra, litare, ministrare aut sacrificare. — Ib. c. 17. G 5[b]: Observa, quod

Ceterum (178) quod subiicitis, nostrum esse, ut exemplo Christi in cruce oblati, nos quoque mactemus in spirituale sacrificium desideria carnis et veteris hominis pravas concupiscentias, iuxta doctrinam Apostolicam in Rom. 12., nec ignoramus Dei beneficio (Rom. 12, 1) nec inficiamur et *, ut quae sequuntur, tanquam vera lubenter amplectimur. At istud est tantummodo sacrificium spirituale, internum, invisibile ac metaphorice dictum, praeter quod aliud esse oportet corporale, externum, visibile ac proprie dictum, cuiusmodi praeter missam aliud in novo testamento assignari nequit, quemadmodum sub articulo XIII [1] de sacerdotio demonstravimus et mox sub articulo sequenti de sacrificio itidem ostendemus [2]. Nam sacerdotium atque sacrificium connexa sunt et mutuo sibi respondent, neque valet ad hoc quod asserimus labefactandum istud, quod in calce adiicitis: « Nimirum, etsi hoc spirituale sacrificium, quod in carnis mortificatione consistit, non est obvium oculis, quando offertur, fit tamen ubi iam oblatum sit; quo magis enim vetus homo emoritur in nobis, tanto magis cognoscitur in nobis vivere Christus ». Non valet, inquam; etsi namque istud probat quidem huiusmodi sacrificium in effectu suo esse visibile, haud tamen in se ipso. Ceterum utut sit, illud constat, non esse sacrificium proprie dictum.

## ARTICULUS VIGESIMUS.

Igitur sacerdotes secundum Ecclesiae Romanae consuetudinem sacrificantes facere opus maledictum, peccare mortaliter, provocare iram Dei et rursum Christum crucifigere.

* « et » deest.

---

verbum facere idem significare dico, quod *offerre,* vel *consecrare,* eoque cum Christum tum Paulum usum. Nam ad eum modum eaque in significantia et in psalmo (65.) accipitur: *Faciam tibi boves cum hircis.* Sic et in Luca: *Ut facerent pro eo iuxta legis consuetudinem:* facere hoc loco idem est, quod offerre, i. e. ut offerrent pro eo. — Ib. G 3: Consequitur (ex 1. Cor. 10, 16 et 11, 29) conversionem factam, oblationem ac praesentissimam *exhibitionem*.... Nam idem Christus est, imo eiusdem oblatio, quamvis alio atque alio modo. In cruce equidem passibili modo, in missa mystico offertur, utrobique tamen *eadem hostia.* — *Ass.* 102: Iteratio est verissima, non quidem mortis Christi, qui iam non moritur, sed *praesentissima* carnis et sanguinis Christi *exhibitio* sub panis vinique speciebus idque cooperante ministro... Non igitur rursus occidimus Christum, sed... ipsum *mystico modo offerimus.*

[1] 175 sq. [2] p. (183. 184.)

### Responsio.

Sane hunc articulum oppido quam lubenter agnoscimus in omnibus suis punctis *, ut nunc se habet missandi ritus more Romano et missae abusio. Eum enim morem, qui sequuntur, denuo offerunt et pretium solvunt pro hominum peccatis, non aliter, quam si Christus adhuc non fuisset sublatus in crucem, aut non perfecte fecisset satis pro omnibus peccatis, quod tamen vere fecit, ut probat Apostolus ad Hebraeos invictis argumentis. Et Christus similiter in extrema morte testatus est dicens: *Consummatum est* Io. 19. Proinde facile cogitet, quisquis omnino (179) non excaecatus est, quantum peccati, ultionis divinae et maledictionis vinculum sibi accersunt, qui non contenti morte Christi, aliis modis volunt peccatum redimere. Sunt et aliae multae huius missae papisticae abominationes, quibus in praesentiarum supersedemus.

### Confutatio.

Vestro more perpetuo agitis, non contenti scilicet infandos profiteri errores, in quo vestri istius Evangelii floribus, id est, conviciis eosdem aspergatis confirmetisque. At sane dum hunc articulum oppido quam lubenter agnoscitis in omnibus eius punctis **, haud scio, num alibi egregie magis vestram rei theologicae conscientiam prodatis. Verum, quod subditis: « ut nunc se habet missandi ritus more Romano et missae abusio », paulisper audiamus, in quo tum, momis scilicet istis atque criticis gravissimis, displiceat noster missandi ritus, aut in quo missa abutatur Romana Ecclesia. « At eum », inquitis, « morem sequentes et denuo offerunt et pretium solvunt pro hominum peccatis, perinde ac si Christus non fuisset sublatus in crucem, aut non perfecte fecisset satis pro omnibus peccatis, contra manifestum Christi testimonium et apertam Pauli doctrinam in Hebraeis » etc. — O egregiam impudentiam! qua tandem fronte tantam iudicandi auctoritatem in sacris arrogare vobis non veremini, cum tanta rerum theologicarum imperitia. Nam ut primo de priore dicam: Quanquam eadem hostia est (uti modo diximus) in cruce semel oblata, et quae in missa offertur quotidie; tamen haec

* periculis.

** periculis.

quotidiana Christi oblatio, quae in missa fit a sacerdote in persona Ecclesiae, alterius generis, modi ac rationis est ab ea, qua Christus in cruce semel tantum oblatus est. Illa enim sese Christus Deo patri semel obtulit visibiliter in propria specie et in corpore passibili ac mortali, quod pro peccatis totius humani generis in ligno crucis moriendo sponte tradidit. Hac autem Christus idem offertur Deo patri a sponsa sua Ecclesia, ex sponsi praecepto, (180) invisibiliter sub aliena specie, panis scilicet et vini, necnon in corpore impassibili, immortali ac glorioso, non moriendo iterum, at repraesentando et offerendo priorem illam oblationem, unde haec omnem suam virtutem et efficaciam sortitur, ita ut haec oblatio non incommode mystica et sacramentalis appellari possit, illa vera materialis et corporea[1]. Iam Christus in extrema morte dicens: *Consummatum est,* et Paulus in Hebraeis de Christo dicens: *Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos,* et inibi saepius de priori oblationis genere loquuntur, cuius unitati neutiquam repugnat quotidiana posterioris oblationis iteratio. Hoc igitur vobis imponit, quod scripturam de corporea immolatione Christi loquentem adversus mysticam ipsius oblationem (more vestro confundentes omnia) torquetis. Christus enim a se in cruce patri semel oblatus est moriendo; at idem ab Ecclesia in missa quotidie patri offertur in mysterio. Quocirca trepidatis *timore, ubi non est timor,* praedicantes, Christum denuo crucifigi, si denuo offeratur. Sicut enim Christus non fuit mortuus, cum in umbraticis antiqui testamenti sacrificiis mystice offerebatur, ita neque moritur nunc, quoties in novo testamento mysterialiter offertur. *Christus* enim *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

Io. 19, 30. Hebr. 10, 14. Rom. 6, 9.

Deinde ut ad posterius illud veniamus, quod Romanum missandi ritum sequentes iterum solvunt pretium pro hominum peccatis, non aliter, quam si Christus non perfecte fecisset satis pro peccatis omnibus —; non negamus ipsi, adeo perfectum fuisse Christi sacrificium, ut non oporteat aliud offerri per Ecclesiam. At, uti iam diximus, non aliud, sed illud idem sacrificium et hostiam offert sacerdos in missa, quod in cruce Christus; sed ob diversam offerendi rationem diversa fit eiusdem hostiae oblatio, imparis efficaciae, virtutis et meriti, ita tamen, ut oblatio missae a crucis oblatione omnem vim suam participet, atque haec veluti pars quaedam

[1] Cf. supra 206 n. 1 ad finem.

14

illius existat. Nam illa meriti (181) fuit infiniti, haec vero finiti ac limitati [1]. Quod enim in cruce Christus sese offerendo meruit in plenitudine quadam immensa, hoc ipsum finite ac quasi particulatim applicatur in missae sacrificio. Sicut enim virtus dominicae passionis in veteri testamento variis huiusmodi sacrificiis applicatur, ita nunc unico missae sacrificio pro illis omnibus sufficienti nobis applicatur illud efficacissimum crucis sacrificium pro omni lege ad omnia per se quidem sufficientissimum. Unde argumentum istud de sufficientia et perfectione satisfactionis Christi per crucis sacrificium non magis oppugnat missae sacrificium, quam sacramenta, virtutes et opera bona. Nam ut infinita vis sacrificii crucis per sacramenta, virtutes et opera bona, sic quoque per missas finite nobis quasi per partes applicatur, quandoquidem Christus, etsi quidem pro omnibus est mortuus **sufficienter**, quemadmodum vulgo dici solet, haud tamen **efficienter**, nisi pro iis, qui per media in hoc divinitus instituta mortis ipsius participes fieri student. Quocirca sicut ad humanam salutem sunt necessaria citra iniuriam dominicae passionis in se quidem sufficientissimae, sacramenta, virtutes et opera bona; sic absque iniuria perfectissimi crucis sacrificii Christus iterum offertur in missa pro peccatis hominum, nimirum ut illius pretii, quod in cruce solutum est, participes efficiamur. Proinde potius e diverso (ut ad sequentia respondeamus), quisquis non est omnino malitia obcaecatus, facile intelligit, nihil omnino peccati, ultionis divinae ac maledictionis accersere sibi, qui pro peccatis missas agunt. Contenti sunt enim Christi morte in se quidem sufficientissima, at quam variis modis (inter quos primas missa tenet) nobis applicari oporteat. — Denique nullae sunt omnino missae nostrae (quam invidiose dicitis papisticam) abominationes, utique non supersessuri eis in praesentiarum, si eas ostendere potuissetis. Verum more (182) vestro istiusmodi hyperbolis mendacibus rudem Christi popellum adeo misere seducitis. Quin potius sacrificii missae tum plurimi tum maximi fructus a sacris doctoribus assignari solent, quibus antiquus humanae salutis aemulus ac hostis per vos tanquam organa sua mortales spoliare conatur. Hoc enim satisfacimus pro peccatis praeteritis, hoc a futuris praeservamur, hoc Deo gratias agimus pro acceptis beneficiis, hoc a Deo nova consequimur

---

[1] *Per se* missae sacrificium etiam est meriti *infiniti* propter Christum, qui offertur; finitum non est nisi in applicatione, sicut auctor ipse mox explicat.

et impetramus, hoc a periculis imminentibus liberamur, hoc pro salute corporis et animae litamus, hoc in praesenti vita gratiam et in futura gloriam adipiscimur, hoc tam mortuis quam vivis applicamus, breviter ad nihil non valet, utpote continens Iesum Christum in cruce oblatum, Deo acceptissimum et efficacissimum ad omnia; nihil igitur est, quod in nostro missandi ritu vobis merito displicere queat. Verum proferte nobis vestram missandi formulam, et eam meliorem ostendite: at ista Protea mutabilior iam facta novam subinde faciem induit; novies enim missandi formulam Vitenbergae mutatam esse audivimus.

**Missae sacrificium adstruitur.**

Restat nunc demum, ut more hactenus observato, posteaquam cavillis vestris abunde satisfactum est, missae sacrificium succincte quidem et breviter, at efficaciter et dilucide asseramus. Qua in re ut remotiores veterum figuras, in quibus e longinquo sacrificium hoc adumbratum est, et obscuriora prophetarum oracula, quibus ipsum tecte vaticinati sunt, brevitatis gratia praetermittam, ad Evangelicae veritatis revelatae lucem protinus convolabo. Nam ut a fundamentis articulo XIII.[1] iactis hic aedificium nostrum velut illi continuum adstruere pergamus —: ex quo lex, religio, sacerdotium ac sacrificium, uti eo in loco diximus, naturali quadam sequela gradatim se comitantur, quemadmodum ostendimus illic Evangelicam legem et Christianam religionem habere aliquod externum ac visibile sacerdotium; ita quoque ipsam eiusdem generis sacrificium peculiare sibi ac proprium (183) habere oportet. Proinde dominus noster Iesus Christus, Evangelicae legis auctor et religionis nostrae conditor, nimirum tale sacerdotium atque sacrificium instituit. Sed enim quando *venit non solvere legem, at implere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret,* legale sacerdotium cum suis sacrificiis in vigore suo reliquit ad suam usque passionem. Quapropter in extrema coena, posteaquam in esu paschalis agni se patri figuraliter obtulisset, consummata lege Mosaica cum sacerdotio innumerisque sacrificiis suis, mox, tanquam sacerdos in aeternum iuxta ordinem Melchisedech, panem et vinum in suum corpus et sanguinem consecrans, mysterialiter in specie panis et vini se iam secundo patri obtulit, paulo post utrumque consummaturus et se tertio iam in cruce patri oblaturus, et postmodum Apostolis distribuit; quibus hoc ordine peractis unico novae

Matth. 5, 17. Gal. 4, 5.

[1] Supra 175.

legis sacrificio nunc instituto pro innumerabilibus antiquae legis sacrificiis, discipulos suos in sacerdotes iam tum consecrans eadem agendi potestatem illis tradidit ac eadem agere praecepit dicens: Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 25. *Hoc facite in mei commemorationem,* hoc est, quemadmodum ego nunc feci, ita quoque et vos in mei facite memoriam, id est, panem et vinum in carnem et sanguinem consecrate, offerte ac sumite. Quoniam ergo Christus tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech tum in pane et vino sacrificavit iuxta omnes Ecclesiae doctores graecos atque latinos, profecto consequens est, sacerdotes Evangelicos hoc ipsum ex Christi tum instituto, tum praecepto factitantes, ipsos quoque sacrificare. Nam qui alias sacerdotium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech, erit aeternum? Tametsi enim effectus sive fructus sacrificii a Christo in cruce oblati permanet in aeternum, tamen ipsa crucis sacrificatio praeteriit. Porro ea omnia, quae Christus in sui memoriam fieri iussit, in missa Romano (**184**) more celebrata fieri constat. Est igitur missa unicum visibile, proprium et iuge novi testamenti sacrificium.

Deinde Apostolos et discipulos Iesu Christi praeceptoris sui Act. 13, 2. mandatum executos fuisse ac sacrificasse, Lucas in Actorum historia, Erasmo interprete, perquam luculenter hisce verbis attestatur de prophetis et doctoribus, qui tum Antiochiae degebant, inter quos etiam Paulus et Barnabas erant, hunc in modum scribens: *Cum autem illi sacrificarent domino ieiunarentque* [1] etc. Sic enim, ut alia, hic Erasmus reddidit significantius. Verum quod a latinis vulgo missa dicitur, nomine ex Hebraeo fonte deducto, si quid Hebraice peritis creditur, hoc ipsum a Graecis λειτουργία vocatur. Cuius voce coniugata hoc loco graeca utuntur exemplaria. Liquet igitur ex hoc quoque loco, missam esse sacrificium.

Postremo, ne quis hunc locum velut de spirituali sacrificio dictum possit eludere, verbum continenter adiectum elusionem illam refellit, siquidem et ieiunium spirituale sacrificium est; attamen e Paulo uberius refutabo. Nonne Paulus meminit aliquoties arae seu altaris novi testamenti? Nam tectius quidem in Corinthiis, quo loco ait: 1. Cor. 10, 21. *Non potestis mensae domini participes esse et mensae daemoniorum.* Hic enim ut mensas daemoniorum vocat aras idolorum, sic

[1] *Ench.* c. 16. G 2: Sic et in Actis Apostolicis (13, 2): Ministrantibus, inquit Lucas, (alii textus habet *sacrificantibus,* hoc est sacra operantibus) illis domino et ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus etc.

mensam domini altare Christo dedicatum. Apertius vero in Hebraeis, ubi dicit: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Hebr. 13, 10. At vero altare sacrificio externo et visibili destinatum est, unde a Graecis appellatur [1] (qua voce graecum exemplar hic utitur) θυσιαστήριον, quasi latine dicas sacrificatorium, ἀπὸ τῆς θυσίας, id est a sacrificio. Verum quod aliud externum et visibile novi testamenti sacrificium a Christo institutum et Evangelicae legi proprium assignari potest a quoquam, praeter unam solamque missam, quam et a Christo institutam docuimus, et in qua ad sacrificii rationem necessaria sunt omnia, nempe Deus cui sacrificatur, sacerdos qui sacrificat, et res in (185) sacrificium oblata? scilicet ante consecrationem panis et vinum, post consecrationem vero corpus Christi verum et mysticum [2]. Utrumque Deo Patri sacerdos in missa offert, id est, Christum et Ecclesiam, caput et corpus. Quis ergo nisi plane obcaecatus addubitarit longius, missam esse unicum novi testamenti sacrificium, quod et pro innumerabilibus veteris instrumenti sacrificiis successerit et solum pro quibuslibet humanis necessitatibus abunde satisfaciat. Ceterum ut referam hoc loco canones Apostolorum, veterum Conciliorum decreta, sanctissimorum Pontificum eorumque martyrum sanctiones et denique clarissimorum Ecclesiae doctorum et graecorum et latinorum testimonia, in quibus missa dicitur sacrificium, neque vacat neque oportet, quandoquidem (uti diximus in fronte praecedentis articuli [3])

---

[1] Ib. G 3 b: His adde quod nobis Christianis altaria, tabulae ac mensae relictae sunt. Id cum constet, consectarium erit, hostias nobis relictas, dona et sacrificia, quae offeramus. Vix enim uspiam quod constet, comperies sacrificia ab altaribus separata, sed ubicunque altaris usus conceditur, conceduntur et sacrificia, id quod passim est ex altaribus per Noe, per Abraham, per Iacob, per Mosen, per Davidem, per Salomonem instructis, exploratissimum (Gen. 35; Ex. 20; 38. Iudic. 6. — 3. Reg. 3. — 1. Paral. 6). Testatur id Paulus (1. Cor. 10): *Nonne qui edunt hostiam, participes sunt altaris?* Et mox: *Sed quod immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo vos socios fieri daemoniorum. Non potestis calicem domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae domini participes esse et mensae daemoniorum...* Et pertinet et illud: *Habemus altare, de quo edere non habent, qui tabernaculo deserviunt.*

[2] Mysticum Christi corpus iam habetur ante consecrationem, sc. Ecclesia, eaque in missae sacrificio una cum vero Christi corpore utique offertur, attamen non sensu proprio, sed *improprio,* quia, ut auctor ipse docet, Christi corpus mysterialiter oblatum *unicum* est novae legis sacrificium. Cfr. supra 209. 210.

[3] Supra 204.

nemo ab initio Ecclesiae ad haec usque tempora missam aperte negavit esse sacrificium. Quod porro usque adeo parce ac rarenter excellentissimi huius sacrificii tum Evangelicae tum Apostolicae literae meminerint, id (ni fallor) in causa est: Christus enim, uti modo admonuimus, legi vim suam esse voluit usque ad mortem suam. Proinde eius non meminit, nisi, dum hinc migraturus ad patrem simul instituit. Apostoli vero fere in plebe instituenda versantur. Sed iam crebro repetitum est, neque Christi neque Apostolorum vel dicta vel facta memoriae prodita esse omnia.

## ARTICULUS VIGESIMUS PRIMUS.

De missae usu seu applicatione et cura mortuorum.

Missam nulli prodesse, praeterquam uni solique sumenti, non defuncto solum, at ne vivo quidem.

### Responsio.

Non negamus hunc articulum, sed ingenue fatemur nostrum esse. Nam Christi verba ad illos se diffundunt, qui sacramentum participant, non ad alios. Proinde Christus apud Paulum 1. Cor. 11: *Quotiescunque,* (inquit) *biberitis, facite in mei commemorationem.*

1. Cor. 11, 25.

### (186) Confutatio *.

En quo prorumpit caeca haereticorum temeritas, qui non contenti, missae fructibus spoliasse vivos, etiam mortuos (ut est in proverbio) iugulantes [1], eosdem quoque defunctis eripere conantur. At nihil tamen miramur, vos non negare hunc articulum, sed ingenue fateri vestrum esse. Nam ex articulo proxime antecedenti [2] continuo sequitur, quandoquidem eo negastis missam esse sacrificium. Sed, quo tandem argumento, nunc audiamus. Quoniam illa Christi verba, inquitis, tum apud Lucam, tum apud Paulum, in

* « Confutatio » deest.

---

[1] *Ass.* 125: Missatio *pro vivis et defunctis* et pro quavis necessitate non aliena est a Christo adeoque neque impia neque exterminanda, ut quisquis eam e medio sustulerit, antichristus existat vivorumque *mortuorumque interfector,* quibus vitam, Christum, auferre molitur.

[2] Supra 204.

quibus nos ipsi missam esse fundatam asserimus, nempe: *Hoc facite in mei commemorationem,* ad eos se diffundunt solum, qui hoc sacramentum participant, non ad * alios. Hic vos iterum fallit, quod in articolo X. et XI.[1] de communione laicorum sub utraque specie vos fallere diximus, nempe quod non distinguitis in Eucharistia aliam sacramenti, aliam sacrificii rationem. Nam quatenus est sacramentum, aliorum more sacramentorum, uni solique sumenti prodest, quod spiritualis animae cibus est, qui manducantem tantummodo reficit. At quatenus sacrificium est, more sacrificiorum omnium non uni tantum offerenti conducit, verum etiam aliis omnibus, pro quibus offertur[2]. Iam Apostoli Eucharistiam in coena dominica de manu ipsius uti sacramentum acceperunt, ideoque ab illis tunc accepta nulli praeter eos profuit. At Christus Eucharistiam ceu sacrificium offerens eandem aliis, pro quibus offerretur, conducere, verbis ad utramque sacrificii partem adiectis luculenter indicat. Sic enim de pane ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;* de calice vero: *Hic est,* inquit, *calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Quocirca quoniam oblatio Christi tum sub panis et vini speciebus exhibita atque mox in ara crucis sub propria specie visibili consummata, etsi pro multis quidem efficienter, tamen sufficienter pro cunctis hominibus praeteritis, praesentibus et futuris, vivis ac mortuis, ad omne malum deprecandum infinito quodam vigore pollebat, quemadmodum proxime[3] (187) diximus. Nimirum posteaquam Apostoli discipulique Christi et eorum successores potestatem et formam a Christo sibi traditam atque praeceptam exequentes, nempe consecrandi, offerendi et sumendi ad exemplar a magistro praescriptum, quando dictum est ad illos: *Hoc facite in mei commemorationem,* missam celebrare coeperunt, quanquam in missa eorum Eucharistia, uti sacramentum ab eis sumpta, illis tantum sumentibus valuit: tamen

(Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 25.) (Luc. 22, 19.)

* « ad » deest.

[1] Supra 163; 167.

[2] *Ench.* c. 29. K 5: Reliquit Christus huius unionis omnium efficacissimum exemplum in Eucharistia, quam omnes participamus, alii quidem quo ad *sacrificii rationem* attinet, alii autem quo ad sumptionem *rationemque sacramenti...* Quantum ad *sacrificii rationem* attinet, *omnes* participant, quanquam alius alio plus minusve: quantum ad *sacramenti rationem* attinet, ii participant qui fide per charitatem operante accedunt.

[3] Cf. supra 210.

eadem uti sacrificium Deo ab eis oblata non solum eis profuit, verum etiam quibuscunque aliis vel vivis vel mortuis, ut ad effectum quemcunque impetrandum finite ac particulatim applicaretur. Unde quemadmodum in coena Christi, ita quoque in sacerdotis missa haec tria: consecratio, oblatio et sumptio tum re tum tempore distant. Nam sacerdos Eucharistiam primo consecrat; deinde offert et pro omni Ecclesia, tum pro iis maxime, quibus nominatim applicatur; postremo sibi tantum uni sumit. Sicut ergo vos, quod missam proxime negastis esse sacrificium, necessaria consecutione etiam negatis, eam ulli praeter uni sumenti prodesse; ita nos ex adverso, quoniam illic asseruimus, missam esse sacrificium, hic pari consecutionis necessitate asserimus, eam aliis quoque praeter sacrificantem posse applicari ac conducere. Nam vel ipsa sacrificii ratio et sacerdotii functio sola id abunde convincit. Sub omni enim lege et in quavis religione et apud quancunque gentem sacerdos, tanquam publicus universi populi minister, in hoc est constitutus, ut non pro se tantum, sed etiam pro omni populo, dona, munera et sacrificia offerat, id quod in scriptura praecipue docet, in veteri quidem instrumento liber Leviticus, in novo autem Apostolica epistola ad Hebraeos. Quod Martinus Lutherus, vestrae factionis antesignanus, non ignorans aliquando scripsit: « Quamdiu creditur missam esse sacrificium, erit persuasum populo, aliis a manducante prodesse ».

Verumtamen, quo fusius aliquanto uberiusque rem hanc omnem
(188) demonstremus atque corroboremus, missam vivis applicari posse, vel mutua bonorum operum inter fideles communicatio [1] sive participatio sola satis atque super evincit, quam hoc loco ratam haberi volumus, utpote in divinis utriusque testamenti literis tum creberrime, tum clarissime stabilitam, quando Apostolus Paulus, ut est videre in omnibus epistolis, et orat pro suis, et ab eisdem pro se orare petit; missam autem inter omnia hominum opera bona primas obtinere nulli Christiano dubium est. — At quantum ad defunctos pertinet, acrior hic esse solet contentio, lis et controversia. Itaque praesupposito in praesentia cum catholica Dei viventis Ecclesia purgatorio, quod articulo octavo [2] pro temporis ratione pau-

[1] Cf. *Ench.* c. 29. K 3b — K 6, cuius titulus: Esse quandam cum spiritualium tum carnalium bonorum communionem, qua et fraternitates, ut vocant, fundantur et constant.

[2] Supra 147. 148 sq.

cis adstruximus, quippe in quo solo positis defunctorum animis Ecclesiastica mortuorum cura sit et utilis et necessaria: primo quidem constat e praedictis de purgatorio, animas ibi constitutas esse capaces omnium piorum operum, quae a viventibus hic eis impenduntur. Nam ex quo *charitas* (teste Apostolo) *nunquam excidit*, 1. Cor. 13, 8.
charitatem, in qua hinc discesserunt, adhuc tenent, per quam sunt membra mystici corporis Christi, non secus atque fideles hic in terra viventes. Haec autem mystici corporis connexio, nempe omnium Christi fidelium ceu membrorum in uno capite Iesu Christo, iuxta doctrinam Apostolicam, basis est ac fundamentum mutuae Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4.
communicationis et participationis bonorum operum; quandoquidem inter eiusdem corporis membra nullum uni sibi natum est, sed in usum aliorum omnium. Deinde vero liquet ex iis quae de missa proxime dicta sunt, missam esse omnium piorum operum et maximum et efficacissimum, utpote continentem illam eandem hostiam in ara crucis oblatam, nempe Iesum Christum, qui pro omnibus mortem passus omnia, quae voluit a patre impetravit; quapropter missae oblatio non vivis modo, verum etiam defunctis accommodari (189) potest atque prodesse, tum ad leviores venialium peccatorum maculas eluendas, tum ad exsolvendam criminalium peccatorum satisfactionem, quae in praesenti vita non fuerat depensa *, quo duplici nomine ac fine purgatorium in orbe divinitus esse statutum docuimus.

Sed ut de plurimis, paucis aliquot scripturarum testimoniis hoc, de quo agitur, ostendamus, primus ille sit locus omnium hac de re apertissimus, qui in Machabaeorum historia legitur, quod *Iudas Machabaeus facta collatione duodecim millia dra-* 2. Mach. 12, 43-46.
*chmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum, orare pro mortuis. Et quod considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Qui sane liber, ne quis haereticorum more id forte calumnietur, etsi non est in canone Iudaeorum, quem Hieronymus in prologo galeato libri Regum describit, tamen in canone Ecclesiae connumeratur, testibus Hieronymo in secundo prologo huius libri, et Au-

* deprehensa.

gustino tum libro 18. de civitate Dei, cap. 36., tum libro secundo de doctrina Christiana cap. 8.; et canon Concilii Carthaginensis approbat. Unde quanquam ex hoc libro contra Iudaeos nihil adstrui potest, tamen quisquis Ecclesiae filius esse vult ac non Synagogae spurius, apud eum hos libros eadem auctoritate pollere oportet, quam cetera utriusque testamenti volumina. Sed quando liber hic in veteri testamento postremus est, haudquaquam est consentaneum, illud sine maiorum exemplo a Iuda Machabaeo factum [1]. Quin, si vacaret, possem edocere partim sacris partim profanis historiis (190) consuetudinem agendi curam mortuorum ante legem scriptam ab origine mundi usque ad tempora Machabaeorum veluti per manus traditam, non solum apud Iudaeos fuisse, verum etiam apud gentes ex ipsius naturae magisterio. Atque hinc factum opinor, cur parcius omnino et tectius utriusque testamenti literae huius rei meminerint. Porro quia morale quiddam est nec a Christo nec ab Apostolis vetitum, certe non improbando comprobasse videntur et veluti supponentes hac de re nihil expresse scriptum reliquerunt; at oblique tamen aliquot locis Apostoli subindicave-
1. Cor. 15, 29. runt, veluti cum Paulus in Corinthiis ait: *Alioquin quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Quo in loco quanquam errabant falsa pietatis imagine Corinthii quidam, existimantes, inter alia piorum operum studia mortuis exhiberi solita, vivos pro defunctis quoque baptizari posse, tamen Apostolus ex eo more ab eis concesso, partim vero, partim falso, resurrectionis corporum adstruendae argumentum duxit, nimirum insinuans, aliqua certe vivorum opera commodare defunctis [2]. At cla-

---

[1] *Ench.* c. 48. Q 4. Allato ex 2. Mach. (12, 43-46) testimonio pergit: Observa purgatorii fidem ante Machabaeorum tempora fuisse receptam, utcunque etiamnum liber ipse Machabaeorum vel recipiatur, vel inter apocrypha Iudaeorum habeatur. Ex iis facile consequitur defunctis prodesse suffragia vivorum, *potissimum vero sacrificium altaris,* vigiliarum ac eleemosynarum. Sunt enim et animae defunctorum inter hominum album conscriptae. Nam dignior pars hominis anima est, a qua totum denominationem accipit, sed pro omnibus hominibus orandum est, preces, dona, intercessiones, *sacrificia* offerenda sunt (1. Tim. 2, 1).

[2] *Ench.* c. 48. Q 3: Eo pertinet et illud, quod Paulus *resurrectionem* asserens *corporum ex* observato Corinthiorum (1. Cor. 15, 29) *more,* quo credebant, opera praesentis vitae a vivis impensa defunctis prodesse olim, ita argumentatur eosque ex suis ipsorum gestis convincit: *Si resurrectio non erit, alioqui quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?*

rius aliquanto beatus Ioannes rem hanc aperit dicens: *Est peccatum usque ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Quem locum de peccato finalis desperationis catholici doctores nostri accipiunt. Quare cum doceat beatus Ioannes hic, non orandum pro illo, quem cum desperatione clementiae Dei hinc emigrasse constiterit, nonne simul eadem opera pro aliis defunctis orandum esse docet [1]? Profecto, mea quidem sententia, non minus Ecclesiastica pro defunctis orandi consuetudo ex hoc loco adstruitur, quam Augustinus, Gregorius et Bernardus purgatorium asserunt ex illo Evangelii loco quo dicitur: *Convicium in spiritum* sanctum *nec in praesenti seculo nec in futuro* remitti. Unde Chrysostomus, Damascenus et Isidorus affirmant, Ecclesiam habere morem orandi pro (191) defunctis ex traditionibus Apostolorum, id quod ego quidem facile crediderim. Non enim solum et Augustinus praeter alia loca plurima opere uni huic rei destinato, cui titulus est: « De cura mortuorum », in hoc argumento multus est, et Ambrosius: « De obitu Theodosii » meminit, cur in ecclesiis peragatur primus, septimus et tricesimus defunctorum; verum etiam hac de re scribunt longe antiquiores et temporibus Apostolorum viciniores Graeci et latini, ut Athanasius libro « De variis constitutionibus », quaestione XXXIIII, ex composito hac de re agit, et Tertullianus obiter « De corona militari », ceremonias Ecclesiasticas recensens, huius rei meminit: « Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus ». Imo Dionysius Areopagita, Pauli Apostoli discipulus in libro « De Ecclesiastica hierarchia », cap. VII, hoc thema per totum quam uberrime tractat. Neque vero ignoramus haec opera, quae sub nomine Dionysii Areopagitae in Ecclesia circumferuntur, haereticorum calumniis exposita cavillantium, ea esse alterius nescio cuius Dionysii, quam illius a Paulo conversi iuxta actorum historiam [2]. At

1. Io. 5, 16.

Matth. 12, 32.

[1] L. c. Q 3ᵇ affert 1. Io. 5, 16 et pergit (Q 4): Quae verba certum est non posse intelligi de iis qui dum vivunt, ad mortem peccant, quandoquidem pro omnibus quantumvis flagitiosis, quantumvis pertinacibus orandum, etiamnum pro infidelibus. Intelligantur igitur necessum est de quibusdam defunctis, quibus suppetias ferre praecipimur. Sunt namque et ipsi participes spiritualium bonorum, eleemosynarum, orationum, ieiuniorum, oblationum. Nam charitate imbuti sunt, quae nunquam excidit, quanquam secum patiatur miseriam et poenam; nempe dum necdum quadrans novissimus redditus est. Suppetias igitur feramus iis oportet, lege charitatis inducti, ut dicit Paulus.

[2] *Paradox.* (Fol. 19ᵇ): Quin et ipse Paulus et Lucas nonnihil de iis attingunt ritibus (synaxis), et Dionysius Areopagites: quem etsi nonnulli nobis red-

e diverso graviores multo nobis auctores sunt, quibus si quando opus fuerit, Dionysium Areopagitam ab istiusmodi calumniis vindicare poterimus. Quid multa? Nonne hac in re catholico cuique merito suffecerit sola universalis Ecclesiae consuetudo? quae semper et ubique ab initio hucusque pro defunctis oravit, quam et Augustinus et Athanasius in hoc themate tractando citavit. Proinde quoniam sub articulo secundo[1] Ecclesiasticas consuetudines cum verbo Dei non pugnantes magna laudis praefatione recepistis, qualem nunc esse docuimus usum orandi pro defunctis, an non iterum in vos regerere * licebit: Quo teneam nodo mutantem Protea vultum?

## ARTICULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

Omnia igitur anniversaria, missas, orationes, eleemosynas et ieiunia, et reliqua, quae pro defunctis aguntur, fraudes esse et imposturas.

### (192) Responsio.

Vere sunt fraudes et imposturae omnia, quae in Ecclesia papistica aguntur pro mortuis, sed in laicos praecipue; sed illud tacuistis in posterioribus articulis, quos latinos fecistis, videntes id manifestius esse, quam ut possit refelli. Nam quot videmus per huiusmodi anniversaria et missas bonis suis spoliatos et ad extremam redactos inopiam, et quod multo miserabilius est, videmus simplicium animos sic persuasos, ut salutem ponant in huiusmodi rebus tanquam sibi post mortem profuturis. Hoc enim prius agendum fuit, ut eo facilius ab otiosis ventribus sub praetextu pietatis in simplicis plebeculae bona pararetur via. Tales homines dicit Paulus gratia Dei excidisse, et eis Christum factum esse inutilem, qui suis meritis fidunt.

### Confutatio.

Nunc ut paucis ad flosculum istum Evangelii vestri, hoc est conviciosum mendacium respondeamus, quo superiorem articulum

* in vobis regere.

---

dere conentur suspectum, frigide tamen id faciunt. Neque enim ullis argumentis probabilibus utuntur; solum fingunt ac refingunt pro sua libidine quidvis.

[1] Supra 98.

more vestro confirmatis, nempe deficientibus argumentis confugientes ad convicia — omnia, quae mortuis aguntur in una Dei Ecclesia catholica, teste Apostolo, columna et firmamento veritatis, 1. Tim. 3, 15.
cuius Romanum Papam (ut etiam vobis ilia rumpantur invidia) universalem Episcopum et pastorem agnoscimus, confitemur et colimus, quam vos hic contemptim papisticam duplicem Ecclesiam comminiscimini ac effingitis, id quod sub articulo primo[1] (ni fallor) abunde confutatum est; omnia, inquam, ea vere sunt, non fraudes et imposturae, at laudes Dei ac piae mortuorum curae. Nam orthodoxi patres illi, qui divinae scripturae vestigia secuti, nobis tradiderunt et purgatorii cognitionem, quos sub articulo octavo recensuimus[2], et curam mortuorum, de quibus sub proximo articulo[3] meminimus, tam insigni vitae sanctimonia, Deo saepe miraculis testimonium perhibente, in mundo claruerunt, ut nulla de ipsis aut fraudis aut imposturae possit esse suspicio. At quo tandem pacto fraudes et imposturae dici possunt, praecipue in laicos excogitatae? Non enim (193) modo sacerdotes et aliae utriusque sexus Ecclesiasticae personae, sibi quoque defunctis eandem mortuorum curam impendi faciunt, quae laicis Ecclesiastico ritu impendi solet, verum etiam bona pars collegiorum, monasteriorum, templorum aliorumque locorum in hunc finem destinatorum, si veterum annales et historias excutiamus, per Ecclesiasticos proceres fundata, erecta et constructa invenitur. Proinde non ideo suppressum est laicorum nomen in hoc articulo latino, quod in eodem Danice prius edito fuerat expressum, quemadmodum hic inaniter argutamini, nodum in scirpo quaerentes, quod videremus, id esse manifestius quam ut * possit refelli **; at ob id potius, tum quod fraus et impostura fere activam habet significationem — unde si mortuorum suffragia fraudes et imposturae forent, non utique laicorum essent, at sacerdotum, a quibus ea fiunt pro laicis, — tum quod illud erat intellectu perfacile, nempe si fraudes essent ac imposturae, eas in laicos excogitatas fuisse, quando laicis inde nihil temporalis commodi accedat. Quin potius nemo hoc Ecclesiastico more defraudatur, nemo decipitur. Nam parvo dispendio maximum fit compendium; seminantur enim carnalia et temporalia, metuntur autem spiritualia et aeterna.

* « ut » deest. ** repelli.

---

[1] Supra 88 sq.
[2] 145. [3] 219.

Quae vero sequuntur, risu certe digna sunt. Quis unquam audivit, aliquem per missas et anniversaria bonis suis spoliatum? Nullus enim huc vi adigitur, nisi tamen forte ita dictum accipi velitis, 2. Cor. 11, 8. quemadmodum Paulus ad Corinthios loquens: *Alias,* inquit, *Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendia ad ministerium vestrum.* Quis unquam aliquem hac ratione ad extremam redactum inopiam audivit? Nemo enim hunc in usum impendere cogitur, ultra suam ipsius voluntatem atque facultatem. Non enim tam interest, quantum ad pios usus elargiare, quam refert, quanto ex amore id fiat. Plus enim in gazophylacium paupercula vidua misit, iudice Christo, quam 2. Cor. 8, 12. divites omnes. Nam (ut (194) Apostolus inquit) *si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, et non secundum id quod non habet.* Neque vero miserabile illud est, quemadmodum falsa commiserationis imagine conquerimini, at potius multum laudabile, quod videmus non simplicium modo animos (id quod vos dicitis), verum etiam omnium pie in Christo viventium (quandoquidem et doctissimi quique viri idipsum factitant) ita persuasos non humanis commentis, ac e divinis literis (quemadmodum ostensum est), ut salutem ponant in huiusmodi rebus tanquam sibi post mortem profuturis, nimirum ad Ecclesiae sensum et intentionem, nempe uti credamus, non post mortem nos per ea mereri quicquam posse, at hac in vita nos posse mereri, gratia et charitate adiutos, ut ea nobis post mortem valeant ac proficiant, ab aliis nomine nostro facta, non quidem ad cumulum coronae adiiciendum, sed ad peccatorum huius vitae reliquias expiandas, id est, ut verbo dixerim, non ad meritum, sed ad satisfactionem hac in vita non persolutam. Atque hoc ipsum Christus consulere videtur omnibus, quo Luc. 16, 9. loco ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Neque haec Ecclesiastica mortuorum cura in hoc est introducta (uti vos calumniamini), ut eo facilius ab otiosis ventribus sub praetextu pietatis in simplicis plebeculae bona pararetur via. — Primo quidem complures eorum, qui haec nobis tradidere, non modo non quaesiverunt perituras huius seculi opes atque delicias, verum etiam summa cum affluentia habitas ultro propter Christum abiecerunt, et Ecclesiasticae personae sibi quoque mortuis eadem fieri curant. — Deinde nec illos fuisse otiosos ventres, at omni vita et frugalissimos et negotiosissimos, literaria eorum monumenta universo terrarum orbi quam locupletissime contestantur, quemad-

modum sub articulo octavo[1] diximus, nec probos hodie sacerdotes otiosos esse ventres, eorum abunde manifestant officia, quae sunt: quotidie in Ecclesia ministrare, assidue orare pro (195) populo, in lege Dei iugiter meditari et verbum Dei plebem sedulo docere. At sacerdotes improbos, torpentes ab officio, ac otio ventrique deditos excusare aut defendere, quemadmodum subinde iam protestati sumus, neque facultas neque voluntas est. — Postremo sacri doctores nos erudiunt, inter suffragia ea, quae ad mortuorum curam attinent, non solum esse missae sacrificium et orationem, unde non * nihil temporalis lucelli sacerdotibus accedit et quidem iustissime, quemadmodum sub articulo iam proxime sequenti[2] quam luculentissime docebimus, verum etiam ieiunium ac eleemosynam, unde in obitu divitum pauperibus emolumenti plurimum obvenire nemo non novit. Quapropter haec mortuorum cura non est sacerdotalis avaritiae commentum, at salutaris doctrinae consilium.

Porro quod in calce nimis quam inepte, ut omnia, subnectitis, Paulum in Galatis dicere, tales homines a gratia Dei excidisse, et Gal. 5, 4.
Christum eis factum esse inutilem, qui suis meritis fidunt, nihil ad Bacchum, ut proverbio fertur. Paulus enim, si quis locum expendat **, loquitur adversus pseudoapostolos, qui Galatas in Iudaismum pellexerant, de operibus legis, id est, circumcisione aliisque ceremoniis, in quibus ita fidebant, ut per ea se gratiam Christi meruisse crederent; quod si verum esset, iam non esset gratia, et Christus, gratiae auctor, frustra mortuus esset. Proinde asserit illos evacuatos a Christo, seu Christum factum eis otiosum, et eos *** a gratia excidisse, quemadmodum uberius sub articulo quarto[3] de bonis operibus explicatum est. At hic iam nobis est sermo de piis operibus, quae defunctis post mortem a viventibus exhibentur, in quibus quantum fidere ac sperare liceat, iam attigimus, nimirum ut credantur prodesse, non ad meriti augmentum ****, sed ad supplementum satisfactionis hic non expletae. Verum, quod fiduciam in quibuslibet operibus bonis vel moralibus quoque factio vestra prorsus damnare solet, hoc loco pium lectorem velim admonitum, non

* « non » deest.
** expandat.
*** « eos » deest.
**** argumentum.

[1] Supra 145.
[2] Art. 23.
[3] Supra 116 sq.

esse, cur ab (196) huiusmodi fiducia tantopere abhorreamus, modo ita fidamus in operibus ex gratia seu charitate factis, ut gratiam Christi, sine qua nihil possumus, non modo non excludamus, verum etiam, primo quidem loco ac principaliter omnem fiduciam in ea collocemus, secundo autem loco ac minus praecipue in ipsis operibus nostris, quemadmodum attigimus sub articulo sexto de gratia et libero arbitrio disserentes [1], idque exemplo Apostoli Pauli, qui posteaquam adversus pseudoapostolos Apostolicam sibi auctoritatem vindicandi gratia opera sua commemorasset, protinus adiecit: (2. Cor. 3, 4-5). *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quem in modum est videre passim in sacris utriusque testamenti libris, sanctos Dei homines non modo fidere in bonis operibus suis, verum etiam quasi iudicio cum Deo contendere, quoniam ex divinae largitatis promissione bonis operibus aeterna merces debetur.

Quorum fuerit veterum haereticorum hic error.

Ceterum nec in his duobus quidem articulis posterioribus est *, in quo novi dogmatis inventione gloriari possitis in malitia vestra. Nam quod ad missae usum attinet, quae ab Ecclesia vivis et defunctis applicatur, vetus est haeresis Arianorum et Artotyritarum [2]. Quod vero ad curam mortuorum spectat, haeresis est omnium eorum, qui purgatorium esse negant, de quibus articulo VIII [3]. Quamobrem et hi proximi ** quatuor articuli de missa, velut omnium pestilentissimi, optimo iure vobis obiecti sunt.

## ARTICULUS VIGESIMUS TERTIUS.

De bonis Ecclesiasticis.

Hinc quoque fieri, ut iniustae sint decimarum aliorumque censuum Ecclesiasticorum, collegiorum, monasteriorum, sacerdotiorum, praebendarum et similium Ecclesiae dotationum fundationes, quibus, hypocrisi et avaritia sacerdotum et monachorum, compilata sunt multorum principum et procerum praedia, possessiones et bona.

* « est » deest. ** proxime.

---

[1] Supra 131 sq.

[2] *Artotyritae,* factio quaedam Montanistarum, a quibus, praeter panem, etiam caseus (τυρός) in coena dominica adhibebatur (Epiphan. Haer. 49, 2).

[3] 151.

### Responsio.

Satis dictum est in superioris articuli declaratione de huiusmodi imposturis, ut hic repetere minime (197) sit opus. Nam manifestius est, quam ut probatione egeat; alias pluribus agemus, ubi vestra viderimus responsa.

### Confutatio.

Sane plus satis iam pridem est dictum, non modo in superioris articuli [1] declaratione, verum etiam in declarationibus omnium, atque adeo in tot libellis atque concionibus venenatissimis, aliquot iam annos in orbem ab ista factione vestra disseminatis, revera plenis vestrarum fraudium et imposturarum, quibus simplicem Christi plebeculam adeo misere cum aeternae salutis iactura decipitis, ut profecto hic nec repetere nec addere quicquam sit opus. At nihil hactenus a vobis solide, constanter et vere probatum audivimus. Nam manifestiora sunt mendacia, errores et haereses vestrae, quam ut ulla probatione vera demonstrari queant. Proinde, quemadmodum nos ab initio [2] polliciti sumus, nunc quasi velitantes omnia leviter et succincte agimus, postmodum instaurata serio pugna pluribus atque gravioribus acturi omnia, ubi verba responsa viderimus discussione et examine digniora, quam hucusque obtuleritis. Porro quoniam haec est ipsa Helena, pro qua omnis nostri seculi tumultuosissimi digladiatio suscepta est, et quo veluti scopum hactenus dicta spectant omnia (siquidem Palatini canes isti et barbati Thrasones, aulici praecipui, factionis vestrae duces, patroni atque protectores, nihil aut certe parum curae habent de veritate Christianae religionis et humanae salutis ratione, at nonnulli atheos in pectore gestantes sub vestri istius Evangelii velamine nihil praeter rapinas, sacrilegia, et bonorum Ecclesiasticorum depraedationes assidue meditantur), idcirco praesupponentes ex iis, quae iam ante demonstravimus vera esse ac in verbo Dei stabilita, quae dicta sunt de veneratione sanctorum, de purgatione mediocrium animarum, de sacramentis, de sacerdotio, de missae sacrificio, de applicatione ipsius

[1] Supra 220.
[2] 34.

tam pro (198) defunctis quam pro vivis; denique non fraudes et imposturas esse, at laudes Dei et hominum curas omnia Ecclesiastici ritus officia, sive vivis sive mortuis impensa, monachismi veritatem mox asserturi, nimirum ceu bases et fundamenta omnium censuum Ecclesiasticorum, quae propterea hactenus subruere conati estis, quo sic tandem in Ecclesiastica bona expeditior via pararetur: — ostendemus ex omni lege, videlicet naturae, scripta et gratiae, quam iustissimas esse decimarum, collegiorum, monasteriorum, sacerdotiorum, quas praebendas appellitant, et similium Ecclesiae dotationum fundationes.

Principio, quoniam, ut sub articulo XIII.[1] ex Apostolica sententia docuimus, sacerdos quisque publicus universi populi minister est in iis quae erga Deum aguntur, nimirum omnibus modis par, aequum ac innatae legi seu rationi rectae consentaneum est, ut populus eidem (ut minimum) necessaria vitae subministret, nempe victum et amictum[2]. Quo factum est, ut nulla fuerit unquam natio tam immitis, tam effera, tam barbara, quae publicis stipendiis non aluerit sacerdotes suos, etiam quantumcunque absurdae religionis, aut, ut rectius dicam, superstitionis ministros, id quod haud magno negotio (si vel rei claritas exigeret vel instituti ratio pateretur) edocere possemus innumeris gentilium historiarum exemplis Graecis, latinis ac barbaris, in quibus passim fit mentio censuum sacerdotalium. Sed ut de plurimis unum idque e sacris
Gen. 47, 20-22. petitum adducamus, nonne legimus in sacra Geneseos historia, Pharaonem sub lege naturae adhuc agentem id observasse[3]? Dicitur enim, quod *emit Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas prae magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, et cunctos populos eius a novissimis terminis Aegypti usque ad extremos fines eius, praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis. Quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non sunt* (199) *compulsi vendere possessiones suas.* Quid hoc loco et apertius et efficacius, quod ad naturae legem attinet? — Deinde quoniam lex scripta est

---

[1] Supra 175 sq.

[2] *Ench.* c. 36. M 4[b]: Ministris Ecclesiae tenentur subditi *victum* et *amictum necessarium administrare.*

[3] Ib.: Id quod *sub lege naturae* observavit *Pharao. Dicitur* namque in Genesi, *quod Ioseph omnem terram Aegypti subiecit Pharaoni* etc. (ut supra in textu).

legis innatae reparatio, hanc quoque idem confirmare nulli dubium. Nam sacerdotes Mosaicae legis habebant decimas, primogenita, primitias, denique partes de victimis, oblationibus et sacrificiis, de quibus victitabant, id quod ex lege et prophetis opinor esse notius, quam ut scripturarum hac de re loca nulli passim non obvia oporteat adducere. Quid, quod levitici sacerdotes[1] non haec modo, quae diximus, habebant, verum etiam proprias domos, urbes aliasque possessiones ab aliis separatas? Nam dominus ad Mosen loquens: *Praecipe,* inquit, *filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus* Num. 35, 2. 3.
*suis, urbes ad habitandum et suburbana earum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac iumentis*[2] etc. Erant autem sacerdotum oppida (quemadmodum subsequens ibi textus indicat) simul quadraginta octo. Hinc iuxta hoc domini mandatum Iosue legitur distribuisse sacerdotibus et Levitis Ios. 21, 39.
XLVIII civitates in terra promissionis ad habitandum, et (ut Hieronymus ad Fabiolam ait) octo millia Levitarum alenda in singulos dies tempore legis erant, atque haec quidem fiebant in una gente Iudaica et terra non admodum spatiosa. — Postremo, ut ad legem gratiae veniam, quae superioris utriusque legis est consummatio, hanc quoque id ipsum tanto magis comprobare liquet, quanto sacerdotium Evangelicum tum gentili tum legali sacerdotio articulo 13.°[3] superius esse ostendimus. Itaque Christus, Evangelicae legis auctor, tum verbo, tum exemplo hoc aperte docuit, nempe ut servientes Evangelio (id quod sacerdotale munus est) de Evangelio victitent[4]. Nam Apostolos discipulosque suos ad Evangelium praedicandum emittens: *In quamcunque,* inquit, *domum intraveritis,* Matth. 10, 12.
*primum dicite: pax huic domui;* et mox addit: *In eadem au-* Luc. 10, 5. 7.
*tem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt,* (200) *dignus est enim operarius cibo suo,* aut *mercede sua.* Rursus alibi praecipiens: *Reddite, inquit, quae sunt Caesaris, Caesari, et* Matth. 22, 21.

---

[1] Ib.: Sic et *levitici* generis *sacerdotes victitabant* de *decimis, primitiis, oblationibus,* et *sacrificiis* populi (quod locis multis librorum Exodi, Levitici et Numerorum probatur).

[2] Ib. M 5[b]: Quod vero *urbes domusque habuerint ab aliis* separatas, ibidem (Num. 35, 2. 3) testatur *Moses...* Sic et *Iosue* (c. 21).

[3] Supra 176 sq.

[4] *Ench.* M 5[b]: Proinde et Christus in *Evangelio* ordinavit, ut *ii qui Evangelio serviunt, de Evangelio* et vivant. Dignus (inquit) est operarius *cibo suo* vel *mercede sua.* Et rursus: *Edentes et bibentes, quae apud illos sunt.*

*quae sunt Dei, Deo.* Dei autem est, quicquid eius gratia vel dona-
Matth. 8, 4. tum est vel institutum. Imo alibi nominatim leproso praecipit, ut
sacerdoti munus ex lege debitum pro sui emundatione offerat. Et
viduam pauperculam laudibus effert, quae in gazophylacium templi
Mar. 12, 43. coniecit, quicquid ex facultate sua habuit. Quin alio in loco ius de-
cimarum approbat, ubi Pharisaeis decimationem exprobrans interea
Matth. 23, 23. iudicio, misericordia et fide praetermissis: *Haec,* inquit, *oportuit
facere et illa non omittere,* perquam luculenter indicans, deberi
quidem sacerdotibus decimas, at illorum esse suo interim officio
fungi, ne fide erga Deum, iudicii erga oppressos et misericordiae
erga indigentes obliviscantur. Denique Christus ipse, quemadmodum
Luc. 8. Evangelii narrat historia, mulieres aliquot opulentas habuisse fertur,
Luc. 10. ut Martham, ut Mariam Magdalenam, ut Ioannam, uxorem Chusae,
procuratoris Herodis, ut Susannam aliasque multas, quae ministra-
Io. 12, 6. bant ei de facultatibus suis [1]. Unde et Iudam legitur habuisse pro-
curatorem, qui loculos habens, ea quae mittebantur, portabat. Sed
et Apostoli discipulique Christi praeceptoris doctrinam et dicto et
Gal. 6, 6. facto imitati sunt. Nam Apostolus et in Galatis: *Communicet,* in-
quit, *is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omni-*
1. Thess. 5, 12. 13. *bus suis bonis.* Et in priore ad Thessalonicenses epistola: *Roga-
mus,* inquit, *vos fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter
vos, et qui praesunt vobis in domino et admonent vos, ut ha-
beatis illos in summo pretio per charitatem propter opus illo-
rum.* Verum multis hanc in rem argumentis tum ex innata, tum
1. Cor. 9, 7-11. ex scripta lege productis, haec in Corinthiis quam uberrime de-
monstrat: *Quis,* inquit, *militat suis stipendiis unquam? Quis
plantat vineam et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem
et de lacte gregis non manducat?* Sed quod sequitur, animadver-
tamus: *Nunquid secundum hominem haec dico? An non et lex*
Deut. 25. *haec dicit?* (201) *Scriptum est enim in lege Mosi: Non alliga-
bis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An pro-
pter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quo-
niam in spe debet, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fru-
ctus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum
est, si nos carnalia vestra metamus?* Quod ipsum aliquanto suc-
1. Tim. 5. cinctius in priore ad Timotheum epistola cap. 5. resumit. Quid,

---

[1] *Ench.* c. 36. M 6: Hinc et in *primitiva ecclesia mulieres de suis facultatibus ministrabant Christo,* id quod in *Martha, in Ioanna, uxore Chusae,* claret.

quod in depingendi Episcopi formula docet, ipsum oportere hospitalem esse? At quo pacto hospitalitatem exercere poterit, nisi rerum habeat administrationem, unde indigentibus tribuat[1]? Denique in primitiva Ecclesia primi discipuli omnes possessiones communes habebant. *Quotquot enim*, inquit Lucas, *possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Quod vivendi genus Monachi nostri etiamnum referunt et imitantur. Fiebant quoque in Ecclesia primitiva collectae, quarum Paulus subinde meminit, id est, pro alendis Ecclesiae ministris eleemosynarum collectiones, in quarum locum, ubi deficerent, successere beneficia quae vocant, quibus presbyteri seculares aluntur. 1. Tim. 3. Tit. 1. Act. 4, 34. 35. Rom. 15. 1. Cor. 16. 2. Cor. 8. et 9. Gal. 2.

At Christus (inquietis) pauper nasci et pauperes sibi ministros eligere voluit. At iidem (teste Apostolo) non fuere sapientes, non nobiles secundum carnem. — Num ergo mala sapientia, num mala nobilitas? Sic ergo neque opes per se malae sunt, verum Christus Apostolos habere voluit neque sapientes neque divites neque nobiles iuxta seculum, ne doctrina eius humana potius quam coelesti potentia incrementum sumpsisse videretur. Alioqui pauperes spiritu solo non commendasset, qui et ditissimi opum esse possunt; alioqui non iussisset postea ferre sacculum, peram et gladium; alioqui tantam necessitudinem atque consuetudinem cum Lazaro aliisque nonnullis divitibus non habuisset; alioqui denique tot Pontifices et reges sanctos non (202) haberemus, qui pro Ecclesiae iuribus et bonis vel ipsam vitam posuerunt[2]. Quis ergo non videt ex his omnibus, fundationes quarumlibet opum Ecclesiasticarum sive possessionum sive proventuum non esse compilatas hypocrisi et avaritia sacerdotum et monachorum, quemadmodum vos calumniamini, tum quod magna ex parte per Ecclesiasticos quoque viros institutae sunt, tum quod multi (quorum virtus a Deo miraculis testata est) sanctiores, quam ut hypocriseos vel avaritiae suspicio de ipsis esse possit, his bonis usi fuerunt; verum a piissimis hominibus Obiectio. Dilutio. 1. Cor. 1. Matth. 5. Luc. 22. Io. 9.

---

[1] Ib. M 5[b] affert 1. Cor. 9, 7-11. et M 6 scribit: Adde et iis, quod Paulus praecipit *Episcopo*, ut sit *hospitalis* (1. Tim. 3.): id si praestare ac exequi debet, consequitur necessario, eum *rerum* posse *habere administrationem*, ut *tribuat indigentibus*.

[2] E. g. sanctum *Canutum, Daniae regem*, pro Ecclesiae iuribus et bonis tuendis occisum Ottiniae 10. Iulii 1086.

quam iustissime donatas, utpote in omni lege naturae, scripta et gratiae fundatissimas. Atque haec quidem pro iure bonorum Ecclesiasticorum in commune dicta sunt. At de peculiari iure decimarum omnino tacere malo, quam paucis agere, ne uberiora nobis argumenta deesse videantur.

Porro, quoniam sicuti personae Ecclesiasticae, ita quoque bona eorum Deo consecrata sunt, quodque semel Deo consecratum est, amplius in humanos usus citra sacrilegium accommodari non potest[1]; caveat sibi quisque laicus, sive nobilis sive ignobilis, ne manus in bona Ecclesiastica mittens sacrilegium incurrat, certo sciens, id sceleris iuxta maiorum annales et historias nunquam aut perraro vel temporaliter inultum abiisse, idque non in ipsis modo auctoribus, verum etiam in eorum posteris ad aliquot usque generationes, id quod facili opera plurimis tum sacris tum profanis exemplis, nisi ad metam properarem, ostendere liceret. Nam vel in falsae religionis contemptum Deus semper animadvertit, quod in omni religione contempta, tanquam divinitatis aliquid habente, Deus ipse contemnitur, id quod aurum Tolosanum, proverbii vice apud veteres celebratum, abunde testatur. Olim cum ecclesiae construebantur et dotabantur, homines passim erant divites, omniumque rerum etiam ubique erat * affluentia, et implebatur dominicum il-
Luc. 6, 38. lud: *Date, et dabitur vobis.* Nunc autem, ubi destruuntur et spoliantur templa, plerique sunt pauperes, et ubique omnium rerum est penuria. Deus enim de ministris suis vindictam suo tempore facit. At illi viderint, quemadmodum utantur, (203) cogitantes venturum
Luc. 16, 2. esse tempus, quo dicturus est unicuique dominus: *Redde ratio-*
Luc. 12, 48. *nem villicationis tuae*; et: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.* Usum namque opum Ecclesiasticarum pro cuiusque decoro et statu defendimus; abusui vero, si quis sit per otium, ambitionem et luxum, minime patrocinamur[2].

Ceterum neque hic est, quo ceu novo dogmate invento glo-
Unde haeresis ista. riari possitis in malitia vestra. Sed ut error hic e proximo sequi-

* « erat » deest.

---

[1] *Ench.* M 4[b]: *Sunt* enim *bona*... quemadmodum *et personae, Deo* dicata. Iam *quod semel Deo consecratum est, non est amplius ad humanos usus* extendendum. — *Ass.* 140: Sunt, ut iura cum pontificia, tum etiam Caesarea continent, pensiones annuae; decimae et alia id genus, quae iure debentur, eis reddendae. Iniuste igitur faciunt, qui haec eadem iis auferunt in suumque dominium transferunt.

[2] *Ass.* 32:... At nos abusibus patrocinium ferre nolumus.

tur, ita est cum omnium veterum haereticorum, qui purgatorium tollere conati sunt, tum vero Valdensium (qui et pauperes de Lugduno vocabantur), Viclevicorum et Hussianorum, qui omnium maxima invidia perciti, Ecclesiae opibus oblatrarunt, Apostolicos haereticos ex parte secuti. Quod enim illi de Christianis omnibus asserebant, hoc isti de solis Ecclesiasticis, nempe neminem salvari posse, qui proprium aliquod hoc in mundo possideret. Verum sicut illi maiores vestri praetextu simulatae paupertatis, avaritiae et quaestui maxime studebant, ita vos quoque vestigiis eorum gnaviter insistentes facere audio, praedicantes, ut adimatur aliis, quod vobis tribuatur, initio quidem paulo contentos, at quibus postea vix tantum sufficiat, unde prius quinque aut sex alebantur sacerdotes; tantum scilicet Elsa cum suis catulis absumit. Proinde hic item articulus non solum haereticus, verum etiam seditiosissimus, utpote omnes ad Ecclesiae spolia, rapinas et sacrilegia evocans, optimo vobis iure obiectus est.

## ARTICULUS VIGESIMUS QUARTUS.

Nulla perpetua vota obligare cuiuscunque conscientiam, vitamque monasticam errorem esse ac deceptionem neque doctrinae Christi consentientem, nec veram habere pietatem. De monachismo.

### Responsio.

Hunc articulum etiam nostrum esse asserimus et longe verissimum, modo loquatur de votis illis, quae originem ex sacris literis non habent, cuius generis sunt omnia vota monastica, et si qua illis sunt similia. (204) Prima huius articuli pars probatur verbis Paulinis 1. Cor. 7. Gal. 5. Ingrati enim sumus futuri Christo (ex quo nos asseruit in libertatem), si rursus sponte nostra praecipitemur in servitutem, perpetuis votis obstringentes conscientias nostras. Qui igitur per imprudentiam huiusmodi votis sese reddit obnoxium, facit contra Dei consilium et commissionem auctore Paulo. Nemo igitur huiusmodi votorum observatione obligatur.

### Confutatio.

En tibi, lector, progeniem viperarum. Quidni enim ita dicam? quando sicut viperei partus, dum eduntur in lucem, ortu suo ge-

nitrices enecare feruntur [1], ita vos monasteria nunc evertere molimini, quorum impensis bona pars vestrum educata, instituta et alita est. Nam quid aliud facitis, ingratissimi mortalium, asserentes hunc articulum esse vestrum ac longe verissimum (qui omni mendacio mendacior), quam ut monachismo ex orbe prorsus eiecto omnia ubique monasteria vel funditus diruantur, vel certe profanos in usus convertantur, id quod etiam in sequentis articuli declaratione [2] palam exprimere haud veremini et, proh dolor, compluribus in locis/ non exigua conatus vestri auspicia et fundamenta iacta sunt [3].

Sed quonam serpentino astu vipereae proles haec agatis, despiciamus. Principio, quod votorum obligationem inficiari non potestis neque negare vota esse reddenda, et quod natura dictet, honestas imperet et scriptura multis in locis oportere doceat, moderamine adiecto subiungitis, hactenus quidem vos asserere, vestrum esse hunc articulum et longe verissimum, quatenus loquitur de votis illis, quae originem ex sacris literis non habent, cuius generis sunt omnia vota monastica, et si qua illis sunt similia. Proinde, quoniam (ut audio) convenit inter nos* de votorum obligatione, modo legitima sint et idonea, hoc est, ex verbo Dei profecta; id unum restat ad monachismum asserendum, ut monastica vota huiusmodi esse doceamus. Itaque omne votum huiusmodi (quemadmodum sacri doctores (205) longa scripturarum observatione collegerunt) de re quapiam erit honesta, possibili, non tamen praecepta. At tria illa monachorum et monialium vota substantialia (quae vocant), nimirum continentiae, paupertatis et obedientiae, huiusmodi esse quis non videt? Nonne et dominus noster
Matth. 19, 12. Iesus Christus in Evangelio sub triplicium eunuchorum similitu-
1. Cor. 7, 25-40. dine, et Apostolus Paulus in priore ad Corinthios epistola multis rationibus continentiam consuluerunt, quemadmodum in articulo XVIII. [4] de caelibatu sacerdotum diximus? Nonne et Christus ado-
Matth. 19, 21. lescenti paupertatem ceu perfectionis viam consuluit dicens: *Si*

* vos.

---

[1] *Mon.* I 3: Si... matris... alvum non rumpas, ut *viperea* germina solent.

[2] Infra 235.

[3] Lege *chronicam...* in causa *expulsionis Minoritarum* de *suis coenobis provinciae Danicae,* in Kirkehistoriske Samlinger I. 332-367.

[4] Supra 198 sq.

*vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me*[1]? Nonne et primos Christi discipulos in tenera Ecclesiae infantia, divenditis possessionibus propriis iuxta dominicum hoc consilium, voluntaria paupertate in communi eorum usu convixisse, quemadmodum sub articulo quoque proximo meminimus[2], Actorum historia testatur? Nonne Christus denique obedientiam consuluit, quo loco, posteaquam de sua obedientia dixisset in cruce consummanda, subiunxit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Nam ad plenam vitae perfectionem nec est satis, abnegasse propter Deum propria bona externa, quod fit per voluntariam paupertatem, nec abnegasse carnem propriam, id quod per continentiam fit, nisi (quod in homine summum est) propria quoque voluntas abnegetur, id quod fit per obedientiam maxime talem, qualem ad Christi imitationem religiosi profitentur, Christus enim ingruente iam passione acerbissima, voluntatem suam consummatissima obedientia in Deum patrem resignans, hoc pacto ter ipsum rogavit: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quapropter ab Apostolo Paulo dicitur: *Obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* Cum ergo tria haec, quae religiosi utriusque sexus vovent, Christus ipse Apostolis (206) discipulisque suis non docuerat solum atque consulerat, sed etiam observarat; qua fronte vos, perfidi desertores, dicere non erubescitis, monastica vota e sacris literis non habere originem? Verum Christus haec non praecepit eum certe in modum, quo haec religiosorum usu aut certe institutione observantur, at solum consuluit, nimirum ut honesta et possibilia. Quis ergo ex his non intelligit, legitima et idonea esse vota monastica, utpote facta de re honesta et possibili, haud tamen praecepta. Porro non haec modo consilia, verum etiam praecepta Dei sunt impossibilia quidem homini naturae suae relicto, at utraque eidem gratia et charitate adiuto (quae

Act. 2. et 4.

Matth. 16, 24. Luc. 9, 23.

Matth. 26, 39.

Phil. 2, 8.

---

[1] *Ench.* 39. N 5: Proinde quod nonnulla vota ex iis proveniant, quae a Christo consuluntur,... ex eo constat quod in Matthaeo (19, 12) dicitur de castitate,... et Paulus (1. Cor. 7, 25. sq.). — Ib. de *paupertate* (Marc. 6): Adhuc unum tibi deest; si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae possides. Ita de *obedientia* (Matth. 16, 24). — Eosdem Scripturae locos in *Monade* c. 2. affert pro votis.

[2] Supra 229.

omni recte volenti semper exposita est) non modo possibilia sunt, verum etiam facilia, quemadmodum de voto sacerdotalis caelibatus articulo XVII.[1] dictum est. Oportet enim confidere in Deum iuxta
Phil. 1, 6. doctrinam Apostolicam, quod *qui coepit in* nobis *opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.*

Nunc vero rationes vestrae prodeant in medium. Prima (inquitis) huius articuli pars (secundam enim ad primam ultro consequi supponitis) probatur verbis Paulinis 1. Cor. 7., illis, opinor:
1. Cor. 7, 23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* etc. Et Gal. 5. ver-
Gal. 5, 1. bis, ni fallor, illis, quibus mox in fronte ait: *State et nolite iterum iugo servitutis contineri.* Nam utriusque loci vim explicantes adiicitis: « Ingrati enim sumus futuri Christo, ex quo nos asseruit in libertatem, si rursus sponte nostra praecipitemur in servitutem, perpetuis votis astringentes conscientias nostras ». Quid, oro, haec loca efficiunt, adversus monasticam vitam? An non pudet istiusmodi praestigiis illudere simplicium animis, quasi nullus sit, qui eas detegere queat? Nam utroque in loco Apostolus loquitur * palam et de Mosaicae legis servitute et observatione legalium ceremoniarum, ad quam, vivente adhuc Paulo, pseudoapostoli nusquam non fidei neophytos illiciebant, quemadmodum sub articulo quarto diximus [2], a qua Paulus ubique docet nos Christi gratia liberatos, et legis umbras evanuisse, posteaquam lux Evangelii mundo illuxit. At in hanc servitutem per vota monastica haudquaquam coniicimur. Quis (207) namque monachorum hodie legales observat ceremonias, ac non potius omni modo eas non solum uti mortuas, sed etiam veluti mortiferas abominatur! Tantum igitur abest, uti monastica vota Christianae libertati adversentur Christoque ingratitudinem exhibeant, ut contra potius eam magnopere promoveant summamque in Christum ** gratitudinem declarent, nempe non modo praecepta eius, verum etiam ipsius consilia sequendo. Nam (uti sub articulo secundo [3] dictum est) Christiana seu Evangelica libertas, quae intelligitur redemptio a peccato, aeterna morte, diabolo et lege Mosaica per Christum et Evangelium facta [4], summatim non est aliud,

* Apostolum loqui. ** Christo.

---

[1] Supra 194. [2] 116 sq.
[3] 103 sq.
[4] *Mon.* D 2: Haec libertas... eximit a dira adeoque tyrannica *servitute* peccati, quae libertati ex diametro pugnat... D 3: Christus ad hoc venit in mun-

quam gratia sive charitas, per quam spiritus carni dominatur, hanc autem per monastica vota non modo non labefactari, minui et deprimi, verum etiam nutriri, augeri et erigi, quis nisi totus carnalis non intelligit? Quin si quid voti necessitas et obligatio libertati spiritus officeret, nulla plane vota Christianis essent facienda. Quod enim quisque vovit (modo non sit stulta et infidelis promissio), illud non est iam ei liberum omittere; vos autem aliqua certe vota hoc loco admittere ac probare videmini. Quisquis ergo monasticis huiusmodi votis sese reddit obnoxium, non per imprudentiam, uti falso vos calumniamini, at per summam sapientiam (quae in sola religione vera possidetur), non facit contra Dei consilium et commissionem, auctore Paulo, at potius (uti nunc ostensum est) iuxta Dei consilium et commissionem, auctore Paulo, qui et ipse Christi praeceptoris sui exemplo ad continentiam, paupertatem et obedientiam cohortatur. Omnis ergo, qui votis huiusmodi obnoxius, ea violat, transgreditur et irrita facit, condemnationem habet, quemadmodum Apostolus de iunioribus viduis ait, quae post continentiae votum ad secundas nuptias provolant. 1. Tim.

## ARTICULUS VIGESIMUS QUINTUS.

Igitur omnia monasteria debere funditus everti, et omnia vota dissolvi, cum sint impia nec quosvis habere possint obligatos.

### Responsio.

(208) Stulta vota et quae sacris literis non consentiunt, non solum possunt, sed iure divino debent resolvi, siquidem promissio stulta et infidelis non placet Deo. Eccle. 5. — Verum in quos usus convertantur tam splendida monasteria monachorum mendaciis exstructa, quae cum regum palatiis de principatu certare possint, situm est in manu procerum regni et magistratus, sive in pias scholas, sive nosocomia, sive in alios pios usus commutare velint,

---

dum, ut sua morte nos liberaret, atque a *mortis tyrannide*, adeoque a *Satanae saevitia* ereptos in regnum alioqui pacatissimum transferet. D 6 b: Iudaeis germana non obtigit libertas, qui suo Mosi addicti omnia ad carném torquebant. — Ceterum toto hoc c. III. Monadis praeclarissime ostendit, « Vota monastica neque libertatem adimere, neque monadi sacrae adversari ».

ut non sit necesse propterea ea demoliri et solo aequare, quod otiosorum ventrum desierunt esse latibula.

## Confutatio.

Audimus hic propositionem longe verissimam, nempe stulta vota, et quae sacris literis non consentiunt, non solum posse, sed etiam debere iure divino rescindi, siquidem promissio stulta et in-
(Eccl. 5, 3.) fidelis non placet Deo. Eccle. 5. Quis hoc vel ignorat vel inficiatur eorum, qui modo vel a limine aut Theologiam aut iurisprudentiam salutarint [1]? Quapropter istud ultro damus et lubenter amplectimur. At exspectamus assumptionem, nempe monastica vota esse istiusmodi; hoc opus, hic labor est. Nos enim apertissimis eloquiorum Dei testimoniis iam diversum ostendimus. Verum quod haec diffidebatis evincere, consulto subticuistis, et quasi venenata cauda recondita caput solummodo protulistis. En quo astu serpentino viperea progenies ista matrem suam, nempe monasticam vitam, interimere conetur [2]? Sed ut sequentes vestri istius Evangelii flosculos breviter attingamus, profecto, si alibi unquam, hic vel maxime in proclivi est videre, non simplicem vos habere oculum. Nam pauculis in verbis, quae hoc loco sequuntur, animos vestros triplici vitiorum peste corruptissimos esse quam apertissime patescit.

Principio, quis non videt, invidiae morbo vos excruciari, quando male vos habent splendida monasteria, quae, ut invidiose dicitis, cum regum palatiis de principatu certare possint. At dicite, quaeso, mihi, quid tandem piaculi sit, si complures (209) Dei ministri, noctes atque dies pro tota Ecclesia domino supplicantes atque servientes, regulum aut principem unum eumque profanum et secularem aedificii spatio, altitudine et ornatu vincant? Quae hic iniquitas, ac non potius summa iustitia, praesertim in quo Christi et Apostolorum exemplo non careant? Nonne Christus in extrema coena, veterem legem terminaturus et inchoaturus novam, ad iaciendum novae religionis fundamentum et altam et amplam domum
Mar. 14, 15. Luc. 22, 12. sibi delegit? *Ipse,* inquiens, *demonstrabit vobis coenaculum grande stratum, illic parate nobis.* Nonne Maria, mater Iesu, et Apostoli

---

[1] *Parad.* (Fol. 29 b): Qui sacras literas *vel a limine* (quod dici solet) *salutarunt,* satis exploratum habent...

[2] Cf. 232 n. 1.

cum mulieribus aliquot sanctis Christum in vita secutis, post ipsius ascensionem in simili coenaculo spiritum sanctum, novae legis magistrum et interpretem, exspectasse describuntur? At huius coenaculi vicem et locum religiosorum refectoria (quae vocant) nonnulli his diebus referre et repraesentare credunt. At haec mendaciis monachorum exstructa esse, ut dicitis, ipsi plane mentimini, patris mendaciorum filii, neque probatis neque omnino potestis, tum quod ultronea liberalitate ac magnificentia piorum hominum in Dei sanctorumque ipsius honorem erecta sunt, eorumque non modo principum, magistratuum et procerum secularium, ut iam ante diximus, verum etiam magna ex parte Episcoporum aliorumque virorum Ecclesiasticorum; tum quod plurimos tam excellentes viros monachorum ordines Ecclesiae dederunt, sive spectes eruditionem sive sanctimoniam, ut nec erroris nec deceptionis ulla de ipsis iure possit esse suspicio. Verum antiqua patrum vestrorum est ista querela * de sumptuosis monachorum aedificiis, nempe Valdensium, Viclevicorum et Hussianorum, cui a Thoma Valdensi iampridem abunde responsum est volumine sexto lucubrationum eius, titulo 19. cap. CXLIX. Ego autem vestrae isti invidiae nihil retaliationum imprecor, praeter id quod Socrates imprecari solitus fertur invidis omnibus, nempe, ut in omnibus ubique regnis Christiani orbis omnia (210) simul monasteria collustrare possitis, non pauca fortasse visuri splendidiora, quam Dania vestra habeat, nimirum ut quo maiorem cerneretis cultum, hoc maior invidia, quae est sui poena, vos cruciaret.

Deinde, quando dicitis, in manu procerum regni et magistratuum esse, sive in pias scholas, sive in nosocomia, sive in alios usus pios convertere velint, quis non audit hic **adulationem** longe turpissimam, non solum apertae iniquitatis, verum etiam tyrannidis et sacrilegii plenam? Ut enim per hos proceres et magistratus hodie viventes, nedum per maiores ipsorum, fundata erectaque forent ipsa monasteria; tamen quoniam (uti diximus), posteaquam semel Deo sunt dicata, non tam hominum quam Dei esse coeperunt [1], quales quales tandem sint vita moribusque monachi, citra tyrannidem et sacrilegium eis adimi non possunt, cum vel in profanis rebus, quod semel alicui datum est, absque furto et rapina eidem

* Additum est « quae ».

[1] Supra 230.

vel scelestissimo auferri nequeat, praesertim ab eo, qui iurisdictionem in eum non habet. Quamobrem, quisquis vel in pias scholas, vel in nosocomia, vel in alios usus pios nonnihil elargiri velit, id iuxta sapientis consilium de propria substantia faciat. Sic enim Salomon ait: *Honora Deum de tua substantia.* Nam ut idem ait: *Victimae impiorum abominabiles domino.* Et in Ecclesiastico scriptum est: *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata, et non sunt beneplacitae subsannationes iniquorum. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificia ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Quanto magis inexcusabiles sunt implacabiliusque Deum offendunt illi tyranni, qui religiosorum coenobia vi occupantes in profanos usus proprios convertunt. Credant mihi (quemadmodum et antea eos admonui), nisi quando resipiscentes (211) et ablata vel cum foenore restituentes, dignis poenitentiae operibus Deum placare studeant, longius aut brevius divinam ultionem in se suisque sentient, quo tardiorem, hoc (uti fit) graviorem. Quod si non moveat istos sacrilegos Ethnicum auri Tolosani exemplum, moveant eos saltem exempla regis Achab, qui viri iusti Naboth vineam invaserat; et regis Baltassaris, qui vasis sacris e templo Hierosolymitano a patre ablatis in mensa utebatur, aliorumque tyrannorum et sacrilegorum exempla divinis in literis passim occurrentia [1].

(Prov. 3, 9. — Prov. 15, 8. — Eccli. 34, 21. 23. 24. — 3. Reg. 21. — Dan. 5.)

Postremo cui non subolet, qui modo vel paulo emunctiores habeat nares, in verbis istis etiam avaritiae morbus quantumlibet absconditus. Nam quo tandem fine monasteria in scholas vertenda consulitis, nisi et unus aut alter vestrum spatioso alicui loco prae-

[1] *Ench.* c. 39. N 7: At, inquiunt, eleemosynis monasteriorum erigere volumus commune aerarium... scholas publicas, lapsus sum, dicere debui, haereticorum conciliabula. Verum quo verbo? qua auctoritate? Siquidem commune aerarium de rapina pauperum non est erigendum. De tua substantia fac eleemosynam, inquit sapiens (Tob. 4, 7). — Deinde citat Eccli. 34, 21. 23. 24. Et ib. N 6 b adduxerat exemplum et poenam (regis *Baltassaris* (Dan. 5) et *Achab* (3. Reg. 21). — *Ass.* 282: Non debent principes et magistratus per tyrannidem instituere pro suo arbitratu monasteriorum dispensatores, uti nonnullis in locis factum est, neque etiam monasterii auferre bona, redditus, pensiones et sacra vasa; alioqui raptores sunt experienturque cum *Baltassaro* celerem perditionem et divisionem regni.

ficiatur, idque ad libidinem carnis et haereseos disseminationem, qui hactenus ad laudem Dei et veritatis doctrinam compluribus suffecit. Sed primum, qui constatis vobiscum nunc publicas scholas erigi consulentes, qui veteres Academias omnes alibi ceu lupinaria damnastis, quorum impio conatu factum est, ut celeberrimae hactenus Academiae prorsus in orbe defloruerint omniaque bonarum artium studia ubique contempta iaceant, ut haud sciam, an ulla sit alia gravior Christianae reipublicae iactura inter alias calamitates innumeras, quibus Ecclesiam Dei vestra haeresis affecit. Deinde non est cuiusvis, publicas erigere scholas, id enim summi Pontificis et Imperatoris auctoritate fieri debet [1]. Denique non etiam cuiusvis est, in publicis Academiis docere quidlibet, quemadmodum in vestris conventiculis factitare soletis, sed eius est, profiteri artem suam et intra eam se continere, qui principum * facultatis cuiuspiam auctoritate post diutinos labores exantlatos in ea legitime probatus fuerit. Atque mea quidem opinione vestra ista docendi quidvis licentia, qua biennales isti vel triennales magisterculi quidvis docendi cathedram invadunt, huius nostri seculi tragoediam non minima ex parte peperit. (212) Divus autem Hieronymus ad Rusticum monachum scribens praecepit salubriter: Multo tempore disce, quae postmodum doceas. At hac tempestate omnes magistri esse volumus, priusquam bene discipuli esse coeperimus. Verum, quo istum avaritiae morbum abderetis, consulitis, monasteria vel in pias scholas, vel in nosocomia, vel in alios usus pios vertenda, nimirum vestro negotio favorabilem languentium et pauperum causam asciscentes. Sed ad veterem istam Iudae proditoris querelam, videlicet: *Ut quid perditio* Matth. 26, 8. 9.
*haec? potuit enim istud unguentum venumdari magno et dari pauperibus,* satis superque respondimus sub articulo 7. de cultu sanctorum, reliquiarum et imaginum [2]. *Non enim hoc dicebat* (teste Io. 12, 6.
beato Ioanne), *quod curae erat illi de pauperibus, sed quod fur erat et loculos gerebat.* Sed finem hominis audite: *Suspensus* (in- Act. 1, 18.
quit scriptura) *crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera eius.*

* principium.

[1] *Ench.* c. 39. N. 7 b: Proinde universitates *publicaeque scholae* sine principis *auctoritate erigi* non possunt. Nomine autem principis *Pontifex summus* et *imperator* intelligitur. — *Ass.* 288: Si principes universitates scholasque erigere volunt, id legitima faciant oportet auctoritate de propriis suis redditibus; alioqui non scholae erunt fidelium dicendae, sed criptica haereticorum prostibula, quae prorsus devastanda sunt.

[2] Supra 139.

Proinde et vobis cavete, ne vos, Iudae imitatores strenuos, par itidem exitus et mors parum honesta maneat. Porro, quod magno cum stomacho monasteria otiosorum ventrum latibula vocatis, quis non videt, id ex gravi odio potius, quam ex recto iudicio profectum? Quid enim a legitimo monacho ventre otioso alienius? Nam si quivis Christi sacerdos, modo sit in officio, nihil minus quam otiosus venter esse potest, quemadmodum sub articulo 22. dictum est [1], quanto minus suo fungens officio monachus? Nos enim pro virili nostra tuemur atque tuebimur, quoad vivemus, monachismum ipsum, veluti Christianae religionis apicem et columen, at monachos et moniales omnes neutiquam. Verum sicut exiguo Apostolorum Christi numero Iudae malitia non obfuit, ita nec officit universo monachorum ordini paucorum (si qui sint, uti dicitis, otiosi ventres) ignavia. Notum quippe Hieronymi verbum est: Paucorum culpa non praeiudicat religioni. Nam idcirco laborandum est, ut reformentur, non ut deformentur monasteria.

Unde compilatus error iste adversus monachismum.

Ceterum neque in his duobus quidem (213) postremis dogmatum articulis est, vos apostatae, semper ordinum vestrorum persecutores, in quo tanquam novae cuiuspiam opinionis inventione gloriari liceat in malitia vestra. Nam vetus est haeresis ista Ioviniani, Vigilantii, Lampetianorum [2], Valdensium, Viclevicorum et Hussianorum. Quamobrem et hi optimo iure vobis obiecti fuerunt. Vides enim, Christiane lector, quemadmodum et in primo et in secundo congressibus a nobis dictum est, omnem istius novae factionis doctrinam haud aliud esse quam miscellaneam farraginem quandam, aut potius colluviem ex veteribus obsoletisque haeresibus iam olim condemnatis, non iudicio, at odio, non sapientia, at audacia, non ratione, at temeritate ex obliteratis abditisque libris susque deque contractam.

## ARTICULUS VIGESIMUS SEXTUS.

Articuli duo de factis.

Non contenti etiam huius regni concionatores, verbo populum docuisse praedictos et errores et haereses, facto quoque nonnulla

---

[1] Supra 222-223.

[2] In « catalogo haereticorum, ex quibus Lutherani prodierunt » (Monas R 7) haec habet Herborneus: « Lampetiani... vota tollunt adversus Mosen: quodcunque voveris redde ».

horum dogmatum executi sunt. Nam magister Ioannes Taussen Episcopalem sibi auctoritatem usurpans, aperta Episcoporum huius regni praelatorum irrisione, contemptu et iniuria, sacerdotes ordinare praesumpsit et concionatores instituere, qui et pro veris apud eos habentur sacerdotibus cum manifesta populi idololatria.

## Responsio.

Negat magister Ioannes Taussen, se unquam sacerdotes consecrasse, cum id solius Dei est, sed viros aliquot doctrina et vitae sanctimonia spectatos suis suffragiis populo et Ecclesiae Vibergensi * commendasse fatetur, quibus ex Christianae multitudinis consensu et ardenti voto munus praedicandi Christi Evangelium credidit cum manuum impositione et oratione Ecclesiae ad Deum facta, atque ut in sacramentorum administratione aliisque officiis Ecclesiasticis populo Christiano sedulo inservirent; et in hoc Apostolorum secutus est doctrinam et exemplum. Ceterum non satis intelligimus, quid sibi vult illa particula ad calcem (214) articuli adiecta (cum manifesta populi idololatria), nisi forte persuadetis nobis, illos non habere auctoritatem coenae dominicae mysterium peragendi, quod non sunt a vobis vestrique similibus uncti et rasi, atque ideo populum fieri idololatram, qui Christi corpus et sanguinem cum digna sacramenti reverentia ab eorum sumunt manibus. Eadem opera probetis Apostolos omnes eorumque discipulos populum ad manifestam idololatriam induxisse, quod non uncti et rasi neque ab hominibus consecrati fuere. Verum vestram rasuram et oleum aliquid facere ad Ecclesiae ministros instituendos, aut ad veri sacramenti mysterium peragendum solida scriptura nunquam evincetis. Hanc itaque vestram haeresin digno volumine olim sentietis refellendam.

## Confutatio.

Discussis hucusque falsorum dogmatum articulis, restant nunc demum articuli duo factorum inde consequentium vobis obiecti, paucis itidem excutiendi, in quibus etsi pleraque negatis, more scilicet vestro, aliud inter vestros agentes, aliud ** respondentes apud iudices accusati, tamen posteaquam ea tum docuistis, tum confessi estis, unde haec, quae vobis obiecimus facta, ultro consequuntur, non

* Viborgensi. ** et.

magnopere laborandum aut immorandum est. Nam articulus hic XXVI. ex haeresi vestra de sacerdotio sequitur, de quo articulo XII. usque XVI. [1], proximus vero XXVII. [2] ex haeresi de Ecclesia, de qua sub articulo primo [3] huius tertii congressus.

Principio igitur (ut ad singula quam brevissime respondeamus), quod magister Ioannes Taussen captiose negat se unquam sacerdotes consecrasse, cum id solius Dei sit, quo captionem captione retundamus (malo enim nodo iuxta proverbium malus quaerendus est cuneus), non habet articulus consecrandi aut ordinandi verbum. — Deinde non obiecimus ei, quod sacerdotes ordinarit sive constituerit; scimus enim tum Evangelicis tum Apostolicis edocti literis, uti liquet ex his quae sub articulo XIII. [4] disseruimus, (215) penes solos Episcopos, tanquam Apostolorum successores, huiusmodi potestatem esse. At praesumptionis seu temeritatis eum accusavimus, qua temere id tentavit atque conatus est, cum nihil minus posset. — Postremo quid tandem erroris foret admissum, si dixissemus, eum praesumpsisse sacerdotes consecrare, aut Episcopum revera consecrare sacerdotes? At Deus, inquitis, est, qui hominem consecrat sive sanctificat. O Theologos scilicet eximios! quasi vero idem effectus a pluribus causis ordine se consequentibus dispari ratione progredi non possit. Deus enim ut auctor consecrat, Episcopus ut minister, sacramentum ordinis ut instrumentum, gratia denique ut forma, tametsi ad scripturae phrasin consecrare non sit aliud, quam sacro et divino usui quicquam dedicare, id quod passim in veteris instrumenti libris non Deus modo, sed etiam homines facere dicuntur. Neque de hominibus modo, sed etiam de rebus inanimis dictum subinde legitur.

« Quod porro viros aliquot doctrina et vitae sanctimonia spectatos suis suffragiis populo et Ecclesiae Vibergensi * se commendasse fatetur, quibus ex Christianae multitudinis consensu et ardenti voto munus praedicandi Christi Evangelium credidit, cum manuum impositione et oratione Ecclesiae ad Deum facta, atque ut in sacramentorum administratione aliisque officiis Ecclesiasticis populo Christiano sedulo inservirent » etc.

* Viburgensi.

---

[1] Supra 169-192.

[2] Infra 247 sq.

[3] Supra 88-98.

[4] Supra 179.

Principio quanquam nescio, quod viri, quos hic narratis, mihi quidem cogniti non sunt, qua tamen vitae sanctimonia et eruditione praediti esse possint, tum ex commendante haereticorum regni Danici antesignano, tum ex Vibergensi Satanae synagoga, cui commendati sunt, facile licet intelligere, nimirum similes (ut aiunt) habere labra lactucas [1], id est undique haereticos omnes et ab una Dei viventis Ecclesia ceu putrida membra praecisos, extra quam neque vera sanctimonia nec salutaris eruditio esse potest, quemadmodum (216) et in utroque congressu priore et sub primo huius tertii congressus articulo [2] (ni fallor) copiose satis edoctum est. Audivi tamen bellam hercle istius praeclarae commendationis causam. Relatum est namque mihi a viris fide dignis, magistrum Ioannem uxoris loco sororem nescio cuius [3] in scortum habere, atque in gratiam eius conatum, commendatione sua fratrem laicum ad sacerdotii honorem promovere. Dignam scilicet Evangelici sacerdotii rationem! An non pudet vos (deploratissimi mortalium) Dei sacramentis adeo scurriliter illudere?

Deinde ut sint et doctissimi et sanctissimi, tamen ad Evangelici sacerdotii functionem exercendam solius multitudinis consensum et votum cum impositione manuum et oratione ad Deum facta haudquaquam sufficere, lectoris integri iudicio ex Evangelicis Apostolicisque literis non minus efficaciter, opinor, quam dilucide sub articulo XIII. [4] demonstravimus. Christus enim Apostolos primum in sacerdotes Episcoposque ordinavit atque consecravit. Deinde Apostoli constituerunt alios tum Episcopos tum presbyteros, quemadmodum Paulus et Barnabas per singulas civitates fecisse leguntur, inter quos fuere Timotheus Ephesiorum et Titus Cretensium Episcopi a Paulo consecrati, quibus iubet ut alios consequenter Episcopos et presbyteros oppidatim instituant. Quapropter ubique legimus in sacris novi testamenti libris, a solis Episcopis ordinatos esse alios Episcopos ac presbyteros, atque ex temporibus Apostolorum in hanc

---

[1] *En.* (Sab. p. II. Dom. Quadr. Fol. 109 b): Igitur adolescens cupiebat ventrem suum (ut *similes haberent labra lactucas*) porcorum siliquis explere.

[2] Supra 89 sq.

[3] Iste « nescio quis » erat *Georgius Ioannis*, cognomento *Sadolin*, postea Superintendens Fioniae († 1559), cuius sorori nomen erat *Dorothea*. Cfr. Chron. Skib. ap. *Rördam*, Mon. hist. dan. I. 66. et *L. Schmitt*, « Hans Tavsen eller den danske Luther ». Kjöbenhavn 1893, p. 19.

[4] Supra 174 sq.

usque aetatem in Ecclesia catholica sic observatum esse, omnes historiae contestantur. At solo multitudinis consensu vel Episcopum vel alium quemvis sacerdotem tempore huius novae legis in Ecclesia catholica constitutum esse, nec sacris literis nec aliis historiis vere probabitis unquam. Nam quod in hoc magistrum istum Ioannem dicitis Apostolorum secutum esse doctrinam et exemplum, cur non profertis doctrinam? cur exemplum non recitatis? Nos enim ex utroque diversum et ante ostendimus (217) et modo repetivimus. At istiusmodi mendaciis vestra scatent omnia. Mathias quidem non solius plebis assensu, verum auctoritate Concilii, et totam Ecclesiam referentis, et cui summus Pontifex Petrus praeerat, et reliqui omnes Apostoli iam Episcopi intererant, electus, accitus et ordinatus est in Apostolum. At non fit hic mentio vel impositionis manuum vel aliarum quarumlibet ceremoniarum, quod (ut articulo XIII.[1] diximus) nondum missus fuerat spiritus sanctus, qui postea sacramentorum omnium ceremonias Apostolos docuit. — Proinde, quoniam hic et impositionis manuum et orationis ad Deum factae
Act. 13, 2. 3. meministis, exemplum ordinationis Pauli et Barnabae pro vobis facere, ni fallor, arbitramini. At nihil minus facere, breviter vos docebo. Nam etsi non satis hic inter sacros divinae scripturae interpretes convenit, quo tempore, quo loco et quibus primum hominibus in Apostolos ordinati sint, alioqui iam prius ad munus Apostolicum electi et assumpti a spiritu sancto, qui singulari privilegio in omni re secundae causae vicem supplere potest; — at paucorum privilegia non faciunt legem communem —: nihil tamen hic locus errori vestro patrocinatur. Nulla enim hic mentio fit de consensu plebis vel requisito vel exspectato, at solummodo prophetarum et doctorum, quos sacerdotes fuisse illud clare ostendit, quod Lucas eosdem inibi sacrificantes, Erasmo interprete, describit. Porro omnes certe hos simplices fuisse sacerdotes, nec ex hoc nec ex alio scripturae textu vere docebitis unquam. At ob alia scripturae loca, quibus a solis Episcopis legitur ordinatos esse presbyteros, mihi quidem fit verisimilius, in qua sententia et Lyranus est, inter hos quoque aliquot Episcopos fuisse. Nam etsi quidem in una civitate unus tantum erat Episcopus ab Hierosolymis, tamen vel aliunde illuc venisse potuerant, quemadmodum Barnabas et Paulus, qui inter eos (218) commemorantur. Verum, quando tam anxie videri cupitis

---

[1] Supra 185-186.

Apostolorum vestigiis per omnia insistentes, demiror nullam fieri hoc loco ieiunii mentionem, cum prophetae et doctores illi in Paulo et Barnaba ordinandis ieiunasse describantur. Sed adeo scilicet tota spiritualis est iam pridem Ecclesia vestra, ut per vestram libertatem istam nullo posthac egeat ieiunio, quo carnis rebellio edometur.

Ceterum, quod in calce huius articuli manifestam populi idololatriam ista ordinatione vestra committi vobis obiectum est, hoc ita esse nobis omnino persuasum habemus. Nam iuxta clarissimam Evangelii historiam (uti sub articulo XIII. [1] dictum est) auctoritas sive potestas agendi coenae dominicae mysterium (in quo Christus tria fecit, nempe panis ac vini in corporis et sanguinis sui consecrationem, oblationem et distributionem, et eadem suis agenda praecepit) solis Apostolis discipulisque tum praesentibus et eorum successoribus tradita est. Successores autem eorum sunt in sacerdotalis ordinis potestate, quam inibi geminam esse diximus, nempe consecrandi verum corpus Christi et absolvendi corpus mysticum eiusdem, omnes et soli sacerdotes Ecclesiastico ritu hactenus observato per Episcopos ordinati, quemadmodum ab initio hactenus Ecclesia Dei observavit et orthodoxi patres ad unum nobis ita tradiderunt, apud quos germanum verumque Evangelii sensum fuisse in primo congressu docuimus [2]. Quo fit, ut nullus praeterea non hominum modo, sed etiam angelorum, imo ne diva quidem virgo Maria, Dei mater, hanc potestatem habeat. Hanc autem potestatem homines a Deo accipiunt non unctione ac rasura, quorum contemptim hic meministis, at ipso ordinis sacramento, uti sub articulo XIIII. [3] dicebatur; cuius minister idoneus iuxta traditionem novi testamenti et Ecclesiae catholicae observationem est solus Episcopus, quemadmodum iam semel atque iterum a nobis ostensum est. (219) Idololatria vero populi committitur, non in ipsa corporis et sanguinis dominici sumptione de manibus eorum, qui in sacerdotes Ecclesiastico more non sunt ordinati (modo consisteret ipsa consecratio), tametsi neque tradentes neque sumentes culpa vacarent; sed in ipsa adoratione, qua populus panem et vinum pro Christo adorat (quis enim recta fide praeditus sumit Eucharistiae sacramentum, qui Christum in ea non adorat?), quoniam potestatem consecrandi

---

[1] Supra 182 sq.
[2] 51.
[3] 184.

corpus et sanguinem dominicum non habent [1], quemadmodum et prius ostensum est et modo repetitum. — Porro non est par ratio de Apostolis discipulisque Christi. Hi enim potestatem ordinis sacerdotalis a Christo proxime sumentes et ab ipso sacerdotes consecrati vere corpus et sanguinem dominicum conficere * potuerunt; idcirco hi populum ad idololatriam minime induxerunt. Sed posteaquam Christus iuxta hominem a mundo rediit ad patrem, hanc consecrandi sacerdotes potestatem Apostolis eorumque successoribus
Luc. 22, 19. Episcopis ceu vicariis reliquit, nimirum quando dixit: *Hoc facite in mei commemorationem*. Ut autem nos ex Evangelio scripto probare nequimus, Apostolos fuisse rasos et unctos, interea vero nos Ecclesiae catholicae auctoritatem et consuetudinem cum verbo Dei non pugnantem pro nobis habemus. Sed ut ut sit, ad rem non magnopere pertinet, si quidem, ut sub articulo XIV. [2] dictum est, rasura et unctio non ad ipsam sacramenti ordinis substantiam pertinent, at solum ad decorem et ornatum. Proinde ultro concedimus, rasuram et oleum nihil omnino facere ad instituendos Ecclesiae ministros, aut ad mysterium sacramenti Eucharistiae vere peragendum; attamen mysticas quasdam et rationales esse ceremonias et sacramentum ordinis cohonestantes, et spiritualem ipsius effectum designantes. Quas etsi quidem ex solida scriptura demonstrare nequimus, tamen ex traditione Apostolorum manasse, (220) sub eodem articulo XIV. docuimus. Christus enim ipse sacramenta instituit, sacramentalia vero spiritus sancti magisterio reliquit. Ceterum, quam sit imbecillis vetus ista haereticorum argumentatio, qua colligunt, non esse, quicquid expresse scriptum non fuerit, et in primo congressu copiose deductum est et interim aliquoties repetitum [3].

Quod denique adversus hanc nostram non haeresin, uti vos mentimini, sed Ecclesiae catholicae veritatem nobis minamini olim dignum, de re scilicet indignissima, volumen: parturiunt montes,

* conferre.

---

[1] *Ench.* c. 17. G 5: Itaque quamvis non sint sacris ministrandis deputati, hunc ritum attentant. Quo fit, ut nihil prorsus agant, sed rideant et subsannent potius Deum in suis cripticis conventiculis... Itaque, quorsum quorsum te vertas, quantumvis sis *polypus*, non evadis, non elaberis, immo nihil efficis, solum ventum verberas, Deum hominesque rides, quin *idololatriae* crimen admittis, te aliosque perdis, qui tuae perfidiae manus dederunt.

[2] Supra 184.

[3] 54. 73-74.

nascetur ridiculus mus. Profecto, si modo absque pusillorum offendiculo fieri liceret, nihil omnium mihi accidere posset optatius. Sed ne quis forte vestras istas laicorum ordinationes temerarias tanquam novi quippiam admiretur, is Tertullianum, Apostolicis temporibus vicinum, in libro de praescriptionibus haereticorum [1] audiat in haec verba scribentem: « Ordinationes », inquit, « eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictum [2], nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quod veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie laicus, qui cras presbyter. Nam et apud eos laicis sacerdotalia munera iniunguntur ». An non hic a Tertulliano, doctore tam vetusto, vestrae ordinationes istae ceu penicillo depinguntur?

## ARTICULUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Concionatores Vibergenses simili temeritate excommunicare praesumpserunt omnes sacerdotes, more Romano celebrantes, eorumque missas itidem audientes, et quidem cum invocatione brachii secularis a magistratu Vibergensi ad excommunicationis huius executionem, ipsi tum iuris scripti, tum iudicis quoque legitimi sententia excommunicati omnes.

### Responsio.

(221) Hic articulus aliis omnibus impudentius mentitur. Tria siquidem mendacia Vibergensis Ecclesiae ministris impingit. Primum, quod non sunt excommunicati. Nam illa excommunicatio, quae inter Christianos in recto usu semper est habita, nunquam in eos fuit pronuntiata nec eo modo, quem literae sacrae praescribunt nobis ad sententiam excommunicationis ferendam, nec pro quibus causis docent eam legitime fieri solere. Non enim eos latet, iniustam excommunicationem sive maledictionem benedictionem esse apud Deum. Matth. 5. et Psal. CVIII.

---

[1] Apud Migne, Patrol. lat. II. c. 51. p. 68.

[2] Apud Migne l. c. « obstrictos ».

Secundum mendacium, quod nec eos extra Ecclesiae communionem eiecerunt, qui missis Romano more celebratis interfuere; sed cur non dixistis: prisca Christianismi consuetudine celebratis? ut scriptum erat in prioribus articulis: quod nullam vidistis victoriae spem vobis arridere, nec patere rimam aliquam, qua elaberemini, cum vester missandi ritus longissime abest a ritu Apostolicae Ecclesiae; et ad Romanum morem tanquam ad asylum aliquod confugistis, quem libenter permittimus in vestra regnare Ecclesia.

Tertium, quod neque implorarunt a magistratu robur brachii secularis (ut vos loquimini) ad ullius excommunicationis executionem; id quod facili negotio probatum iri queat literis et sigillis tum magistratus tum civitatis Vibergensis. Verum libere fatentur, se indociles quosdam et praefracti ingenii sacrificulos [1] excommunicasse, qui pertinaciter persliterunt in suarum missarum abominationibus, non sine gravi Evangelicae doctrinae irrisione et contemptu magnoque simplicium animorum offendiculo. Sed eos tamen saepenumero habuere prius admonitos, ut relictis erroribus in viam redirent veritatis. At ubi sese nihil proficere viderunt monendo, exhortando, magis quam si surdis narrassent fabulam, tunc demum usi sua auctoritate illos e Christiani populi consortio eiectos Satanae regno adscripserunt, (222) cum universae Vibergensis Ecclesiae consensu et acclamatione iuxta Christi doctrinam Matth. 18. (quam vos impudenter temeritatem appellatis), et Pauli exemplum 1. Tim. 1., donec per resipiscentiam converterentur * ad Ecclesiam Christi.

## Confutatio.

Utinam mentiti fuissemus in omnibus ac non potius nimium verax fuisset tota haec accusatio nostra. Nihil enim vobis praeter sanam mentem [2] atque doctrinam imprecamur. Sed quoniam tria hic mendacia Ecclesiae Vibergensis ministris falso et impudenter a nobis impingi contenditis, agite, singulum quodque paucis expendatur.

Principio, num est mendacium, et illos et vos adeoque omnes istius vestrae factionis complices excommunicatos esse? Nam cum

* convertentur.

---

[1] Ex his unus fuit *Magister Morsing. Rördam,* Viborg Beretning 35.

[2] *Ass.* 292: Faxit Deus optimus, ut *ad sanam mentem* quandoque redeant suumque errorem corrigant.

omnes haeretici veterumque haeresum ante condemnatarum restauratores (cuiusmodi vos esse, qui nondum ex tribus hisce congressibus intelligit, eum nunquam intellecturum opinor) iure scripto iam tum excommunicati sunt, tum vero in universam factionem vestram augustissimae recordationis Pontifex maximus Leo hoc nomine decimus excommunicationis sententiam fulminavit atque pronuntiavit [1]. Hanc autem excommunicationem primo talem esse constat, qualis inter Christianos in recto usu semper est habita. Nam uti sub articulo primo [2] apud maiores nostros atque nos, eorum successores, ostendimus veram Dei viventis Ecclesiam fuisse ac esse, ita quoque veram excommunicationem, quae est privatio Ecclesiasticae communionis et extra Ecclesiam eiectio, apud eosdem fuisse ac esse oportet.

Secundo eum quoque modum esse servatum, quem sacrae nobis literae praescribunt ad sententiam excommunicationis ferendam, inde liquet. Nam post crebras admonitiones contemptas, nedum duas vel tres ad Christi et Pauli praescriptum, lata est in vos excommunicationis sententia. Non enim solum a iure scripto admoniti fuistis, verum etiam a sede Romana et permultis doctoribus catholicis.

Tertio eis de causis quoque sententiam (223) excommunicationis in vos esse latam, pro quibus eam legitime ferri solere sacrae nobis literae praescribunt, hinc patescit. Nam Christus excommunicandi potestatem Ecclesiae tradens, quo loco de fraterna correptione loquitur, post tres admonitiones demum ob Ecclesiae contemptum sententiam excommunicationis ferendam praecipit: *Dic*, Matth. 18, 17.
inquit, *Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus*. At qui unquam haeretici Ecclesiam Dei maiore contumacia, rebellione, contumelia et iniuria contempserunt, quam ista coniuratio vestra? Apostoli vero hac potestate a domino sibi tradita utentes, in haereticos maxime sententiam excommunicationis tulisse leguntur. Paulus enim ad Timotheum scribens: 1. Tim. 1,
*Nonnulli*, inquit, *circa fidem naufragium fecerunt, quorum de* 19. 20.

---

[1] Bulla: « *Exsurge Domine* » (25. Iun. 1520) reiectae sunt 41 propositiones Lutheri et excommunicatio in eum pronuntiata, nisi intra 60 dies errores suos revocasset. Die autem 3. Ian. 1521 excommunicatio definitive in Lutherum eiusque asseclas et protectores fulminata fuit.

[2] Supra 89 sq.

*numero est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut*
Tit. 3, 10. 11. *discant non maledicere.* Ad Titum vero scribens: *Haereticum,* inquit, *hominem post unam et alteram admonitionem fugito, sciens quod eversus sit, qui eiusmodi est* etc., luculenter indicans, omnem haereticum hominem velut excommunicatum post admonitiones duas fugiendum esse. Quod ipsum in secunda epistola Ioan-
2. Io. 10. 11. nes ostendit apertius: *Si quis,* inquit, *venit ad vos, et hanc doctrinam,* nempe catholicam, *non affert, ne recipiatis eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malis* [1]. Unde Beda epistolam Ioannnis enarrans refert ibi, Polycarpum martyrem, Ioannis discipulum, testari Ioannem illotum exiisse balneo *, in quo vidit Cherintum [2] et dixisse: « Fugiamus hinc, ne balnea corruant, in quibus lavatur Cherintus, veritatis inimicus ». Et illo egresso mox balneum corruisse et Cherintum cum suis oppressisse. Quis ex his non videt, iam tum ex Apostolorum tempore in haereticos anathematis et excommunicationis censura semper animadversum? Idcirco quemadmodum, (224) si qui fuerunt unquam haeretici, vos certe vel maxime tales esse, hoc triplici congressu edoctum est; ita quoque, si qua unquam iusta excommunicationis sententia in haereticos lata fuit, quae in vos lata est, iustissima sit oportet. Nulli ergo dubium esse potest, excommunicationem in vos latam et ordine et causa et recto Christianorum usu ad sacras literas vel maxime legitimam esse. Quapropter plane nugamini adiicientes, non latere Vibergensis Ecclesiae aut potius Satanicae synagogae ministros, iniustam excommunicationem sive maledictionem esse benedictionem, tum quod neutro in loco, ad hoc per vos adducto, de excommunicatione mentionem fieri notius est, quam ut ostendi oporteat, sed potius de maledictione et persecutione Christi et Christianorum a Iudaeis, gentilibus aliisque perfidis quibuslibet, cuiusmodi vos esse docuimus, ut maledictio vestra, quam excommunicationem indocte, nescio magis an improbe, an utroque potius modo dicitis, revera benedictio sit: psalmus vero adductus potissimum est de proditore Iuda; — tum vero quod ana-

* balneum.

---

[1] *Ench.* c. 32 L 3. etc. adducit eosdem locos: Matth. 18, 17; 1. Tim. 1, 19. 20; Tit. 3, 10. 11; 2. Io. 10. 11.

[2] *Cherintiani* a *Cherinto* nuncupati circa annum 84 erraverunt in fide. Circumcisionem observabant, mille annos post resurrectionem in voluptate carnis praedicabant, *Christum* ante *Mariam* fuisse negabant.

thematis fulmen in vos quam iustissime iaculatum esse modo probavimus, cui vel res ipsa fidem abunde facit, quando, post excommunicationis sententiam in vos latam Satanae potestati magis traditi, usque adeo in deterius assidue profecistis, ut in profundum peccatorum nunc demum praecipitati, omnino contemnatis, neque Deum neque hominem post hac verentes.

Deinde num sit mendacium, istius Satanicae synagogae Vibergensis ministros praesumpsisse (sic enim habet articulus, quandoquidem nihil minus eos posse mox ostendemus), extra Ecclesiae communionem eiicere illos etiam, qui missis Romano more celebratis interfuere, si non voce, tamen re ipsa vestra ipsorum verba paulo post hic subiecta declarant, quibus ipsi dicitis ac fatemini, tentasse illos excommunicare sacerdotes Romano more missam celebrantes. At facientes et consentientes eadem poena omni iure (225) digni sunt, dicente Apostolo Paulo: *Quoniam digni sunt morte non solum qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1, 32.
— Porro quod calumniamini, in prioribus articulis Danica lingua exhibitis nos esse locutos de missis prisca Christianismi consuetudine, nunc vero in articulis latinis de missis Romano more celebratis, quasi hoc studiose facto ad Romanum morem tanquam ad asylum aliquod confugeremus, posteaquam nulla spes prius illud evincendi nobis arrideret, nec rima quaepiam elabendi pateret, cum noster missandi ritus (ut dicitis quidem) longissime a ritu Apostolicae Ecclesiae absit —: hic respondemus, nullo id factum esse dolo. Verum, sicut unam esse credimus Ecclesiam catholicam, quae et Romana a capite nuncupatur; ita quoque credimus, unam esse missam prisca Christianismi consuetudime et Romano more celebratam. Quocirca forte fortuna loquendi ratio mutata est, non quod prius illud evincendi spe destituti essemus, aut quod nulla elabendi rima nobis appareret, quemadmodum vos dicitis, sed quoniam utrumque tantumdem esse arbitramur. Non enim Romanus hic missandi ritus ab Apostolicae Ecclesiae ritu longissime abest. Quin potius ut Ecclesiam nostram (quam ingenue Romanam esse fatemur), sub articulo primo[1] Apostolicam, id est, ab Apostolis plantatam et in doctrina eorum iam inde hactenus propagatam esse docuimus; ita quoque dignis fide historiis docere possumus, nostrum hunc missandi ritum Romanum ab Apostolis esse pro-

[1] Supra 91.

fectum. Nam praeter id, quod invictis argumentis sub articulo vigesimo [1] demonstravimus, ipsam missae substantiam, qua sacrificium est, id quod vos alioqui maxime in nostro missandi ritu damnare soletis, a Christo et institutam et praeceptam, et ab ipsis Apostolis observatam, fideles patrum historiae testantur hoc ordine, forma et modo, aliqua saltem ex parte, quo Romana nunc utitur Ecclesia, Petrum (226) primo quidem publice missam celebrasse in Antiochia Syriae, deinde vero Romae in Vaticano, idque in Europa, Iacobum Hierosolymis in Asia, et Marcum Alexandriae in Africa. Quanquam modus ille paulatim in hanc, qua nunc utimur formulam adoleverit et auctior * factus sit in primitiva Ecclesia, tempore Pontificum martyrum in Apostolica sede positorum, usque ad Gelasium Papam. At vos docete istum vestrum nescio quem missandi ritum [2] vel decem annis vetustiorem atque toties interea mutatum: tantum abest, ut ** in Apostolorum tempora veraciter referre possitis. Proinde nos lubenter ad Romanum morem veluti eundem quoque Apostolicum tanquam ad asylum quoddam confugimus, id quod veteres orthodoxi patres tum eruditione tum sanctimonia clarissimi semper factitasse leguntur, et hunc morem lubenter etiam in Ecclesia nostra regnare permittimus, ut qui falsus et erroneus in fide nunquam esse valeat, quemadmodum sub articulo XIII. [3] demonstratum est.

Postremo, num sit mendacium, eosdem diabolicae istius synagogae Vibergensis ministros implorasse robur brachii secularis ad excommunicationis vestrae falso praesumptae executionem, satis opinor, declarant toti iam regno nota violentia, vastatio et sacrilegium ab isto magistratu et populo Vibergensi illata, cum ante Ecclesiis monasteriisque aliis, tum proxime a conviciis Ecclesiae cathedrali [4], ut hac in re literas et sigilla requirere magistratus et ci-

* auctor. ** « ut » deest.

---

[1] Supra 211 sq.

[2] In Enchiridio c. 17. agit Nic. Herborn. *de missandi ritu theutonico* (G 4 sq.).

[3] Supra 175 sq. et 208-214.

[4] Anno 1529 tempore veris demoliti sunt Vibergenses 12 Ecclesias parochiales cum permissione *Frederici* primi (dat. 23. Febr. 1529; Diplomat. Vibergense Nr. 226) et *Minoritas* et *Dominicanos* e suis templis et monasteriis exturbarunt. — Quod autem ad *Ecclesiam cathedralem* spectat, unum saltem factum indubium, quod anno 1529, si non iam prius, accidit, a canonico Lutherano Vibergensi, Ioanne N. Bloch anno 1576 relatum, hic adiiciemus. Sic enim scri-

vitatis Vibergensis tum sit omnino supervacaneum, — nihil enim opus est verbis, literis et sigillis, ubi facta toti mundo manifesta loquuntur, — tum quoque vehementer stultum. Nemo enim in causa propria testis esse permittitur. Quin omnes haeretici (quales vos esse vel maximos ostensum est) secundum iura tanquam excommunicati et infames omnino testari nequeunt. Verum mihi credite, ni quam primum digne resipiscatis, longius aut brevius utique (quemadmodum omnes templorum Dei violatores) digna factis (227) vestris mercedem vel in hac vita recepturi estis, siquidem (ut ait ille) nil refert auctor fueris fautorve malorum. Imo potius verissimum experiemini vetus illud adagii vice celebratum: Malum consilium consultori pessimum. Verum haud satis intelligo, quid sibi velit ista parenthesis: « Ut vos loquimini », qua tum solemus uti, si quid minus recte dictum sit, quale in his quidem verbis ego deprehendere nequeo. Quare perquam optarim, ut hac in re, vos gravissimi scilicet latinae linguae censores, nos erudire dignati fuissetis. Nam mea quidem sententia, praeter id, quod haec loquendi formula iuris peritorum ore tritissima est, divinis quoque literis tropus hic est perfamiliaris, quo brachii nomen pro potestate usurpatur. Cuius rei vos certe, scilicet utrumque testamentum in pectorum vestrorum scriniis reconditum habentes, si nihil aliud, illud certe vulgatissimum et apertissimum, quod ex cantico divae virginis Mariae in Ecclesia Dei quotidie legitur[1], admonere poterit: *Fecit potentiam in brachio suo* etc.

Prudentius.

Luc. 1, 51.

Porro, quod post haec subiicitis, istos Satanae ministros, quorum hic (quisquis es[2]) patronum agis, nimirum ex eodem (ut dici-

---

bit: « Interea temporis missae et alii ritus papistici in aede cathedrali peragebantur; et inter alios sacrificulos fuit quidam ob elatam vocem Stentor dictus, Hr. Claus Rober. Quodam die, cum ipse missam mussitaret, civis quidam, Christiernus Stub, conductus, vel ab aliis non insuavibus congerronibus allectus potius, accurrit, calicem ei praeripit et in pedes coniicit. Sacrificulus fugientem insequitur etc. Hanc non tragoediam sed catastrophen risu excipientes plurimi, praecipue Martinus Hegelius, hunc Roberum cum suis complicibus compescuerunt, et extemplo suggestum conscendit *Tausanus* (ut vel forte fortuna vel Dei providentia eodem tempore in templum venerat) et pro concione interpretatus est locum Apoc. XIV. [8]: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes » etc. Kirkehistoriske Samlinger I. 376.

[1] In *vesperis*.

[2] Fuit *Olavus Chrysostomus*, tum lector Malmogensis, qui responsiones concionatorum Danicas latine reddiderat. Mortuus est ut Superintendens partis septentrionalis Iutiae anno 1553 mense Novembri.

tur) albo, eos libere fateri, se indociles quosdam, et praefracti (ut dicitis) ingenii sacrificulos excommunicasse; — principio, qua hoc auctoritate facitis, nonne clarissima scripturarum luce integro ac incorrupto lectori manifestum efficimus hoc triplici congressu, vos tanquam haereticos omnium, qui ab initio Ecclesiae in haec usque tempora fuere, virulentissimos extra Ecclesiam Dei viventis oberrare, et sub articulo primo, germanam veramque illam Dei viventis Ecclesiam, unam et catholicam et Apostolicam non posse nunc demum in vos solos contractam esse [1], et hic paulo ante, vos ipsos omnes excommunicatos esse, idque tum iuris scripti tum legitimi iudicis sententia quam iustissime lata.

Quid excommunicatio. At excommunicatio est privatio Ecclesiasticae communionis et extra Ecclesiam Dei eiectio. Cum (228) ergo ipsi extra Ecclesiam iam pridem eiecti sitis, qui tandem alios inde potestis eiicere? non sane magis, quam is qui extra domum est, inde alium expellere potest. Taceo hac in re iura longe apertissima. Novi enim, quod tanquam publici iustitiae hostes, iura non modo contemnitis, sed etiam publice iam olim combussistis [2]. Iam ut etiam in Ecclesia Dei adhuc essetis, quis tum vobis in eos sacerdotes potestatem iurisdictionis tribuit? quis vos eorum iudices posuit? quis denique excommunicandi auctoritatem indulsit? — Deinde, quod iustam istius excommunicationis praesumptae causam praetexentes additis, quod excommunicarunt « indociles quosdam et praefracti ingenii sacrificulos, qui pertinaciter perstiterunt in suarum missarum abominationibus, non sine gravi Evangelicae doctrinae irrrisione et contemptu magnoque simplicium animorum offendiculo » : — primum, ut iustissima sit atque verissima (quam hic audio) causa, quemadmodum est tum iniquissima, tum mendacissima; tamen quando nulla sit penes vos excommunicandi potestas, uti iam docuimus, excommunicatio quoque nulla sit necessum est. — Secundo causam iniquissimam et mendacissimam esse constat ex iis, quae articulis XIX. et XX. [3] disseruimus. Nulla sunt enim nostrae missae abominationes, at potius fructus et plurimi et maximi; nec est hic gravis Evangelicae doctrinae irrisio et contemptus, at potius sancta Evangelicae doctrinae observatio et cultus; nec denique agitur cum

---

[1] Supra 89 sq.
[2] Lutherus 10. Dec. 1520.
[3] 204 sq. et 208 sq.

magno simplicium animorum offendiculo, at potius cum summo totius populi, pro quo fit, emolumento. Verum si quod sit offendiculum, illud non est activum, sed passivum, non datum, sed acceptum, non pusillorum, sed Pharisaeorum, id quod vos ipsi e re bona vobis propria malitia ultro accersistis, quomodo Christus apud Matthaeum ait: *Beatus est, quisquis non fuerit offensus per me.* Matth. 11, 6.
Et Paulus in Corinthiis: *Nos,* inquit, *praedicamus Christum crucifixum,* (229) *Iudaeis quidem offendiculum, Graecis vero stultitiam, sed iisdem vocatis Iudaeis pariter et Graecis Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam.* Quocirca ii, quos excommunicasse conati sunt isti Vibergenses excommunicati, non sunt, uti contemptim vos diminutione quadam eos appellatis, sacrificuli, at legitimi sacerdotes; non indociles, at divina scriptura * docti, qua partim a Christo, partim ab Apostolis multipliciter adversus haec mala in fine mundi ventura praemoniti, ingenio non praefracto, at infracto perstant; non in pertinacia, at in perseverantia, scientes se ** a domino nostro Iesu Christo contra vos vestrique similes pseudoprophetas, quos his diebus extremis oborituros praedixerat, ad perseverantiam exhortatos ***, quo loco ait: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* [1. Cor. 1, 23. 24.] [Matth. 24, 13.]

Postremo, quod praetexentes quoque legitimum excommunicandi ordinem sive processum annectitis, hos sacerdotes ab istis complicibus vestris saepenumero prius admonitos, ut relictis erroribus in viam redirent veritatis; « at ubi sese nihil proficere viderunt, monendo, exhortando, magis quam si surdis narrassent fabulam, tum demum usos auctoritate sua hos e Christiani populi consortio eiectos, Satanae regno adscripsisse cum universae Vibergensis Ecclesiae consensu et acclamatione »:

Primo, ut idoneus quidem ac legitimus ordo sit atque processus, tamen quando neque vobis excommunicandi potestatem esse, nec aequitatem causae in his docuimus subsistere; quorsum attinet eum, qui non est iudex legitimus, in causam non iustam excommunicationis ferre sententiam? — Secundo, ut processus vestri ordinem paulisper examinemus, quam vos dicitis admonitionem, non salutaris admonitio fuit, at periculosa magis tentatio, qua Deus suos probare voluit. *Nam oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.* Tentatio, inquam, non ut relictis erroribus in viam 1. Cor. 11, 19.

* divinae scripturae.
** « se » deest.
*** exhortatus.

redirent veritatis, at potius, ut relicta veritate in errorum devia vobiscum abirent. Nam veritatem non apud vos, at potius apud nos maioresque nostros esse hoc (230) triplici congressu sat, opinor, superque commonstravimus. Proinde non maledictione, at potius
Matth. 10, 16. benedictione digni erant hi sacerdotes, quod *prudentes ut serpentes* ad pravas suggestiones vestras non secus, atque olim socii Ulyssis ad Sireneos cantus aures suas obturarunt. At nec excommunicandi auctoritatem penes istos esse, at apud istos excommunicatos, nec populum istum esse Christianum, at haereticum, nec Vibergensem istam faecem Ecclesiam Dei esse, at Ecclesiam malignantium et Satanae synagogam, ex tota hac disputatione nulli (qui modo sit docilis) posthac ambiguum esse reor. Quocirca neque doctrinam Christi nec Pauli exemplum, quemadmodum falso dicitis,
Matth. 18. hac in re imitati sunt. Christus enim docet illos anathemate feriendos, qui post admonitiones praevias Ecclesiam Dei contemnunt.
1. Tim. 1. At istos contemnentes Satanae synagogam contemnunt. Paulus vero haereticos anathemate percussit; at istos, non hos esse haereticos universae disputationis progressu iam abunde constat. Non ergo Christi doctrinam impudenter, at vestram audaciam hactenus a Christo nato inauditam nimis quam pudenter temeritatem appellavimus.

In summa haec temeritas * universi erroris vestri fundamentum est, id quod inexpugnabilibus (ni fallor) argumentis, et in utroque congressu priore, et sub proximo huius tertii congressus articulo [1] confutatum est. Itaque revera maledictio vestra est benedictio, quam Christus apud Ioannem suis obventuram praedicens:
Io. 16, 2. *Alienos*, inquit, *a synagogis facient vos*. At iam ante suos apud
Matth. 5, 11. 12. Matthaeum et Lucam adversus eam consolans dixerat: *Beati estis,*
Luc. 6, 22. 23. *cum vos oderint, vobis maledixerint et vos persecuti fuerint homines, et separaverint vos, et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis; gaudete et exultate; ecce enim merces vestra multa est in coelo,* quam et nobis et vobis quoque (si tamen digne resipiscentes ad Ecclesiam Christi (231) redire velitis, — id quod vobis unice precamur) largiri dignetur dominus noster Iesus Christus, factus pro nobis maledictus, attamen in secula benedictus. Amen.

* 2 vocabula « haec temeritas » desunt.

[1] i. e. art. XXVI. supra 240-247.

De peregrinatione libro septimo revelationum beatae Birgittae cap. VI. et IX.

De inobedientia contra Romanam Ecclesiam lib. VII. cap. XIX. Item libro quarto cap. XXXIII.

Item de apostasia monachorum et sacerdotum in extravagantibus cap. LXXVIII.

Item libro quarto cap. XXX. et XXXVI. [1]

---

[1] Istae citationes Revelationum beatae Birgittae procul dubio debentur Paulo Heliae, qui Confutationem ad impressionem praeparabat. Hic enim multus erat in eis afferendis, ut patet ex eius scriptis. Sic lib. VII. c. 19. allegat saltem *ter* (*Secher*, 86. 251. 300), lib. IV. cc. 33. 36, et Extrav. c. 78 saltem semel (ib. 86). — Cur lib. VII. cc. 6. et 9. citentur, non liquet; forte, ut monstretur, Deum « utriusque sexus idiotis quidem, at minime vulgaribus suis amicis, arcana quaedam revelasse » (supra 65). — Ista capita, ut lectori prae oculis versentur, hic ut *Additamentum* posita sunt.

FINIS CONFUTATIONIS.

# ADDITAMENTUM PRIMUM.

## Revelationes Beatae Birgittae ad calcem Confutationis (231) [1] citatae [2].

**Lib. VII. Cap. VI.** « Cum sponsa Christi esset in Roma continue residens, et quodam die orando staret in elevatione mentali, tunc Christus apparuit ei sic dicens: Parate vos iam ad peregrinandum in Hierusalem ad visitandum sepulchrum meum et alia loca sancta, quae ibi sunt, et recedetis de Roma, cum ego dixero vobis ».

*Nota.* Iuxta capitis titulum haec revelatio facta est die beati Urbani, papae et martyris, mense Maio (25. Maii) anni 1371.

**Lib. VII. Cap. IX.** « Filius Dei loquitur sponsae beatae dicens: Ite iam et recedite de Roma ad Hierusalem. Quid causaris de aetate? Ego sum naturae conditor; ego possum infirmare et roborare naturam, sicut mihi placet; ego ero vobiscum, ego dirigam viam vestram, ego ducam et reducam vos ad Romam et procurabo vobis necessaria sufficientius, quam unquam habuistis prius ».

**Libro VII. cap. XIX.** longior continetur revelatio concessa sanctae Birgittae Hierosolymis super regno Cypri, quam eadem sancta vidua Famagustae octava die Octobris 1372 publicavit in praesentia regis et reginae et principis Antiochiae dicti regni totiusque regalis consilii.

Christus postquam charitatem suam immensam passione et morte ostensam commemoravit, conqueritur de habitatoribus Cypri quasi super unum hominem. Inter alia, quae longum esset hic exscribere, haec dicit ad nostram rem pertinentia:

« Et quamdiu tu praecepta mea servasti et obedientiam et statuta sanctae Ecclesiae fideliter custodisti, tunc certissime quasi in-

---

[1] Supra 257.

[2] Excerptae ex opere, cui titulus: Revelationes S. Brigittae. Romae apud Lud. Grignanum. 1628. 2. Tomi folio. — Romani semper scripserunt « *Brigitta* » (vulgo « Brigida »); sed vera forma non est nisi « *Birgitta* », quippe quod nomen derivatum sit a nomine patris huius Sanctae, qui vocabatur *Birger* (Pederson). Cf. *Brinkmann,* Den h. Birgitta. Köbenhavn 1893. p. 2 n. 1.

finitae animae regni Cypri pervenerunt ad regnum meum coeleste... Sed quia tu iam facis tuam propriam voluntatem,... me quoque expulisti tanquam furem et latronem.... Propterea, popule Cypri, annuntio tibi, quod si nolueris te corrigere..., tunc ego generationem... tuam... delebo [1]... Ista autem supradicta verba loquor ad Christianos latinos obedientiae Romanae Ecclesiae subiectos, qui mihi in baptismo rectam fidem Romanam catholicam devoverunt, et per opera mihi contraria a me totaliter recesserunt. Graeci autem, qui sciunt, quod omnes Christianos tenere oportet unam tantum fidem Christianam catholicam et uni tantummodo subesse Ecclesiae, scilicet Romanae, unumque solum vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum summum pontificem, supra se spiritualem habere pastorem, et tamen nolunt se eidem Ecclesiae Romanae et vicario meo spiritualiter subiicere et humiliter subiugare propter eorum pertinacem superbiam et propter cupiditatem et propter carnis petulantiam, sive propter aliquid aliud, quod ad mundum pertinet, indigni sunt, post mortem veniam a me et misericordiam obtinere... Sciant etiam Graeci, quod eorum imperium et regna sive dominia nunquam stabunt secura,... sed inimicis suis semper subiecti erunt,... donec ipsi cum vera humilitate et charitate Ecclesiae et fidei Romanae se devote subiecerint, eiusdem Ecclesiae sacris constitutionibus et ritibus se totaliter conformando... »

**Caput XXXIII. libri IV.** revelationum agit de flebili statu urbis Romae absente et exulante papa, quem hac de re sancta Birgitta certiorem fieri cupit. Inter alia haec habentur ad rem nostram spectantia:

« Spiritualiter vero infelix est urbs ista, quia multae constitutiones, quas sancti papae ex infusione spiritus sancti ad Dei laudem et animarum salutem in Ecclesia statuerunt, iam deletae sunt. Pro quibus, proh dolor, multae novae abusiones ex maligni spiritus infusione ad Dei irreverentiam et animarum perditionem sunt assumptae ».

Deinde agitur de redditibus Ecclesiae in laicos collatis, de laesione caelibatus, de regularum in monasteriis transgressione, de neglectu praesentiae in choro, de libidine, luxuria, fastu, divitiis monachorum, de violata clausura, de acceptione pecuniae pro confessione audienda, de contemptis Ecclesiae praeceptis quoad confes-

[1] Anno 1426 a Turcis captus est rex Ianus cum 20,000 suorum subditorum; et anno 1571 iidem Turcae totam insulam *Cyprum* sibi subiecerunt. ***Brinkmann***, Den h. Birgitta. 335.

sionem et communionem annuam, sanctitatem coniugii, ieiunium, opera servilia diebus festis et usuram prohibita, de excommunicatis non vitatis et propter dona vel amicitiam in templa admissis, de sepultura divitibus excommunicatis non negata. Concluditur caput hisce verbis:

« Igitur, domini, non miremini, si nominavi Romam urbem infelicem pro talibus abusionibus et multis aliis Ecclesiasticis statutis graviter contrariis. Quare timendum est, catholicam fidem in brevi deperire, nisi talis venerit, qui Deum super omnia et proximum suum sicut seipsum diligat fide non ficta omnes abusiones abolendo. Compatimini ergo Ecclesiae et eius Clero, qui toto corde diligit Deum abhorrentes omnes malas consuetudines, qui propter absentiam papae quasi orphani fuerunt, tamen filialiter patris sedem defenderunt proditoribusque sapienter restiterunt in multis tribulationibus perseverando ».

**In capite LXXVIII.** revelationum extravagantium *directe* nihil invenitur de apostasia monachorum et sacerdotum. Sermo enim tantum est de sex regibus trium regnorum [1], Daniae scilicet, Sueciae, Norvagiae, et ita legitur:

« Filius Dei loquitur: Ostendi tibi prius quinque reges et eorum regna. Primus coronatus asinus, quia degenerans a principibus bonis maculam posuit in gloriam suam. Secundus lupus insatiabilis, qui non cognovit improvisum casum suum, ut ditaret inimicum. Tertius aquila sublimis ceteros contemnens. Quartus aries ventilans et conterens et proficiens ex iustitia Dei. Quintus agnus occisus, sed non sine macula, cuius sanguis multis fuit occasio tribulationis et ruinae. Nunc ostendo tibi de sexto rege, qui conturbabit terram et mare et simplices contristabit, qui terram sanctorum meorum exhonorabit et sanguinem innocentem effundet, qui tempus vindictae meae posuit in audacia manuum suarum. Ideo nisi celeriter attenderit, appropinquabunt ei iudicia mea et relinquet regnum in tribulatione et fiet sicut scriptum est: Voluptatem et ventum seminant, ac tribulationem et dolorem metent. Nec solum visitabo super regnum istud, sed super civitates opulentas et ma-

---

[1] Affert hanc prophetiam *Paulus Heliae* in libro contra Ioannem Michaelis (*Secher*, 86) de rege Christiano II. (1513-1523) quem huius prophetiae sextum regem interpretatus est. In fine Confutationis citatur forte eo animo, ut explicetur tristis status regni et Ecclesiae Danicae.

gnas. Nam suscitabo famelicum, qui devorabit desiderabilia eorum; intestina mala non deficient et discordiae abundabunt; stulti dominabuntur, et senes et sapientes non levabunt caput; honor et veritas prosternentur, donec veniat, qui placabit iram meam, et qui animae suae non parcet pro aequitatis charitate ».

**Libro quarto cap. XXX.** Beata Virgo Maria haec dicit ad sanctam Birgittam:

« Scribitur, quod Paulus ille bonus Apostolus dixit, se esse sapientem quendam coram principe illo, qui Petrum captivaverat, et Petrum vocavit verum pauperem. Et non peccavit Paulus in hoc, quia verba sua erant ad honorem Dei. Sic est etiam cum illis, qui verba Dei volunt et desiderant loqui; quia si non possunt intrare ad dominos, nisi haberent indutas competentes vestes, non peccant induendo eas, dummodo aurum et vestes et lapides pretiosos non reputarent pretiosiores in voluntate et corde, quam assueta vestimenta antiqua, quia omnia quaecunque apparent pretiosa, sunt terra ».

**In eiusdem libri capite XXXVI.** Deus loquitur ad sanctam Birgittam hisce verbis:

« Vide nunc, quid inimici mei faciunt contra ea, quae amici mei fecerunt olim. Denique amici mei ingrediebantur monasteria ex timore discreto et divina charitate. Sed hi qui nunc sunt in monasteriis, vadunt in mundum pro superbia et cupiditate, habentes propriam voluntatem facientesque corporis sui oblectamenta. Istorum ergo, qui in tali voluntate moriuntur, iustitia est, quod non sentiant nec obtineant gaudium coeleste, sed poenam in inferno sine fine. Scito etiam quod claustrales, qui coguntur contra velle proprium ex divina charitate fieri praelati, non sunt in eodem numero computandi. Milites quoque, qui olim portabant arma, parati erant dare vitam pro iustitia et effundere sanguinem propter fidem sanctam, indigentes promovendo ad iustitiam, malosque faciebant deprimere et humiliare. Sed nunc audi, quomodo aversi sunt. Placet quippe nunc eis magis mori in bello pro superbia et cupiditate et invidia, iuxta diabolicas suggestiones, quam secundum mandata mea vivere ad obtinendum gaudium sempiternum. Ergo omnes, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendium ex iudicio iustitiae, hoc est, quod dabuntur daemonibus in stipendium in aeterna eorum coniunctione. Hi vero qui mihi serviunt, tenentur habere stipendium cum coelesti exercitu sine fine ».

# ADDITAMENTUM SECUNDUM.

(Adnotatio ad p. 89. Confutationis).

## Descriptio notarum Ecclesiae ex Notis Herbornei.

1. *Principe* itaque *loco* observa, veram *Christi Ecclesiam*, ex *unitate* deprehendi fidei, cum in Deum, tum sacramenta relatae. Namque ut unus Deus, ita et una fides, unum baptisma, unius eucharistiae sacrificium, sic cetera denique a Deo profecta, omnia credenda sunt fidelibus. *Atque in hac unitate, Ecclesia ab Apostolorum in haec usque secula, semper eadem perstitit, immobilis semper*, semper sibi constans, semper idem definiens, eademque dogmata inculcans, non in partes scissa, quamvis diversos ministros diversis temporibus habuerit, *non in sectas divisa*, quanquam a tyrannis haereticisque, impetita. *Quin potius idipsum tota sentit, idem perpetuo confitetur ac docet, ut miraculi vice haberi possit, tanto inter se disiectas intervallo Ecclesias, idem, eodem pene modo, inculcare eodemque itinere incedere*, potissimum cum toties in divorsum rapere conati sint haeretici [1]. Verum perstitit

[1] Non pigebit hic adnotare, quae Herborneus in *Monade* (c. 4. L 3. sq.), licet inverso ordine, de his tribus Ecclesiae notis scripsit; optime illustrant ea, quae de iisdem notis in Confutatione (supra 89-91) dicuntur: « Utque semel (inquit) dicam, veram Ecclesiam iisce notis ab *adulterina internosces*. *Principio* vera *Ecclesia* adeoque *catholica*, totum *per orbem sparsa est:* adulterina *in arctum coacta tamque augustis circumscripta* terminis, *ut ne nomen suum tueri possit*, nec ullum suarum Ecclesiarum vestigium commonstrare, etiam Gallo teste: nam ob id eam invisibilem... facit... Deinde Ecclesia vera et hoc indicio probatur, quod a *Christo*, ab *Apostolis*, ab horum *successoribus* in *haec usque tempora* perstitit infracta... Meretrix illa et Satanae synagoga quaeque nuper in orbem irrepsit, ut obscuro loco coepta est, ita et nullos habet suorum dogmatum professores, ut pudeat etiam hos nominare quos imitatur. Alioqui proferat, si vera est Ecclesia Christi, Evangelistas, proferat pastores, edat auctores, edat testimonia, quibus certo adnitendum. Postremo vera Ecclesia Christi *una est*, eadem semper, *sibique constans, semper sui similis, non in sectas* scissa aut divisa, *idem perpetuo* et *docet* et servat et *confitetur:* ut miraculi vice haberi possit, tam longo *locorum intervallo* diremptarum Ecclesiarum in *fide* moribusque con-

adversus omnes malorum dogmatum adsultus *infracta,* perstitit porro immota. Impeti potuit, vinci ac porro everti non potuit. Neque enim unquam, vel latum digitum, ab Apostolica fide deflexit.

---

sensus. Contra notha haereticorum synagoga, Deum immortalem, quam polyposa, quam varia, quam in multas partita haereses, adeoque a se ipsa dissecta, nihil in ea certi, nihil *concordiae.* Adde quod citro ultroque... de capite, de summa causae disceptant, variant, et *ex diametro pugnant. Lutherana* siquidem *Carolostadianam* porro eliminat, sic *Oecolampadianam,* sic *Zwinglianam,* Oecolampadiana Hessicam, simulque et quotquot sunt, qui huic in Sinaxeos signo non consentiunt ».

Ut tamen veritati suus sit locus, fateamur oportet, dubium nobis fuisse obortum, num Herborneus fuerit, qui principaliter modo allato descripserit notas Ecclesiae. Nam eandem fere notarum delineationem invenimus in libro *Ambrosii Pelargi* (Storch), cuius inscriptio haec habet:

« Hyperaspismus sive propugnatio Apologiae Ambrosii Pelargi, quo Eucharistiae sacrificium ab Oecolampadiana calumnia strenue asseritur. Basileae 1529 ».

Ibi leguntur sequentia:

B 2:... « *a qua quicunque rebelles desciscunt, parum abest, quin ad synagogam satanae deficiant, nothi scilicet ac spurii facti.* — Porro unde *vera* Christi *Ecclesia ab adulterina internosci* queat, haud multo negotio a nobis edoceberis... Primum *vera* Christi *Ecclesia catholica* est, i. e. *per orbem sparsa atque diffusa.* Meretrix autem Ecclesia tam est *in arctum coacta tamque angustis circumsepta finibus, ut ne nomen suum tueri quidem possit, si hanc catholicam dicere volueris.* Scripturarum *vaticinia praenuntiant Christi Ecclesiam dilatandam ultra mare et in Africum et in Aquilonem, ad orientem et occidentem pluresque fore filios desertae, quam eius, quae tum virum habuit.* Quod si iam vel Oecolampadianorum vel Lutheranorum vel quorumlibet aliorum, qui diversum a nobis sentiunt, numerum *ad Iudaeorum synagogam exigas, colliquescit,* apud illos catholicam Ecclesiam constare non posse, quandoquidem *plures hodie* sunt *Iudaei quam Oecolampadiani, Lutherani* »....

B 2[b]: « Dein Ecclesia, quae... *a Christo aedificari coepta* est, *Apostolica* »...

B 3: « *Postremo vera Christi Ecclesia una est semperque sibi constans, nunquam non sui similis, non in partes* lacera neque *in sectas scissa aut divisa;* quin potius id ipsum tota *sentit, idem credit, idem perpetuo confitetur ac docet, ut miraculum* pene videri *possit* tot *Ecclesiarum tam longo locorum intervallo diremptarum in fide* concors usque adeo doctrina. *Contra* adultera et *notha haereticorum* Ecclesia, *Deum immortalem, quam semper est varia ac instabilis et in multas partita haereses* ».

Subduximus omnia verba, quae Pelargo aut cum Monade et Notis aut cum Confutatione communia sunt. Unde apparet, ipsum habere textum Monadis et Notarum quasi unitum et in notis enumerandis sequi ordinem Monadis, cum Confutatione tamen non habere tam multa communia. Posset ergo Pelargus usus fuisse et Monade et Notis. Utrum vero revera hoc fecerit, an vice versa Herborneus illum exscripserit, an denique forte alius auctor fuerit, ex quo omnes hauserint, non audemus decidere. Pelargi quidem liber non nisi annum impressionis, sc. 1529, sine accuratiore data indicat; Notae Herbornei, cum inveniantur im-

Idem enim quod Petrus et Paulus, Ecclesiae sacrosanctae columina, sensere (R 3 b) ac docuere, et Clemens, et Cletus, et Gregorius magnus (id quod et literis proditum est), idem et ceteri omnes denique confessi sunt, *quotquot tandem* successerunt legitime. Quin etsi quando, ut homines erant, alio vel ulla ex parte declinare coepere personae aliquot, integra tamen semper, et ipsis inferorum portis robustior permansit et Ecclesiae unius autoritas, et fides ipsa. Iam si huius Ecclesiae pastores, si doctores, si interpretes, si denique sanctimonia illustres omnes viros intus examines, *adeoque* horum et vitam et eruditionem introspicias, non secus scripsisse aut docuisse comperies, atque ab Apostolica traditione in hos cum fide et sacra spiritus sancti charismata propagata sunt. Non enim secus de sacramentis, non secus de sacrificio eucharistico, nulli aliter de auctoritate ecclesiae, de communi sensu scripturae, idque generis aliis, scripsere olim patres, atque nunc scribunt, qui ex Theologorum sunt classe Scholasticorum, quamvis interim ipsa phrasis multo secus incedat, constet ac incurrat. Atque haec fidei nihil detrimenti intulit, nulla schismata invexit. Perstat equidem, Christi promissione roborata: Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.

*Contra adultera haereticorum Ecclesia, Deum immortalem, quam semper est instabilis ac varia, inque multas partita sectas,* si quis propius huius faciem contempletur. *Quas enim prodigiosas non pullulat opiniones?* Utque exempli nonnihil attingam, Lutherana cohors ita sacrificium eucharisticum inficiatur, ut nihilo secus testetur adesse corpus Christi, quamvis et in hac confessione non parum multum ab universali Ecclesia dissideat; ita enim verba Christi interpretatur: Hoc (R 4) est corpus meum, i. e. hic est panis. In captiv. babyl. *Huic ex diametro obsistit Oecolampadiana, Zwinglina, Carolstadiana,* solumque signum, et praeterea nihil adesse vociferans. Non haec corpus sub pane agnoscit, sed solum panem dentibus rodit, lacerat, masticat, inque stomachum traiicit. Lutherana Ecclesia, cui bona pars Misniae ac Hassiae cessit, anabaptistas, ut extorres a

---

pressae inter Enchiridii secundam editionem et Methodum, aliquo modo accuratius designatum habent tempus. In fine enim Methodi legitur: Coloniae anno 1529, Quarto Idus Iunii (10. Iun.), dum Praefatio Enchiridii ad lectorem indicat Kal. Iun. eiusdem anni. Monadis autem dedicatio scripta dicitur quarto nonas (4.) Iulias 1529, et Epistola ad Minoritas, qua clauditur Monas, data est Coloniae 1529, quarto idus Iulias (12. Iulii).

veritate, diris execrationibus devovit. Quae huic pugnat Baltasarina, adeo rebaptizare contendit omnes, ut etiamnum infantibus aditum coelestis regni praecludat. Iam si ceteras in medium proferamus Chimerinas structuras, quibus citroque ultroque a seipsis, *adeoque* a suis ipsorum dogmatibus dissident, in immensum excrescit opus. Siquidem alibi fatetur Lutherana, nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo, alibi recens baptizatos infantes ob peccatum quod remanet, remoratur a coeli ingressu. Est ubi suadet, ut secum *expiationis* locum, qui *manibus* ex divino decreto nonnullis deputatus est hinc abeuntibus, credamus; rursus quasi subpudeat eam veritatis, hunc ipsum neque probari, neque exstare uspiam contendit. Vide igitur lector, quanto intervallo *meretrix Ecclesia*, et ab universali, *et a se ipsa dissentiat*, teque intra eius septa contineas, cuius idem semper in fidei causis iudicium. Neque etiam
Gal. 1. si angelus Dei de coelo descendat aliudque doceat, atque haec docuit, credas; multo minus, si homuncio quispiam ex mendaciis coalitus.

2. Vera Ecclesia *catholica, totum per orbem sparsa atque diffusa* est, non in angulum aliquem coacta, non angustis circumsepta finibus, sed ubivis locorum huius fidem, huius Ministros, huius denique sacramenta palam agnosces. Exstabat olim apud paucos, *tum qui ex Iudaeorum, tum qui ex Gentilium* (R 4[b]) *erant natione, Dei Ecclesia. Verum hanc dilatandam ultra mare et Africum, et Aquilonem, et ad occidentem, et ad orientem,* pluresque fore filios desertae, quam eius quae tum habuit virum, *vaticiniis prophetarum praenuntiatum est.* Agnoscunt hanc, qui totam fere Europam inhabitant, qui *Italiam,* qui *Galliam,* qui *Hispaniam,* qui Britanniam, qui Pannoniam, denique qui totam incolunt Germaniam. Hanc venerantur omnes, huic manus dederunt, huius decretis iussisque obsequuntur. A solis enim ortu usque ad occasum, ab Aquilone usque ad mare magnum nomen eius, non iam inter Iudaeos ut olim, sed inter gentes, inter Barbaros, et Scythas, et quotquot tandem sunt, qui ad huius gremium confugiunt.

*Notha autem Ecclesia, tam est in arctum detrusa, tam angustis finibus circumscripta, ut ne nomen suum tueri possit, si hanc catholicam dicere volueris.* Quin ut citra invidiam liceat fateri id quod est, si hanc ad Iudaeorum, qui hactenus relicti sunt, synagogam exigas, reipsa colliquescit, multo plures esse hodie Iudaeos, quam Lutheranos, Oecolampadianos, et id genus alios, huius *meretricis antesignanos,* quique a Romana desciverunt Ecclesia. Quam

tametsi Lutherani ut Babylonicam (tam enim impie male feriati homines de ea loquuntur) meretricem abhorreant, fateantur tamen oportet eam esse, ex qua Latinis omnibus propagatum est Evangelium, *adeoque* religio tota derivata. Cui sententiae nostrae qui nolet accedere, vel *maiorum* volvat annales; *disperearn, nisi* reipsa ita comperiet, uti praefati sumus.

3. *Verae* (R 5) *Ecclesiae adeoque Apostolicae* indicium est, quod a *Christo aedificari coepta,* quod *ab Apostolis,* potissimum Petro et Paulo *fundata* atque absoluta est. Nam quamvis et aliis Apostolis Ecclesiarum cura fuerit demandata, multae tamen ex iis vel infidelibus vel haereticis cesserunt. Atqui haec qua degimus Latini, nunquam est destituta legitimis verbi ministris. Dedit (inquit Eph. 4.
Paulus) quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei. Collige hoc loci lector, ac alta mente reconde, quod ait quosdam ministros Ecclesiae datos, ut mysteria consummentur, ut *Christi corpus mysticum* coalescat, grandescat ac coagmentetur, donec omnes tandem ad par fidei robur perveniamus. Verum quando id fore putamus? Tum quando ultima iudicii et examinis dies instat, quando filius patri regnum pacatis omnibus traditurus est. Interim igitur Ecclesia suos habet ministros, habet et Christus suos coope- 1. Cor. 15.
ratores et coadiutores, qui perpetua quadam successione, alii post alios, suo defungantur officio oportet. Eiusmodi igitur cooperatoribus adornata est vera Christi Ecclesia (nisi quis tam *impudens* sit, ut fefellisse Christum Ecclesiam contendat) et in haec tempora usque cum literis, tum vivae vocis oraculo feliciter instructa, directa, disposita. Neque enim in eam sententiam sum iturus unquam, ut assentiar iis, qui praeter id, quod sacris et nudis (R 5$^{b}$) literis proditum est, aliud nihil posteritati reliquisse autumant Apostolos, cum *in confesso sit, multo illos plura scripsisse, docuisse, atque etiam ordinasse, quam canonicis continetur libris.* Quin si dicamus quod res est, antea quam scribere coeptum est, multa decreta, multa praedicata, multa sancita denique: at ubi a recepta fide, atque a receptis Apostolorum decretis deficere coepere, tum literis opus erat revocare ad pristina instituta; tum, ne quae vel gesta erant praeclare, vel praedicatione inculcata fideli, interciperentur — intercipi autem poterant vel temporum vicissitudine, vel haeretico-

rum dolis, vel tyrannorum machinis —, literis sunt concredita. Cessit id ad fidei nostrae robur; quanquam enim mortales omnes suo creatori fidei obsequium debeant, non quia haec aut illa scribi permisit (nusquam enim comperies, quod iusserit Evangelistas ea quae docuit excipi papyraceis chartis), non quia mira quaedam et supra humanum captum operatus, sed quia ipse dixit, sed quia veritas (ut ita dicam) ipsissima, cui sui ipsius gratia credendum: instigavit tamen quosdam viros cum eruditione, tum sanctimonia illustres, qui etsi non universa, id enim ne mundus quidem possit totus (Ioanne teste), ad scriptitandum calamum instruerent, quo videlicet et studiosi haberent, quibus pro solatio sanctis uterentur scripturis, et universi ob oculos *certam vivendi et credendi normam graphice depictam*. Interim tamen non repudianda ea, quae in aurem erant transfusa sanctissime, ac veluti ex traduce in nos derivata fidei morumque decreta. In hac sententia cum Paulum fuisse constat (R 6), quando Corinthios ob receptas hactenusque observatas traditiones laudat, quando et Thessalonicenses, ut teneant ea, quae seu per epistolam, seu per sermonem didicerint, commonefacit; tum Irenaeum, atque hos secutum Augustinum. *Itaque sine multo impendio nostrae Ecclesiae, hoc est Apostolicae originem exhibere* possumus, *edere fundamenta,* monstrare etiam digito *Episcopos,* doctores, sacerdotes: porro ministros omnes, porro omnium officia, ordinem.

*Contra notha ecclesia,* nullos habet suorum conventiculorum ac dogmatum asseclas, *auctores nullos,* nisi olim ultra Sauromathos praescriptos aliquot ganeones, ac in cineres resolutos, quibus nemo nisi a Christo alienus manus dedit. Quin si quos habet, de quibus iuste gloriari queat, proferat in lucem. Extant enim annales, extant veterum gesta, prostant praeclara monumenta, verset reverset, nusquam tamen comperiet, quibus sancte ac sine pudore viris suae fidei originem, si modo hoc nomine dignae sunt horum opiniones, ferat acceptam. Quod si maxime apud se fingat Apostolicam ecclesiam, det nobis dogmatum suorum testimonia, probet se Christi spiritu imbutam, et ut Tertulliani utar verbis in « de praescriptione haereticorum »: Edat suarum Ecclesiarum origines, *edat episcopos, edat primates, ac maiores,* denique et successores perpetuos. Certum enim: ut verbum domini aeternum est, *ita et ministros habet, perpetua derivatione sibi invicem succedentes.* Vides, lector, qua ansa teneantur, *qui adulterae Ecclesiae* suum calculum subiecerunt.

# I. INDEX

## TEXTUUM SACRAE SCRIPTURAE

### IN CONFUTATIONE CITATORUM.

(Continet illos textus tantum, qui in margine operis notati sunt)

---

## A. VETUS TESTAMENTUM

### 1. verbaliter allegatum secundum Vulgatam:



### 2. non verbotenus allatum:

## B. NOVUM TESTAMENTUM

### 1. secundum Vulgatam verbotenus citatum:



* Erasmus hic nominatur.

**2. secundum Erasmi versionem prolatum:**



* Vulgata.

**3. verbotenus quidem, at nec iuxta Vulgatam nec secundum Erasmi versionem citatum:**



**4. sensu magis quam verbotenus adductum:**

# II. INDEX

## RERUM ET VOCABULORUM.

---

## A

## B

## C

## D

## E

## F

# I

# L

# M

## N

## O

# P

## Q



## R

## S

## T

## U



## V

## X

# III. INDEX NOMINUM.

Continentur etiam nomina *auctorum citatorum*.

---

## A

## B



## C

# D

# E



# F



# G

# H

## I



## K



## L

## M

## N



## O



## P

## T

# INDEX TOTIUS VOLUMINIS.

## ADDITAMENTA:



## INDICES.

| ERRORES | CORRIGENDI: |
|---|---|
| Pag. 7 lin. 1: Tam grave | Tam **gravem** |
| » 11 n. 2: Cf. supra p. (8 n. 1). | Cf. supra p. 8 n. 1. |
| » 14 n. 2 lin. 5: Hamfortio | **Hamsfortio** |
| » 19 (i. e. Cismontanus quoad nos | (i. e. Cismontanus quoad **Germanos** |
| » 49 lin. 21: in Ecclesia salutem | in **Ecclesiae** salutem |
| » 105 » 7-8: Lamperiani | **Lampetiani** |
| » 125 » 12 ab infra: Non ea | **Nam** ea cognitio |
| » 212 n.: (alii textus habet | (alii textus **habent** |
| » 222 lin. 18: ac e divinis literis | **At** e divinis literis |
| » 235 n. lin. 2: tranferet | **transferret.** |

A. M. D. G.

**Pretium huius voluminis: L. 3,00.**